Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Piscator

Analysis Logica Sex Epistolarum Pauli : Videlicet ad Galatas. Ephesios. Philippenses. Colossenses. Utriusq[ue] ad Thessalonicenses. Una cum scholiis & oberservationibus locorum doctrinae

Editio Secunda. Ab authore recognita, & nonnihil locupletata, praesertim accessione Observationum ex epistola ad Galatas, Herbornae Nassoviorum: Corvinus, 1602

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn76703726X/phys_0001
DFG

Fc-4212.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn76703726X/phys_0003
DFG

ANALYSIS LOGICA

SEX EPISTOLARUM PAULI,

VIDELICET

ad { GALATAS. EPHESIOS. PHILIPPENSES. COLOSSENSES.

Utriusq; ad THESSALONICENSES.

Unâ cum scholiis & observationibus locorum doctrinæ.

Authore

M. JOHAN. PISCATORE, sacrarum literarum in illustri schola Herbornensi Professore.

EDITIO SECUNDA.

Ab authore recognita, & nonnihil locupletata, præsertim accessione Observationum ex epistola ad Galatas.



HERBORNÆ NASSOVIORUM

Ex officina Christophori Corvini.

cIↃ IↃ cII.

Ac 4212.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0006
DFG

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO, DOMINO CUNRADO *Comiti in Solms, domino in Myntzenberg & Sonnenwald, domino suo clementissimo.*

ILLUSTRIS ac generose domine Comes, domine clementissime; Cœpi nuper hortatu amicorum & studio benemerendi de Ecclesia in lucem edere Analyses meas Logicas epistolarum Pauli, quas hactenus auditoribus meis in schola Herbornensi exposui: nunc telam feliciter inchoatam iisdem rationibus motus pergo pertexere. itaque post editas Analyses epistolæ ad Romanos & utriusq; ad Corinthios, nunc sex proxime-sequentium epistolarum Analyses divulgo: longiùs enim in schola nondum sum progressus. Etsi autem quæ doctrinæ in singulis istis epistolis contineantur, ipsæ Analyses accuratè ostendunt: tamen præcipuas illarum hìc quoq; delibare visum est, ut principale voluminis hujus argumentum in conspectu ponatur.

Quemadmodum in cæteris plerisque, ita in his quoque sex epistolis duo potissimùm doctrinæ Christianæ capita ab Apostolo tractantur; videlicet fides & bona opera: cujus utriusque recta cognitio & seria praxis ad salutem æternam unicuique necessaria est. Nam etsi nec propter fidei dignitatem, nec propter operum merita cuiquam vita æterna confertur: tamen illam consequitur nemo, nisi & vera fide meritum Christi in Evangelio oblatũ apprehendat, & serio studio pietatis tanquam veræ fidei fructu suam erga DEUM gratitudinem testetur.

Ac de fide quidem constans & perpetua Apostoli doctrina est, illâ hominem justificari, hoc est, á Deo remissis homini peccatis propter satisfactionem Christi, justum eum censeri ac pronuntiari: quatenus nimirum satisfactio Christi, quâ ille pro electis satisfecit justitiæ Dei, luendo pœnam peccatis illorum debitam, credenti unicuique ad justitiam imputatur; ita ut quicunque Evangelio credit, hoc ipso nomine justus á Deo censeatur, quia per fidem apprehendit sibiqúe applicat seu appropriat illam Christi satisfactionem, tanquam pro se non minús quám pro aliis Electis omnibus ac singulis præstitam. Quam quidem fidei naturam atq; ingenium Apostolus in suo ipsius exẽplo clarissimé exprimit, quum ad Galat. 2. ait, Vivo per fidem filii DEI: qui dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME. Utique Christus non solum Paulum dilexit, nec pro illo solo sese in mortem tradidit: sed dilexit omnes á Patre sibi datos, proqúe illis omnibus sese Patri obtulit, sicut ipsemet docet Johannis decimoseptimo: verúm Paulus beneficium Christi omnibus Electis commune, sibi privatim per fidem applicat. Nec veró solúm docet, hominem justificari hâc fide; sed justificari illum asserit eâ fide solâ, id est, absque ullo merito operum Legis. Huc pertinent verba illa quibus narrat se usum esse in reprehendendo Petro, quum videret illum Antiochiæ non recto pede incedere ut veritati Evangelii congruebat: quippe qui in gratiam quorundam Judæorum, á Gentibus, cum quibus ante illorum adventum ederat, sese subducebat: atque ita simulabat, se adhuc observare discrimen ciborum in Lege præceptum, quasi illud non jam esset per Christum sublatum, & quasi observatio Legis ad justitiam homini comparandam esset necessaria. Petro igitur ita claudicanti Paulus coram omnibus dixit: Si tu quum sis Judæus, Gentiliter vivis, ac non Judaicé: cur Gentes cogis Judaizare? tum addit: Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores, scientes non justificari hominem ex operibus Legis, id est, nisi per fidem Jesu Christi: etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quód non

Vs. 20.

Galat. 2. Vs. 4. 15. 16.

non justificabitur ex operibus Legis ulla caro. Deinde capite tertio exemplum Abrahami tanquam patris credentium inducit: Sicut Abraham (inquit) credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam. Nostis igitur, eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ. Providens autem Scriptura, Deum ex fide justificaturum Gentes, ante-evangelizauit Abrahæ, Benedicentur, inquiens, in te omnes Gentes. Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham. Et rursum paulopóst: Concluſit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Porró hominem non justificari ex Lege, probat his argumentis: quia quum nemo maneat in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis ut ea faciat, fit ut omnes per Legem maledicantur & condemnentur: deinde, quia propheta Habakuk testatur, justum victurum ex fide: Lex autem non est ex fide, sed promissio Legis sic sonat, Qui fecerit ea homo, vivet per ipsa. Præterea, si ex Lege est hereditas, non jam ex promissione (nempe promissione gratuita:) Abrahæ veró per promissionem donavit Deus hereditatem. Item, si data fuisset Lex quæ posset vivificare (id est, cordibus vires ad Legem perfectè præstandum infundere) veré ex Lege esset justitia. Atque hæc & id genus alia de justificatione fidei habentur in epistola ad Galatas. Iis consentanea traduntur in cæteris quoq; epistolis: ut ad Ephesios, Gratiâ estis servati (inquit) per fidem (idq; non ex vobis: Dei donum est) non ex operibus: ne quis glorietur. Sic ad Philippenses ait: Certè duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei: propter quem omnibus istis (nempe prærogativis Judaicis paulo-antè commemoratis) meipsum multavi, eaq; duco prostercoribus, ut Christum lucrifaciam: & comperiar in eo, non habens meam justitiam, nempe quæ est ex Lege: sed eam quæ per fidem est Christi, id est justitiam quæ est ex Deo per fidem. Sic in epistola ad Colossenses: Vos, inquit, quondam abalienatos & hostes, mente operibus malis intentâ, nunc sanè reconciliavit in corpore illo carnis suæ per mortem: ut sisteret vos sanctos & irreprehensos & inculpatos coram se: siquidem

Gal. 6. 7. 8. 9.
Gal. 22.
Gal. 10.
Gal. 11. 12.
Gal. 18.
Gal. 21.
Cap. 2. 8. & 9.
Cap 3. 8. & 9.
Cap. 1. 21. 22. 23.

permanetis in fide fundati & firmi. Atque hæc de præclaro illo fidei effecto, videlicet justificatione coram Deo. In qua doctrina illud diligenter notandum est, Quænam sit illa res quæ nobis per fidem ad justitiam imputatur: nam justitiam fidei imputativam esse, non autem infusam aliquam atque inhærentem qualitatem, ex verbis Apostoli ad Romanos quarto manifestum est, ubi ait: Ei verò qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam: sicut etiam David pronuntiat beatum eum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus, dicens: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata: beatus vir, cui nō imputarit Dominus peccatum. Quum igitur justitia fidei imputativa sit, quæritur, Quænam sit propriè illa res quæ nobis per fidem ad justitiam imputatur? Hanc rem Apostolus esse docet satisfactionem Christi, nempe obedientiam illam passionis ac mortis Christi, quâ Patri obediens factus usque ad mortem crucis, pro nostris peccatis judicio ipsius satisfecit, luendo scil. pœnam nobis debitam. Hâc enim obedientia peccata nostra expiata sunt, nobisq; remissio illorum, in qua justitia illa imputativa consistit, à Deo impetrata est. Hoc intelligitur ex verbis illis quæ exstant in epistola ad Galatas, ubi ait: Christus redemit nos ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio: Scriptum est enim, Exsecrabilis omnis qui pendet in ligno: ut in Gentibus benedictio Abrahæ extet in Christo Jesu, & ut promissum illum Spiritum accipiamus per fidem. Porrò fidei hujus justificantis naturam declarat etiam ex aliis quibusdam effectis: ut fiducia, spe, caritate, tolerantia crucis. De fiducia & spe sic loquitur ad Galatas: Nos, inquit, Spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus. id est, Nos virtute Spiritus sancti in Christum credimus, & per hanc fidem justi sumus, ac proinde vitam æternam justis promissam spe exspectamus. Sic ad Ephesios ait, Nos in Christo habere libertatem & aditum cum fiducia, per fidem ipsius. De charitate ait ad Galatas, Fidem per caritatem operari seu efficacem esse. nam qui verè credit ac certò persuasus est, sese indignum

¶ſ. 5. 6. 7. 8.

Cap. 3. ¶ſ. 13. & 14.

Cap. 5. ¶ſ. 5.

Cap. 3. ¶. 12.
Cap. 5. ¶. 6.

tot

tot ac tantis beneficiis à Deo per Christum esse affectũ, is fieri nõ potest quin Deum diligat, & proximum quoque propter Deum. Similiter charitatem cum fide conjungit in priore ad Thessalonicenses, nec non tolerantiam crucis: quum ait, se indesinenter memoriâ repetere efficacem ipsorum fidem, & laboriosam caritatem, & tolerantem illam spem in Domino nostro Jesu. Ac de tolerantia crucis rursus paulo-pòst, inquiens: Et vos imitatores nostri facti fuistis & Domini, recepto sermone (nempe Evangelii) cum oppressione multa, cum gaudio Spiritus sancti. Et rursus in epistola ad Thessalonicenses posteriore cum fide & caritatem & tolerantiam crucis conjungit, inquiens: Gratias agere debemus Deo semper de vobis, fratres, ut dignum est, quòd vehementer augescat fides vestra, & abundet mutua uniuscujusq; omnium vestrûm caritas: adeò ut nos ipsi de vobis gloriemur apud ecclesias Dei, id est de tolerãtia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris & oppressionibus quas toleratis. Atque hæc de fidei effectis. Porrò, ne quis putet, fidẽ ex nostris oriri viribus: docet, eam esse singulare donum Dei, ac proinde efficientem ejus caussam esse Deum per Spiritum sanctum. Huc pertinet sententia illa, quâ exoptat Ephesiis illuminatos oculos mentis, ut sciant quæ sit excellens illa magnitudo potẽtiæ Dei in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius, quam exeruit in Christo quum excitavit eum ex mortuis. Ecce tantum abest ut ex viribus nostris credere possimus: ut ad fidem in nobis gignendam opus sit eâdem potentiâ Dei qua Christum ex mortuis excitavit. Deinde in eadem epistola fidem ex nobis esse negat: eamq; Dei donum esse, disertis verbis asserit. Similiter in epistola ad Philippenses: Vobis, inquit, datũ est in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi. Et rursum: Deus (inquit) is est, qui efficit in vobis & ut velitis & ut efficiatis, pro gratuita sua benevolentia. Sic in posteriore ad Thessalonicenses; Non omnium (inquit) est fides. quibus verbis innuit, non omnibus à DEO datum esse ut in Christum credant, sed fidem hanc esse peculiare donum Electorum

Cap. 1. ℣. 3.

℣. 6.

℣. 3. & 4.

Ephes. 1. ℣. 18. 19. 20.

Cap. 2. ℣. 8.
Cap. 1. ℣. 29.
Cap. 2. ℣. 13.
Cap. 3. ℣. 2.

Cap.1. ℣.1. DEI: unde etiam istud epitheton illi in epistola ad Titum adjungit, appellans fidem electorum Dei.

Atque hæc est doctrina Apostoli de fide: á qua dogma Papistarum lõgissimé recedit, imo ex diametro illi adversatur. Etsi enim fatentur, hominem fide justificari; id quod negare extremæ impudentiæ foret, quum expresse ab Apostolo affirmetur: tamen volunt, hominem non justificari fide solâ, sed partim fide, partim bonorum operum merito. Quumque illis opponuntur expressa verba Pauli ad Galatas secũdo: Etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: cavillantur, Apostolum quum operibus Legis justitiam adimit, intelligere id de operibus ceremonialibus, non autem de moralibus. Quod cavillum ipsis Apostoli verbis aperté diluitur, quum in eâdem epistolâ capite tertio dicit, Itaque qui ex fide sunt, benedicũtur cum fideli illo Abraham: nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub execratione sunt: Scriptum est enim, Execrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea. Quis non videt, Apostolum hîc á justificatione excludere non tantúm opera Legis ceremonialia, sed simpliciter omnia, ac proinde etiam moralia, & hæc quidem præcipué? ait enim, Quisquis non manserit IN OMNIBUS quæ scripta sunt in libro Legis.

℣.16.

℣.9.10.

Verúm enimveró quando nos unâ cum Apostolo bonorum operum merita á justificatione excludimus: calumniantur, nos bona opera vetare, aut certé homines á bonorum operum studio deterrere. Quasi verò Apostolus non utrumque doceat: & operibus suis neminem justificari, & tamen justificatos in studium bonorum operum seduló incumbere debere! Quare deinceps videamus, quænam Pauli de bonis operibus in hisce epistolis doctrina sit. Summà autem doctrinæ istius est: Gratiâ Dei, quâ solâ justificati sumus absque ullo operum nostrorum merito, non esse abutendum ad licentiam carnis: sed grati animi testandi causâ, serió pietati studendum esse. Hinc ad Galatas quinto, posteaquam doctrinam de justificatione gratuita absolvisset, ad studium pie-

pietatis exhortari incipit his verbis: Vos ad libertatem vocati estis, fratres: tantúm ne libertatem arripite ut datam carni occasionem, sed ex charitate servite alii aliis. Sic in epistola ad Ephesios, posteaquam tribus primis capitibus de variis Dei erga Ecclesiam suam beneficiis, & inter hæc de gratuita per fidem justificatione disseruisset: in principio capitis quarti exhortationem ad studium pietatis instituit, inquiens: Precor itaque vos ego captivus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum est vocatione quâ vocati estis, cum omni modestia ac mansuetudine &c. Similiter ad Philippenses primo, Tantúm ut dignum est Evangelio Christi (inquit) vos gerite &c. Sic in epistola ad Colossenses, posteaquam duobus primis capitibus exposuisset doctrinæ Christianæ summam, & de cavendis illius corruptelis admonuisset: tum in reliqua epistolæ parte vitæ Christianæ & veræ pietatis varia præcepta tradit. Sic in priore epistola ad Thessalonicenses, posteaquam eos per tria capita in fide confirmasset: capite quarto ad studium pietatis exhortari eos incipit, inquiens: Quod superest igitur, fratres, rogamus vos & precamur per Dominum Jesum, ut sicut accepistis á nobis, quomodo oporteat vos incedere & placere Deo, magis excellatis. Similiter in posteriore ad Thessalonicenses, initio capitis tertii: Quod superest, inquit, precamini, fratres, pro nobis, ut sermo Domini currat &c.

Vſ. 13.

Vſ. 27.

Ex iis quæ hactenus á me exposita sunt, apparet, quám pulcrè Apostolus doctrinam bonorum operum cum doctrina fidei conjungat, & quám constáter unam eandemq; de utroque illo capite in diversis epistolis doctrinam tradat. Quæ quidem unius ejusdemque doctrinæ repetitio pio pectori non solúm non molesta, sed potiús jucunda esse debet: quippe quum sic in vera fide pleniús confirmemur. quemadmodum Apostolus noster ad Philippenses ait, Eadem scribere vobis, me quidem haud piget: vobis autem tutum est.

Cap. 3. Vſ. 1.

Has autem istarum sex epistolarum Analyses sub illustri Generositatis tuæ nomine in lucem edere visum est: quia sperabam me rem tibi gratam facturum, si quid

ad te mitterem quod é schola Herbornensi veluti fructus quidam enatum esset. nam quanto favore sanctum hoc institutum prosequaris, & quammaximè diuturnum esse cupias: testatur munificũ tuum donum quod ad studiosos in Communitate pro tolerabiliore pretio alendos contribuisti. Testatur idipsum, quòd quatuor ex filiis tuis in schola hac erudiri atque educari per biennium voluisti: quorum maximus natu Ernestus singularem in lingua Hebræa discenda diligentiam per id tempus adhibuit, meque docentem assiduè audivit. Huc accedit significatio benevolentiæ erga me tuæ, quam non ita pridem ex amica mei salutatione in arce Dillenburgo perspexi. Quæ quum ita sint: confido hanc dedicationem Generositati tuæ non ingratam fore. Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi oro, ut tibi generose Comes, & familiæ tuæ universæ benedicere pergat: ut Ecclesiam Christi & consilio & ope quam- diutissimè adjuvare possitis. Herbornæ, 29. Julii, 1589.

Generositati tuæ

addictissimus

JOHANNES PISCATOR.

ANA-

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI AD GALATAS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

OCcasio epistolæ hujus scribendæ fuit, quód intellexerat Apostolus, Galatas seduci se passos esse per pseudapostolos quosdam, qui puram Evangelii doctrinam quam ipsi á Paulo acceperant, de justitia nimirum fidei, seu de justificatione hominis per solam fidem in Christum, corrumpebant admixtione justitiæ operum, docentes, hominem non justificari seu justum censeri ac pronuntiari á Deo per solã fidem in Christum: sed ad justitiam coram Deo ac proinde vitam æternam consequendam opus præterea esse observatione seu præstatione Legis Dei per Mosen latæ, & quidem non solúm Legis moralis, verúm etiam ceremonialis: unde urgebant circumcisionem, ut quæ ad salutem consequendam Christianis necessaria esset. Hanc fuisse istorũ pseudapostolorum doctrinam, colligitur ex maxima & præcipua epistolæ hujus parte. Apostolus igitur ne officio suo deesset; Galatas quos p̃dicatione Evangelii ad fidem Christi adduxerat, quum eos seductos videret, hac epistola in viam veritatis reducere conatur: ac proinde doctrinam de justitia fidei multis argumentis confirmat, eâdemq; operâ justitiam operum refutat. Quâ disputatione absolutâ, more suo ad studium bonorum operum eos hortatur, inde á versu 13. capitis quinti usq; ad versum 11. capitis sexti, ubi ad præcipuum epistolæ hujus scopum redit, admonens, ne se diutiús á pseudapostolis seduci patiantur, sed ipsius exemplo in sola cruce Domini nostri JESU CHRISTI glorientur, id est, justitiam in sola illius morte, non aút in suis ipsorum operibus quærãt, & in illa inventa acquiescant.

ANA-

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Capite primo post inscriptionem instituit gravem objurgationem Galatarum, reprehendens eorum levitatem per quam á doctrina ab Apostolo accepta, citó defecerant, doctrinam pseudapostolorum quorundam amplexi. Antequam autem Apostolus ad doctrinam suam argumentis in ipsa quæstione insitis confirmandam accedat, præmittit argumentum assumtum, videlicet testimonium ipsius DEI: *quatenus narrat quomodo ab ipso filio Dei doctrinam suam acceperit, & ad eam inter Gentes annuntiandam vocatus ac missus sit: itemque quomodo hoc suo apostolatu functus sit: quam narrationem continuat capite secundo, eamq; (ut videtur) extendit usque ad caput tertium. Quæ quidem narratio primam hujus epistolæ partem facit, cap. 1 & 2. Tum secunda pars erit disputatio de justificatione, cap. 3 & 4. tertia & postrema, exhortatio ad pietatem, cap. 5. & 6.*

PAulus Apostolus (non ab hominibus, neque per hominem, sed per JESUM CHRISTUM, ac Deum Patrem qui suscitavit eum ex mortuis)

2 Quique mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ:

3 Gratia vobis & pax á Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo:

4 Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti seculo malo, secundúm voluntatem Dei & Patris nostri.

5 Cui *sit* gloria in secula seculorum, Amen.

INscriptio continet primúm subscriptionem, ℣. 1. & 2. deinde inscriptionem specialiter dictam, ℣. 2. tum salutationem, ℣. 3. cui annectit summam Evangelii, ℣. 4. & δοξολογίαν, id est, celebrationem nominis Dei, ℣. 5. In subscriptione primúm asserit suum apostolatum ad con-

conciliandum doctrinæ suæ authoritatem: deinde sibi tanquam socios in hac epistola scribenda adjungit fratres, id est, Evangelii doctores quos tunc secum habebat, ad testandum illorum consensum, ac proinde ad permovendum Galatas, ut & ipsi doctrinam Pauli tanto libentiús amplectantur ac retineant. In asserendo suo apostolatu utitur antithesi, qua primúm negat, se Apostolum esse (hoc est, ad apostolatum vocatum esse) ab hominibus neque per hominem. quorum prius tacité opponit pseudapostolis, qui ab hominibus tantúm, non etiam á Deo erant vocati: posterius opponit doctoribus Evangelii legitimé quidem vocatis & á Deo, sed tamen per homines, nempe per Ecclesiam. Deinde affirmat, se esse Apostolum seu vocatum esse ad apostolatum per Jesum Christum ac Deum Patrem, hoc est, se vocatum esse á Christo per voluntatem Dei Patris, ut alibi loquitur: videlicet 1. Cor. 1. ℣. 1. & 2. Cor. 1. ℣ 1. & Ephes. 1. ℣. 1. Quod autem ait, *Non per hominem, sed per Jesum Christum*: hinc non est concludendum, Christum non esse hominem. Quum enim negat, se vocatũ esse per hominem, intelligit hominem nudum, id est, qui tantúm homo sit: at Christus simul Deus & homo est. Quare potiús hinc colligendum, Christum aliquid amplius esse quám hominem, nempe esse etiam Deum. unde mox illi Patrem tãquam socium adjungit. Quód autem Deo Patri hanc descriptionem annectit, *Qui suscitavit eum ex mortuis*: partim innuit potentiam Dei quam in Evangelii prædicatione exerit, excitando corda electorum ex morte spirituali, Eph. 1. ℣. 19. 20. partim significat, Christum ex morte excitatum & ad dexteram Patris evectum, eandem cum illo potentiam exerere, seque ab illo in cælis regnante vocatum esse. Atque hæc de subscriptione: inscriptio continetur his verbis, *Ecclesiis Galatiæ*. Galatia regio est minoris Asiæ: quam olim Galli ex Europa venientes habitarunt: quæ & Gallogræcia dicta. Ecclesiis Galatiæ optat apostolus *gratiam*, id est favorem ac benevolentiam Dei, & *pacem*, id est omnis generis felicitatem ac inprimis tranquillitatem conscientiæ ex sensu favoris DEI per CHRISTUM reconciliati ortam: de qua pace

ait Rom. 5. 1. Justificati ergo fide, pacem habemus erga DEUM. Optationi annectit descriptionem Christi è singulari ac proprio ejus facto, pertinente ad officium ejus sacerdotale, inquiens; *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris*. hoc est, Qui tanquam summus ecclesiæ sacerdos à Patre constitutus, suum ipsius corpus obtulit in cruce ad expiandum peccata nostra, quæ pater in eum conjecerat (Esa. 53.) & pro quibus ipsi spoponderat se satisfacturum. Hoc factum Christi declarat expositione finis, qui est vita æterna. Ideo enim semetipsum pro peccatis nostris dedit, proq; iis sua morte satisfecit Christus, ut nobis donaret vitam æternam. id q̃ significat his verbis, *Ut eximeret seu eriperet nos ex præsenti seculo malo*. id est, à societate filiorum hujus seculi, qui (ut Johannes loquitur 1. Joh. 5. 19.) in malo illo, nempe diabolo, jacent, hoc est, ei toti addicti sunt & ab illo agũtur pro ipsius libidine, donec in æternum exitium ab eo præcipitentur. Similis est loquutio illa Petri Actor. 2. ℣. 10. Servamini ex natione ista prava. quibus verbis Hierosolymitanos concione suâ conversos hortatur, ut sese ab impiis Pharisæis & Scribis Evangelii hostibus segregent: aliter enim eos salutem æternam consequi non posse. Præterea ista beneficia Christi amplificat expositione causæ impellentis: quæ est voluntas Dei Patris, cui filius obedivit. Postremò annectit gratiarum actionem pro his tantis beneficiis. Atq; hactenus de inscriptione: sequitur ipsius epistolæ initium.

6 Miror vos ita citò, deserto eo qui vocavit vos in gratiam Christi, transferri in aliud Evangelium.

7 Quod non est aliud: sed nonnulli vos turbant, & volunt invertere Evangelium Christi.

8 Sed etiamsi nos, aut Angelus è cælo evangelizet vobis præter *id* quod vobis evangelizavimus, anathema esto.

9 Ut antè diximus, etiam nunc iterum dico, Si quis vobis evangelizaverit præter *id* quod accepistis, anathema esto.

Incipit

Incipit ab objurgatione, arguens eos levitatis, quòd tam citò aures præbuerint pseudapostolis quibusdam qui doctrinam Evangelii de justitia fidei admixtione doctrinæ de justitia operum adulterabant: docentes, Christianos justificari ac servari non posse nisi circumcidantur & Legem DEI per Mosen latam servent. Cùm ait, se mirari, eos tam citò seductos esse: significat, se meliora de ipsis speràsse, atque ita suam erga ipsos caritatem innuit: caritas enim de proximo optima quæque sperat: 1. Cor. 13. Quo ipso objurgationem magnâ sapientiâ mitigat: ne statim initio acriùs eos objurgans, odisse ipsos videatur, ac proinde nihil apud eos proficiat. Postea tamen quum doctrinam suam testimonio divino abundè confirmaverit, acerrimè eos objurgaturus est, inf. cap. 3. ℣. 1. & 3. Porrò defectionis istius amentiam significat commemoratione maximi boni quod hoc modo contemnat, videlicet gratiæ Christi. quo ipso innuit, eos tam amētes esse ut nolint per solam Christi gratiam servari: sed velint salutem operibus suis mereri: qui scilicet conatus quantumvis laboriosissimus, frustrà tamen ab eis suscipiatur. Aliud Evangelium nominat doctrinam pseudapostolorum, quâ sub prætextu Evangelii tradebant doctrinam prorsus diversam, atque adeò Evangelio adversam: nempe non per solam Christi gratiam hominem servari, sed etiam meritis operum Legis. Versu 7. appellationem istā corrigit, negans doctrinam pseudapostolorum revera Evangelium esse: quum non sit nisi unicum Evangelium: quod illi invertere conentur. Versu 8. & 9. doctrinæ Evangelii quam Galatis annuntiaverat, authoritatem asserit per exsecrationem eorum qui aliquid ei contrarium docuerint. Hanc exsecrationem primùm amplificat collatione minorum fictâ. Fingit enim, seu casum (ut loquuntur) ponit, fore ut ipse-met aut angelus è cælo Evangelium corrumpat. quod si facturi essent, maledictionem DEI ipsis denuntiat. quasi dicat, Quantò magis maledictio Dei incumbet aliis? Deinde hanc ipsam exsecrationem repetit, & generaliter enuntiat.

10 Nunc enim *utrum* homines an DEUM

ſuadeo? aut quæro hominibus placere? Enimveró ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.

Hîc veritatem doctrinæ ſuæ oſtendit á fine ſeu ſcopo, affirmans ſibi ſoliùs Chriſti gloriam propoſitam eſſe, ſeque huic uni placere ſtudere. Eâdem autem operâ per antitheſin perſtringit falſitatem doctrinæ pſeudapoſtolorum, qui homines ſemper in ore habebãt & hominibus placere ſtudebant.

11 Notum autem vobis facio, fratres; Evangelium prædicatum á me, non eſſe ſecundúm hominem.

12 Neq; enim ego ab homine id accepi, neque edoctus ſum, ſed patefaciente *id mihi* Jeſu Chriſto.

13 Audiſtis enim, quomodo verſatus ſim olim in Judaiſmo, me *videlicet* ſummé perſequutum eſſe Eccleſiam Dei, & eam vaſtaſſe:

14 Et profeciſſe in Judaiſmo ſuper multos æquales meos in genere meo, quum vehementiore ſtudio tenerer traditionum quas á patribus meis acceperam.

15 Quando veró placuit Deo (qui ſeparavit me *inde* ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam)

16 Retegere Filium ſuum per me, ut evangelizarem ipſum inter Gentes: non ſtatim rem communicavi cum carne & ſanguine:

17 Neque redii Hieroſolymam ad eos qui ante me *fuerunt* Apoſtoli: ſed abii in Arabiam, ac denuó reverſus Damaſcum.

18 Deinde tribus pòſt annis redii Hieroſolymam,

lymam, ut viſerem Petrum: & permanſi apud eum dies quindecim.

19 Alium autem ex Apoſtolis non vidi quẽquam, niſi Jacobum fratrem Domini,

20 In iis porrò quæ ſcribo vobis, ecce coram Deo *affirmo*, me non mentiri.

21 Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ.

22 Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ quæ *erant* in Chriſto:

23 Sed ſolùm audierant, *qui dicerent*, Qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam olim vaſtabat.

24 Et glorificabant Deum de me.

Deinceps doctrinam ſuam confirmat teſtimonio divino, affirmãs, eam ſibi patefactam eſſe à filio Dei: quod ipſum declarat narratione converſionis ſui & functionis ſui apoſtolatus: ut ſimul planum faciat, ſe non eſſe edoctum à cæteris Apoſtolis: ſed ſtatim à Chriſto vocatum Evangelium prædicaſſe. Verſu 14. commemorat ſuum ſtudium Legis & traditionum paternarum: ut ſignificet, ſe nec ex ignorãtia nec ex odio doctrinam de juſtitia operũ rejicere: quippe cujus olim fuerit ſtudioſiſſimus. Verſu 15. converſionem ſui declarat ex cauſſis procreantibus: quas enumerat tres, videlicet beneplacitum Dei, electionem ſui ſive ſeparationem ſui inde ab utero matris, & vocationem gratuitam. Verſu 16. exponit formam converſionis ſui, & finem, & incipit narrare adminiſtrationem ſui apoſtolatus. Forma converſionis Pauli fuit, quòd Deus ei revelavit filium ſuum. Finis fuit, ut non ſolùm ipſe per agnitionem filii Dei ſalvus fieret, ſed etiam illum evangelizaret inter gentes, atq; ita multos ad ſalutem adduceret.

Adminiſtrationem apoſtolatus ſui expoſiturus, primùm negat ſe contuliſſe cum carne & ſanguine, id eſt cum ullo homine: quibus verbis ſignificat, ſe vocatio-

nem divinam de qua certus erat, noluisse subjicere consilio humano. deinde sententiam hanc generalem & subobscuram declarat sententia speciali, negans se statim rediisse Hierosolymam ad eos qui ante ipsum fuerant apostoli, ut scilicet de consilio & cum venia ipsorum inciperet apostolatu suo fungi: contraque affirmat, se rectà abiisse Damasco in Arabiam, prædicandi scilicet Evangelii causâ, & denuò Damascum reversum esse. Tum narrat, quomodo post triennium demum inviserit Petrum, simulq; viderit Jacobum: ac deinde in Syriam & Ciliciam profectus Evangelium docuerit, approbãtibus Judææ ecclesiis: Et hanc narrationẽ jurejurando confirmat. Videbat enim interesse gloriæ Dei & salutis Galatarum, ut de ipsius apostolatu nihil dubitarent: quẽ pseudapostoli malignè extenuabant: quasi Paulus non esset ex eorum numero quibus sine exceptione credendum sit.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Ab hominibus. ἀπ' ἀνθρώπων. *Scilicet πεμφθείς, id est, missus.* ἀπὸ *pro* ὑπὸ. Neque per hominem. *Scilicet purum seu nudum, quem* ψιλὸν ἄνθρωπον *Graci vocant, & nos* einen bloſſen menſchen *hoc est, qui nil sit nisi homo. Nisi sic exponas: sequetur Christum non esse hominem, quippe quem mox tanquam disparatum opponit. Synecdoche generis.*

4 Dedit semetipsum. *Nempe in mortem.* Pro peccatis nostris. *id est, propter peccata nostra, scilicet expianda.* Ex præsenti seculo malo. *id est, à filiis hujus seculi, ab impiis huic seculo addictis, quorum maxima in hoc seculo seu mundo est copia. Metonymia subjecti.* Dei & Patris nostri. *Id est, Dei qui est pater noster. Conjunctio copulativa est hic* μάλιστα ἐρμηνευτική, *particula expositiva.*

6 Deserto eo qui vocavit vos. ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς. *Ad verbum, Ab eo qui vocavit vos. nempe à me, id est, à meo Evangelio. per hoc enim illos vocaverat Paulus: & hanc expositionem postulat antithesis.* In gratiam. ἐν χάριτι. *Pro* εἰς χάριτα. *Est* ἑβραϊσμός *Hebraa.* Transferri. *Nẽpe per pseudapostolos.* In aliud Evangelium. *id est, in aliam doctrinam de consequenda salute, quam pseudapostoli pro Evangelio vobis obtendunt. Dictum per concessionem, sicut*

ad Co-

ad Corinthios vocat prædicationem stultam, 1. Cor. 1. v. 21.

7 Quod non est aliud ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο. *Bene D. Beza hæc verba exponit per ista, μὴ ὄντος ἄλλου, id est, Quum tamen non sit aliud, scil. Evangelium. Voc averat enim superiore versu* Evangelium aliud *per concessionem: quam hic corrigit.*

8 Præter *id* quod. παρ' ὃ, *id est, diversum ab eo quod. Sic versu sequente.*

9 Si quis vobis evangelizaverit. εἴ τις ὑμῖν εὐαγγελίζηται. *Fortasse pro* ὑμῖν *legendum* ὑμᾶς: *sicut modò locutus est versu superiore. Vel deficit præpositio* πρός, *ut legendum sit,* πρὸς ὑμᾶς, *apud vos.* Accepistis. παρελάβετε. *Nempe* παρ' ἐμοῦ, *à me.*

10 Utrum homines an Deum suadeo? ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν θεόν; *id est, utrum suadeo ut hominibus credatis, an potiùs ut credatis Deo, à quo scilicet doctrinam meam accepi? Quasi dicat, Certè non illud suadeo, sed hoc. Novè dictum. nam usitatè significarent ista verba,* Utrum hominibus suadeo, an Deo? *qua sententia huc non quadrat.* Aut quæro. ἢ ζητῶ. *id est, Aut num studeo hominibus placere, num hunc mihi scopum propositum habeo in Evangelio prædicando? quasi dicat, Minimè.* Adhuc. ἔτι. *Scilicet sicut olim, ante meam conversionem, quum placebam primoribus Judæorum persequendo Ecclesiam Dei.*

11 Non esse secundùm hominem ὅτι οὐκ ἔστι κατὰ ἄνθρωπον. *Hoc mox ipse declarat versu sequente.*

12 Ab homine. *Scilicet nudo. Vidè suprà versu primo.* Patefaciente id mihi Jesu Christo. δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Ad verbum, Per patefactionem seu revelationem Jesu Christi. Sensu dilucidè expresso. Genitivus hic notat causam agentem, non autem subjectum.*

13 Quomodo versatus sim. τὴν ἐμὴν ἀναστροφήν. *Ad verbum, Meam conversationem.* Summè πρὸ ὑπερβολήν. *Ad verbum, Secundùm superlationem seu excellentiam, id est, summo studio atq; conatu. Vide Actor. 9.* Vastasse. ἐπόρθουν. *Metaphora à re militari. nam* πορθεῖν (*quod & πέρθειν apud Poëtas*) *propriè dicitur de vastationibus ac populationibus agrorum & urbium.*

14 Æquales. συνηλικιώτας. *Græca vox expressior est,*

notans eos qui sunt in æquali ævo, hoc est, qui ejusdem sunt ætatis. ἡλικία enim primò staturam, deinde per metonymiam effecti ætatem significat: quia ætatis incrementum statura sequitur. Aliàs dicuntur ἐν ὁμήλιξες: Latinè autem æquales per synecdochen generis. Sic Cicero lib. 3. de Offic. in principio, Catonem dicit fuisse ferè æqualem Scipionis. In genere meo. ἐν τῷ γένει μου. Id est, in gente mea, nempe Judaica, seu in gentilibus meis, ut 2. Cor. 11. v. 26. Quum vehementiore studio tenerer. περισσοτέρως ζηλωτὴς ὑπάρχων. Ad verbum, Abundantiùs Zelotes existens. Nomen ζηλωτὴς, quasi dicas Zelator, ein eyferer I deductum est à verbo ζηλόω, quod ipsum à nomine ζῆλος, zelus, studium vehemens & ardens in re quapiã inviolata conservanda: quale est studiũ mariti in inviolata conservanda pudicitia uxoris. Tale studium notatur illis verbis, Zelus domus tuæ comêdit me. Et sic in secundo decalogi præcepto Deus dicitur Zelotes respectu honoris sui quem illibatum conservari vult, & respectu sui populi quem non vult pollui spirituali scortatione idololatria. Traditionum quas à patribus meis acceperam τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων. Ad verb. Patriarum sive paternarum mearum traditionum. Puto Apostolum intelligere non tam traditiones ab hominibus excogitatas (quales de Pharisæis narrant Evangelistæ, in quorum numero ipse quoque fuit, Act. 23. v 6.) quàm traditiones sumtas ex Lege Dei: veruntamen infectas falsa opinione justitiæ per illarum observationem consequendæ coram Deo. id quod colligo ex collatione similis loci Philip 3. v. 6. ubi sic de sese loquitur, Quod ad Zelum attinet, persequens Ecclesiam: quod ad justitiam quæ est in Lege, irreprehensus.

15 Qui separavit me Scilicet ad Apostolatum. Inde ab utero. ἐκ κοιλίας. id est, Ex eo tempore quo eram in utero. Idcirco adjectum est adverbium Inde, ad evitandum homonymiam. Similiter Dominus ajebat de Jeremia, quòd eum sanctificaverit ad munus propheticum antequam prodiret ex utero, Jer. 1. v 5 Vocavit. scil. ad Apostolatum.

16 Retegere. ἀποκαλύψαι. Vel patefacere, scil per prædicationem Evangelij, sicut mox sequitur. Per me. ἐν ἐμοί. id est, δι' ἐμοῦ. Hebraismus. Non statim rem communicavi cum carne & sanguine, &c. οὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ

καὶ αἵματι. *Hîc incipit consequens enuntiati relativi, cujus antecedens incepit versu præcedente in principio*, ὅτε δὲ εὐδόκησεν &c. *Consequens autem istud continuatur per versum sequentem hoc verborum ordine: Quando verò placuit Deo, patefacere filium suum per me: statim abii in Arabiam, non* autem priùs *rem communicavi cum carne & sanguine, &c. Cæterùm verbum* προσανατίθεσθαι *idem hîc censeo significare quod simplex* ἀνατίθεσθαι, *id est, consulere amicum vel fidum hominem & consultum, ac consilium suum vel negotium ei exponere, quemadmodum hoc verbum exponit Budæus infrà cap. 2. v. 6. ubi Paulus ait*, ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. *id est, Budæo interprete, Mecum enim qui in primis censebantur, nihil communicaverunt, me consultore non sunt usi, consilia mecum sermonemq́; non contulerunt. Et ad hanc interpretationem confirmandam affert ex Diodoro Siculo, de Alexandro*, τοῖς μάντεσι προσαναθέμενος περὶ τοῦ σημείου, *id est, Quum super portento illo Chaldæos consuluisset. Ergo hîc*, οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, *idem valet ac si Latinè dicas: Non adhibui in consilium carnem & sanguinem, non cum civibus & gentilibus meis, neq́; cum Apostolis, consilia de Evangelica provincia mihi mandata divinitus, communicavi: sed statim profectus sum ad Gentes. Facit quoq; ad hanc verbi* προσανατίθεσθαι *significationem confirmandam, ac proinde ad hunc locum illustrandum locus quem affert Henricus Stephanus in præclaro illo suo Thesauro, ex Luciano in initio Jovis tragœdi*, ὦ Ζεῦ, τί σύννους καὶ καταμόνας λαλεῖς, ὠχρός, περιπατῶν, φιλοσόφου τὸ χρῶμα ἔχων; ἐμοὶ προσανάθου, λάβε με σύμβουλον πόνων. *id est, O Jupiter, quid meditabundus & solitarius loqueris, pallidus, obambulans, Philosophi colorem habens? Mecum communicato, cape me consultorem laborum.* Cum carne & sanguine. *id est, Cum hominibus. Sic Ephes. 6. 12. Non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem. Metonymia materiæ synecdochica. Ex carne enim & sanguine homines constant, sed non ex his solis.*

17 Neque redii. *Hîc exponit quod modò dixerat, se non communicasse rem cum carne & sanguine.*

19 Fratrem. ἀδελφόν. *id est, cognatum, nempe consobrinum.*

20 Coram Deo *affirmo*. ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. *Supple* ἀποφαίνομαι. *Est formula jurandi, pro* τὸν θεὸν μαρτύρομαι, *Deum testor: vel* μάρτυς μου ἐστὶν ὁ θεός, *Deus mihi testis est. sicut loquitur Rom.1.v.9. Philip.1.v.8. Non sunt autem hæc verba parenthesi includenda: quia aliquin hiabit oratio: quum conjunctio* ὅτι *in verbis sequentibus* ὅτι ὁ ψεύδομαι, *pendeat à verbo* ἀποφαίνομαι *subintellecto.*

21 Regiones. κλίματα. *Ad verbum, Inclinationes. Sic appellantur à Geographis terrarum tractus,* παρὰ τὸ κλίνειν, *ab inclinando: quòd partes terræ propter ipsius rotunditatem à polis aliæ aliis plus declinent.*

23 Qui persequebatur. ὅτι ὁ διώκων. *Conjunctio* ὅτι *hic servit mimesi seu prosopopœiæ, id est, verborum alienorum directæ recitationi: itaq; in vertendo omitti solet, & pro μιμήσεως signo notari literâ majusculâ à principio sententiæ. Est autem hic modus loquendi sacris scriptoribus, & maximè Evangelistis familiaris.* Fidem quam olim vastabat. πίστιν ἣν ποτε ἐπόρθει. *id est, Fidem propter quam olim vastabat Ecclesiam, sicut suprà v.13 magis propriè loquutus est. Duplex igitur hoc loco tropus est: metonymia subjecti in vocabulo* Fidem, *pro Ecclesiam fide prædutam: & metaphora in verbo* vastabat.

24 Glorificabant ἐδόξαζον. *Laudabant, gloriam bonitatis & misericordiæ illi tribuentes, quam erga Paulum exseruerat.* De me. ἐν ἐμοί *Id est,* περὶ ἐμοῦ. *Hebraïs. Sic Psal. 87.v.3. Præclara dicuntur in te ô civitas Dei. id est, de te. Item Psal.63.v.7. In vigiliis meditabor in te, id est, de te.*

OBSERVATIONES EX CAP. I.

Ex ℣.1. Nemo ad docendum Evangelium accedat, nisi vocatus à Deo; exemplo Pauli. Confer Hebr. 5. ℣. 4. & 5. Jerem. 23. ℣. 21.

Ex eodem versu. Vocatio ministrorum Verbi duplex est: una immediata, qualis fuit Prophetarum & Apostolorum qui immediatè à Deo ipso ad docendum Ecclesiam vocati ac missi sunt: altera mediata, quæ fit per Ecclesiam.

Ex eodem versu. Christus non est nudus homo, sed aliquid amplius, videlicet verus ille & æternus Deus.

Ex

Ex eodem versu. Non est putandum, suscitationem Christi ex mortuis, esse opus solius Patris, eò quòd illi soli hìc adscribitur: nam alia Scripturæ loca docent, idem opus esse etiam ipsius Christi, necnon Spiritus sancti. Dixit enim Christus Johan. 10. ℣. 18. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus eam assumendi. Et Paulus Rom. 1. ℣. 4. affirmat, Christum declaratum esse filium Dei potenter secundùm spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis: id est, ex eo quòd propriâ virtute resurrexit à mortuis. Item quòd Pater Christum excitaverit per Spiritum sanctum, colligitur ex verbis ejusdem epistolæ cap. 8. ℣. 11. Acomnino opera S. Trinitatis quę nominantur Ad extra (id est, quæ fiunt extra Dei essentiam) sunt indivisa, id est, tribus illis personis communia. ἀπ. λύσ.

Ex ℣. 2. Doctori Ecclesiæ imitanda est modestia simul & prudentia Pauli: qui epistolam hanc fratribus (hoc est, ministris Verbi) quos secum habebat, communem facit, ut significatione consensus illorum faciliùs veritatem Evangelii Galatis persuadeat. παρ.

Ex ℣. 3. Qui gratiam seu favorem Dei in cordibus suis persentiscunt, certò persuasi se pacem habere apud Deum, seu Deo reconciliatos esse per Christum, ac proinde pacatâ & tranquillâ conscientiâ fruuntur, illi verè beati sunt: quia Apostolus Galatis veram felicitatem optaturus, hæc ipsa eis optat. διδ.

Ex ℣. 4. Sacrificium quo peccata nostra expiata sunt, itemque pretium quo nobis parta est æterna redemtio & salus, est sola mors Christi: quatenus nimirum dum eâ afficeretur, sensit pro nobis iram Dei adversus nostra peccata. Ac proinde sola hujus mortis obedientia est ea res quæ nobis ad justitiam à Deo imputatur: quippe quum illa nostra justitia in peccatorum remissione consistat, ut colligitur ex verbis Apostoli Rom. 4. ℣. 6. & 7. διδ.

Ex ℣. 5. Quoties recordamur beneficiorum Dei: in gratiarum actionem & celebrationem nominis divini erumpere nos decet. περισ.

Ex ℣. 6. In exemplo Galatarum consideranda nobis ac deploranda est ingenii nostri vanitas: qua fit ut facilli- διδ.

mè à veritate deficiamus, nisi divinitus retineamur. Ostendunt hoc ipsum & alia exempla: ut Aaronis & populi Israëlitici facientis sibi vitulum aureum, dum Moses in monte moratur. Sic populus Judaicus Christo acclamabat, Hosianna filio David: at paulo- pòst quum viderent sacerdotes & seniores populi Christum persequi, clamabāt, Crucifige. Oremus igitur Deum, ut possimus
πασδ. constanter veritatem confiteri, nec patiamur nos circumagi quovis doctrinæ vento.

ἐπ. Ex ℣. 2. Notandum, vehementer peccare eos qui sophismatis suis simpliciores turbant, dum scilicet volunt videri doctores Evangelii, & interim doctrinam Evangelio Christi repugnantem admiscent.

διδ. Ex ℣. 8. & 9. Ex ista exsecratione qua utitur Paulus: discamus, quàm sancta atque inviolabilis sit veritas Evangelii: & quàm graviter Deus vindicaturus sit violationem seu adulterationem illius. Itaque ab hoc tanto scelere nobis caveamus, & contrà constanti veritatis confessione Deum glorificemus.

πασδ. Ex ℣. 10. Diligenter hìc observent pastores Ecclesiarum, ne studeant placere hominibus, hoc est, ne doctrinam flectant ad appetitus auditorum: sed ut sincerè Christum prædicent.

διδ. Ex ℣. 12. Notetur testimonium de deitate Christi.

πασδ. Ex ℣. 13. Imitanda est ingenua confessio Pauli: qualis etiam exstat 1. Timoth. 1. ℣. 15. & 16. Tales confessiones pertinent ad gloriam Dei, nempe ad celebrandum misericordiam ipsius erga nos.

ἐλ. Ex ℣. 14. Non quicquid à patribus accepimus, rectum & retinendum est. nam Paulus fatetur se peccasse, dum traditionibus patriis addictus doctrinam Evangelii odio habuit & hostiliter persecutus est.

διδ. Ex ℣. 15. Quicunque legitimè ad ministerium Evan-
πασδ. gelii vocatus est, statuat se inde ab utero matris ad illud à Deo separatum seu sanctificatum esse: idque ex singulari gratia: ac proinde in illo administrando summam diligentiam ac fidem præstet.

διδ. Ex ℣. 20. Quum interesse videmus gloriæ Dei & salu-
πασδ. tis Ecclesiæ, ut verbis nostris fides habeatur: jurejurando

ea

ea confirmare licet, si necessitas ita postulare videatur.

Ex ℣.24. Quum videmus proximum à sua pravitate ad Deum esse conversum, bonitatem Dei prædicare debemus. *vide.*

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Pergit in instituta narratione: deinde demonstrat, hominem justificari fide: postremò objectionem refutat.

DEinde interjectis annis quatuordecim, rursum ascendi Hierosolymam unâ cum Barnaba, assumto simul & Tito.

2 Ascendi autem ex revelatione, & exposui eis Evangelium quod prædico inter Gentes: sed privatim iis qui putantur *esse aliquid*, ne quo modo frustra currerem aut cucurrissem.

3 Sed neq; Titus qui mecum erat, quamvis esset Græcus, coactus fuit circumcîdi.

4 Nempe propter irreptitios falsos fratres, qui irrepserant ad explorandam libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu; ut nos in servitutem adigerent.

5 Quibus ne ad momentum quidem cessimus per subjectionem: ut veritas Evangelii permaneret apud vos.

6 Ab iis autem qui putantur esse aliquid (quales olim fuerint, nihil meâ refert; faciem enim hominis Deus non accipit) ii inquam qui putantur *esse aliquid*, nihil mecum communicarunt.

7 Imò è contrario, quum vidissent mihi concreditum fuisse Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis:

8 (Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit etiam per me apud Gentes.)

9 Quumq; cognovissent gratiam mihi datam Jacobus & Cephas & Joannes, qui putantur esse columnæ; dextras dederunt mihi ac Barnabæ societatis: ut nos apud Gentes, ipsi verò apud circumcisos, *Apostolatu fungeremur*.

10 Solùm *monuerunt* ut pauperum meminissemus: quod & ipsum studui facere.

11 Quum autem venisset Petrus Antiochiã, in os ei restiti, eò quòd condemnandus esset.

12 Nam antequam venissent quidam à Jacobo, unâ cum Gentibus edebat: quum autem venissent, subduxit sese ac separavit ab eis, metuens eos qui erant ex circumcisione.

13 Ac simulabant unâ cum eo reliqui etiam Judæi: adeò ut etiam Barnabas simul abreptus fuerit illorum simulatione.

14 Sed quum viderẽ eos nõ recto pede incedere, ut veritati Evangelii cõgruebat, dixi Petro corã omnibus, Si tu, quũ sis Judæus, Gentiliter vivis, ac nõ Judaicè: cur Gentes cõgis Judaizare?

PRimùm narrat, quomodo Evangelium suum approbarit reliquis Apostolis: deinde, quomodo iis consentientibus non sit coactus circumcidi Titus, quum id urgerent falsi fratres: tum quomodo præcipui inter Apostolos apostolatu ipsius approbato, dextras societatis sibi ac Barnabæ dederint, & curam pauperũ suorum ipsis mandaverint, ut nimirum pro illis eleemosynam colligerent apud Gentes. Postremò narrat, quibus verbis Petrum palàm reprehenderit Antiochiæ, quum is in gratiam Judæorum quorundam Hierosolymitanorum Judaizans, gentes quæ crediderant offendisset. Etsi autem

autem hanc prosopopœiam nonnulli comprehendi putant solo versu decimoquarto: tamen probabilius est, eam continuari deinceps ac extendi ad finem usque capitis: propterea quòd initio capitis sequentis ἀναφώνησιν ad Galatas renovat, atque ita novam orationem orditur, aggrediens nimirum ipsam disputationem, postea quam narrationem de suo apostolatu absolvit.

15 Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores:

16 Quum sciremus non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidē Jesu Christi: etiam nos *inquam* in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quòd non justificabitur ex operibus Legis ulla caro.

Hæc sermocinatio Pauli cum Petro continet demōstrationem quæstionis controversæ de justificatione per solam fidem, & refutationem objectionis contrariæ. Demonstrationis sententia hæc est: Nos quantumvis Judæi sumus, quibus nimirum Lex peculiariter à Deo data est: tamen experientiâ & verbo Dei edocti, hominem ex operibus Legis justificari non posse, quippe quum nemo Legem perfectè possit præstare: credidimus in Christum ut justificaremur ex fide: Ergo pari ratione ac multo magis docendum est, gentes quibus Lex data non est, ex fide justificari, non autem ex Lege. Vis hujus demonstrationis posita est in syllogismo hoc disjuncto:

Aut ex operibus Legis justificamur, aut ex fide.
Non autem justificamur ex operibus.
Ergo ex fide.

Necessitas disjunctionis pendet ex necessaria partium oppositione. nam justitia quâ coram Deo justi censemur ac pronuntiamur, necessariò aut nostra est aut aliena. *Nostra*, id est, ex viribus nostris orta & meritis nostris acquisita. *Aliena*, id est, aliunde in nos profecta, nobisq; ex mera gratia donata atq; imputata. Jam verò justitia nostra, nihil aliud est quàm justitia quæ est ex Lege, ut expressè docet Paulus Philip. 3. ℣. 9. Contrà justitia aliena,

est justitia Christi (hoc est, parta morte Christi) per fidem nobis imputata, ut ibidem Apostolus docet. Ergo sicut necessarium disjunctum est: Justificamur aut nostrâ justitiâ, aut alienâ: sic etiam necessariũ disjunctum est hoc æquipollens, Justificamur aut ex operibus Legis, aut ex fide. Assumtionem confirmat testimonio Scripturæ: videlicet ex Psal. 143. ℣. 2. ubi David ait, Ne intres in iudicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens. quem locum Apostolus verbis parum permutatis, sensu tamen verborum retento, citat. Atque hæc est præsentis loci demonstratio.

17 Quod si, dum quærimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores; num Christus peccati minister est? Absit.

18 Nam si quæ destruxi, ea rursum ædifico, transgressorem meipsum constituo.

19 Ego enim per Legem Legi mortuus sum, ut Deo viverem.

20 Unâ cum Christo crucifixus sum. Vivo autem, non ampliùs ego; sed vivit in me Christus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei; qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Demonstrationi subjungit refutationem objectionis contrariæ. Objectio est alicujus Judæi, constans sorite, quanquam non satis expresso. Sorites hic est: Si nos Judæi quærimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores: si reperimur & ipsi peccatores, Christus peccati minister est. Ergo si nos Judæi quærimus justificari per Christum, Christus peccati minister est. Hoc sorite continentur duo syllogismi: quorum principalis hic est:

Si nos Judæi reperimur & ipsi peccatores, Christus peccati minister est.

At prius.

Ergo & posterius.

Altero syllogismo approbatur assumtio syllogismi principalis:

Si nos

Si nos Judæi quærimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores.

Sed prius. Ergo & posterius.

Paulus primùm negat & per detestationem rejicit consequens syllogismi principalis: deinde negationem hanc confirmat à contrario: Ego, inquit, ita prædicavi justificationem per Christum, ut simul destruxerim peccatum, id est, docuerim, eos qui per Christum justificantur, per ejusdem quoque spiritum sanctificari, ne peccatum in eis regnet: Non igitur prædicando justificationem per Christum, atq; ita omnes homines peccati convincendo, ædificavi peccatum, quasi scilicet Christus peccati minister esset, ita ut justificatis per Christum liceret peccare. Hanc responsionem amplificat prolepsi: cujus objectio est: At tu doces te Legi esse mortuum, id est, te à Lege esse liberatum: Ergo nõ destruis peccatum, sed ædificas: quippe quum sola Lex justitiæ regula sit. Apostolus negat consequentiam, quatenus exponit finem liberationis sui à Lege. Simul autem etiam liberationis formam seu modum exponit. Ego, inquit, mortuus sum Legi per Legem, ut Deo viverem, quasi dicat, Ego per maledictionem Legis eò sum adductus ut fiduciam in Lege collocare desierim: non tamen propterea Legis doctrinam rejeci, quasi non sit regula justitiæ seu justæ & sanctæ vitæ: sed ideo fiduciam meam à Lege in Christum transtuli, ut virtute Christi per fidem in me habitantis viverem Deo, id est, viverem justè & sanctè ad gloriam Dei. Porrò hanc sententiam de virtute Christi per fidem in se habitantis, pluribus verbis declarat versu 20. inquiens, *Unà cum Christo crucifixus sum.* id est, Per fidem in Christum crucifixum hoc sum adeptus ut caro mea crucifixa sit cum concupiscentiis suis, quemadmodum alibi loquitur, inf. 5. ℣. 24. Hanc sententiam illustrat à contrariis. nam crucifixioni atq; adeò mortificationi carnis opponit vitam spiritus, quã nimirum Christus per spiritum suum cordibus credentium inspirat. ait igitur, *Vivo autem, non amplius ego, sed vivit in me Christus.* quasi dicat, Ego non ampliùs vivo ex ductu liberi mei arbitrii, sed ex ductu spiritus Christi. id quod

declarat sequentibus verbis, inquiens: *Et vitam quam nunc vivo in carne* (id est, in hoc mortali corpore) *vivo per fidem filii Dei.* id est, ita vivo ut studeam sanctitati: quod studium fides necessariò ex se parit, quemadmodum supra est declaratum. Porrò fidem suam declarat verbis sequentibus, ubi ait: *Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* quibus verbis significat, se ad studium sanctitatis permoveri consideratione summi amoris Christi erga ipsum & summi beneficii ex illo amore ipsi præstiti, nempe quòd morte sua ipsum è potestate diaboli redemit, peccata scilicet ipsius expiando.

21 Non abrogo gratiam Dei. nam si per Legem est justitia, igitur Christus frustra mortuus est.

Hîc addit secundum argumentum ad confirmandum assumtionem syllogismi, quo concluſa est quæstio principalis de justificatione fidei. Hoc argumentum est ab eventu, videlicet consequente absurdo:

Si docerem, nos justificari ex Lege, abrogarem gratiam Dei:
At non abrogo gratiam Dei.
Ergo nec doceo, nos justificari ex Lege.

Hujus syllogismi propositionem confirmat his verbis: Nam si per Legem est justitia, Christus frustra mortuus est: ac proinde gratia Dei abrogatur, qui Christum pro nobis in mortem dedit. Hoc argumentum sumtum est à fine mortis Christi, Christus enim ideo mortuus est ut nobis justitiam sua morte partam donaret: quum nos justitiâ propriâ quæ est ex Lege, videret destitui.

SCHOLIA IN CAP. II.

2 Interjectis annis quatuordecim. Διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν. *Ad verbũ, Per quatuordecim annos. præpositione* διὰ *notatur tractus temporis quem Paulus vivendo quasi peragraverat, progrediendo ab uno termino seu temporis puncto ad alterum.* Unâ cum Barnaba. *De hoc Barnaba vide in Actis cap. 11. v. 22. & deinceps.* Tito. *Hic est Titus ille ad quem exstat Pauli epistola.*

2 Ex

2 Ex revelatione. κατ' ἀποκάλυψιν. *Id est*, Jussus à Deo per revelationem. Exposui. ἀνεθέμην. *Ad verb.* Deposui. *scil. tanquam in sinum, familiari declaratione. Potest etiam verti*, Communicavi cum eis Evangelium, &c. *ut* τὸ ἀνατίθεσθαι *idem hic significet quod sup. cap. 1. v 16.* τὸ προσανατίθεσθαι: *ubi fusiùs istius verbi usum exposuimus.* Privatim. κατ' ἰδίαν. *quasi dicat, Quam familiarissimè ac liberrimè, ut inter amicos privatim colloquentes fieri solet.* Iis qui putantur *esse aliquid.* τοῖς δοκοῦσι. *Ad verb. Iis qui videntur. Scilicet* εἶναί τι, *esse aliquid. id est, Iis qui in pretio & honore habentur, qui magnifiunt, quorum magna est authoritas. hinc* δόξα, opinio: *& per synecdochen generis* gloria: *quia gloria est opinio praclara de alicujus sapientia & virtute. Porrò istud supplementum sumsimus ex versu sexto, ubi eodem sensu nominat* τοὺς δοκοῦντας εἶναί τι *&* τοὺς δοκοῦντας *simpliciter, idq; de iisdem loquens de quibus hic.* Frustra. εἰς κενόν. *Ad verb. In vanum. id est, Absq; fructu. Fuisset enim fructus prædicationis Pauli apud multos, præcipuè Judæos, interceptus, si putatus fuisset diversam à reliquis Apostolis doctrinam tradere.* Currerem, &c. *Currendi verbo significat suum studium in Evangelio prædicando, elegantè metaphorâ, ductâ ab iis qui in stadio currunt & cursu certant: quæ similitudo Paulo familiaris est. Vide 1. Cor. 9. circa finem, item 2. Tim. 4. v. 7. & 8.*

3 Quamvis esset Græcus. ἀλλ' οὐδέ. *id est*, καίπερ ἕλλην ὤν. Non fuit coactus. *id est*, *Non sum passus ut cogerentur: sicut intelligitur ex versu sequente.*

4 Nempe propter. διὰ δέ. *Vel*, Sed propter. *ut sit expositio causæ* παρεπιδημίας. *quasi dicat, Quod quidem feci (ut nimirum non paterer Titum circumcidi) non propter circumcisionis contemtum, sed propter irreptitios, &c. nempe ne illi possent nocere Ecclesiis, abusi nostro exemplo: quasi nimirum & ego circumcisionem adhuc necessariam docerem.* Irrēptitios. παρεισάκτους. *Sic nominantur qui nemine observante seu animadvertente in cœtum aliquem introducuntur aut sese ipsi insinuant, quasi* εἰσαχθέντες παρὰ παρατήρησιν, *præter observationem seu animadversionem, i.e. (ut dixi, nemine observante seu animadvertente, hoc est* clàm. Die da heimlich in ein Gemeine eynschleichen/also

daß man jhr falsch gemüt nicht mercket. *Hæc enim videtur hîc esse vis præpositionis* παρά. *Sic namq; Græci dicunt aliquid fieri* παρ' ὑπόνοιαν, *præter suspicionem, id est, aliter quàm quis suspicaretur: item* παρὰ θεωρίαν, *præter exspectationem, id est, aliter quàm quis exspectaret.* Falsos fratres. ψευδαδέλφους. *Sic vocat hypocritas qui præ se ferebant se unâ cum Apostolis & sinceris pastoribus doctrinam Evangelii promoturos, atque idcirco sese illis adjungere.* Irrepserant. παρεισῆλθον. *Ad verb. Præter ingressi fuerant, nempe præter animadversionem doli ipsorum: ut modò declaravimus in nomine* παρεισάκτους. Libertatem. τὴν ἐλευθερίαν. *Intelligit libertatem qua Christiani liberati sunt à ceremoniis Legis. Sic mox* Servitutis *vocabulo intelligit obligationem ad observandum ceremonias Legis.*

6 Ab iis autem qui putantur esse aliquid. ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναί τι. *In hac sententia est* ἀνακολουθον, *quod posset perfici verbo* ἐδιδάχθην, *edoctus fui: quo usus est suprà cap. 1. v. 12. Sed huic anomaliæ medetur epanalepsis, quanquam alio loquendi modo concepta, ibi,* ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες, οὐδὲν προσανέθεντο. *Non prorsus dissimilis anomaliæ exemplum exstat Rom. 5. v. 12. & 14. ubi* παράστασις *comparationis in principio versus duodecimi relinquitur* ἀνακολούθως: *deinde versu 14. in fine sententia* ἀποδόσεως *annectitur: sed aliâ loquendi formâ quàm ut verba protasi respondeant. Puto autem, Apostolum hoc loco per parenthesin opinioni vel potiùs jactationi pseudapostolorum, Apostolos reliquos suprà Paulum extollentium, opponere eorundem vilem & contemtibilem conditionem: ut qui pauperculi piscatores fuissent. Et ut ita sentiam, moveor ratione quam subnectit, ubi ait,* Faciem hominis Deus non accipit. *quasi dicat, Equidem illos non contemno, quamvis per sese vilis conditionis fuerint: scio enim, Deum externa ista non spectare in hominibus æstimandis. Conjunctio autem* γὰρ, *tantummodò epanalepsi servire videtur. Et ad hunc modum etiã Syrus interpres sententias hujus versiculi distinguit.* Ii inquam, &c. ἐμοὶ γὰρ. *Conjunctio* γὰρ (*ut modò admonuimus*) *epanalepsi servit. Repetit enim hîc sententiam in principio versus inchoatam, eamq; absolvit: sed alio loquendi modo.* Qui putantur esse aliquid. οἱ δοκοῦντες. *Supple* εἶναί τι, *ex principio versus.*

verſus. Nihil mecum communicarunt. ἐμοὶ γὰρ οὐδὲν προσανέθεντο. *De hujus verbi ſignificatione vide ſuprà cap. 1. v. 16. Sententia hujus loci eſt, Apoſtoli quum eos inviſiſſem Hieroſolymis, nullo conſilio me inſtruxerunt, quid aut quomodo docendum mihi eſſet.*

7 Mihi concreditum fuiſſe Evangelium præputii. ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας. *hoc eſt, mihi à Chriſto commiſſam atq; mandatam eſſe prædicationem Evangelii apud præputiatos ſeu incircumciſos, id eſt (ut uſitatè appellantur) Gentes. Gemina metonymia; una ſubjecti, in vocabulo* Evangelii: *altera adjuncti, in vocabulo* Præputii. *Sic mox* Circumciſio *dicitur pro circumciſis ſeu Judæis.*

8 Efficax per Petrum. ἐνεργήσας Πέτρῳ. *Participium regit dativum vi præpoſitionis ἐν: quanquam ſimplex ἐργεῖν non eſt in uſu, ſed ἐργάζεσθαι.*

9 Gratiam mihi datam. τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι. *Hoc vel intelligendum eſt de efficacia miniſterii atq; apoſtolatus Pauli, vel ſimpliciter de ipſo apoſtolatus munere: quod & alibi gratiam appellat: ut Rom. 1. v. 5. ubi ait, Per quem accepimus gratiam & apoſtolatum.* Utro modo accipias, *eſt metonymia efficientis. nam & ex gratia Deus Paulum ad apoſtolatum vocavit, & ex gratia per apoſtolatum ejus efficax fuit.* Jacobus. *Nempe frater Domini, ſup. cap. 1. v. 19.* Cephas. *id eſt, Petrus. Vox Syriaca eſt, pronuntianda per K, quaſi ſcriptum ſit Kephas. Idem ſignificat quod Græcè πέτρα, Latinè lapis.* Qui putantur eſſe columnæ. *Scilicet Eccleſiæ, quibus Eccleſia tanquam columnis nitatur. Tantam eis authoritatem tribuebant pſeudapoſtoli. Pro hoc ſuprà verſ. 6. dixit,* οἱ δοκοῦντες εἶναί τι. Dextras dederunt. *quaſi dicat, Non contemſerunt me, ut iſti pſeudapoſtoli: ſed pro Apoſtolo me agnoverunt.* Apud circumciſos. εἰς τὴν περιτομήν. *Ad verbum, Apud circumciſionem. Metonymia adjuncti.* Pauperum. *Nempe pauperum Chriſtianorum qui tunc erant Hieroſolymis.* Meminiſſemus. *Id eſt, ut apud Eccleſias pro eis colligeremus eleemoſynam.*

10 Quod & ipſum ſtudui facere. ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι. *Hic πλεονάζουσι duo pronomina αὐτὸ τοῦτο: ex more Hebræorum quidem αὐτό: τοῦτο autem tanquam iſtius gloſſema videtur in textum irrepſiſſe.* Studui facere. *Vide in*

utrâq; epistola ad Corinthios: in priore quidem, caput decimumsextum: in posteriore verò, octavum & nonum.

11 Antiochiam. *Vide Actor. 11. v. 20. & deinceps: item Act. 13. v. 1.* In os. κατὰ πρόσωπον. *Ad verb. Secundùm faciem. Germani dicunt,* vnder augen/ *id est, sub oculis.* Ei restiti. *Eum propter hypocrisin reprehendi: sicut sequentia declarat.* Condemnandus. κατεγνωσμένος. *Ad verbum, Condemnatus. pro* κατεγνωστέος, *condemnandus seu condemnabilis, dignus qui condemnaretur, hoc est, cujus factum damnaretur peccati. Neque enim hoc de æterna hominis damnatione intelligendum est.*

12 A Jacobo. *id est, Hierosolymis. Metonymia adjuncti. Sic apud Terent. Eamus ad me, id est, Eamus domum meã.* Cum Gentibus. *Cum præputiatis seu incircumcisis.* Edebat. *nempe quosvis cibos, etiam Lege vetitos.* Metuens eos, &c. *Id est, Metuens ne eos offenderet, néve in eorum reprehensionem incurreret, tanquam contemtor vel certè transgressor Legis Dei.* Eos qui erant ex circumcisione. *Id est, Christianos illos qui ex Judæis erant.*

13 Reliqui. *Nempe qui jam antea Antiochiæ degebant.* Adeò ut etiam Barnabas simul abreptus fuerit. ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη. *Exaggerat illam Petri simulationem ex effectis per comparationem imparium. Porrò* ὥστε *hoc sensu cum indicativo constructum (quum usitatius regat infinitivum) crebrò reperitur apud Demosthenem.* Illorum simulatione. αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. *id est, Per illorum simulationem. Potest etiam verti,* In illorum simulationem, *id est, eò ut unà cum ipsis simularet: nempe se ceremonias Legis putare Christianis necessarias observatu.*

14 Sed quum. ἀλλ' ὅτε. *Pro* ὅτε ἂν, *Quum igitur. Est enim quædam epanalepsis, quâ transit ad declarandum, quomodo Petro restiterit, eumq; propter hypocrisin illam objurgarit.* Non recto pede incedere. ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι. *Elegans metaphora: qualis erat & illa prophetæ Eliæ, Quamdiu claudicabitis, &c.* Ut veritati Evangelii congruebat. πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου. *Verbo tenus, Ad veritatem Evangelii. Præpositio* πρὸς *hîc notat collationem & quasi commensum.* Si tu &c. *id est, Si tu ante aduentum istorum usus es libertate vivendi Gentiliter, id est, quibus-*

vis

vis cibis vescendi more Gentium: quum tamen sis Judæus & non Gentilis: Ergo multò magis hanc libertatem permittere debes ipsis Gentibus: quippe quibus Lex ceremonialis non est lata, quique in ea non sunt educati. At tu non cogis Gentes Judaizare, tuo nimirum exemplo: quum nolis ampliùs illâ libertate uti.

15 Nos naturâ Judæi. *Pergit recitare verba quibus reprehendit Petrum, usque ad finem capitis. Causam verò cur prosopopœia instituta non videatur absolvi versu superiore, in Analysi indicavimus.*

16 Sed per fidem. ἐὰν μὴ διὰ πίστεως. *Ad verbum, Nisi per fidem. Est ellipsis formulæ exegeticæ,* τοῦτ' ἔστι. *Integra enim oratio esset,* Scientes non justificari hominem ex operibus Legis. *id est, non justificari eum* nisi per fidem. *Sententia tamen rectè exprimitur, si* ἐὰν μὴ *exponatur hic per* ἀλλὰ. *Cujus quidem conjunctionis adversativæ vim persæpe habet: ut sup. 1.7. 1. Cor. 7.17. Quod ipsum partim ex antithesi ipsarum rerum, partim ex origine conjunctionis* ἀλλὰ *intelligi potest. Nam* ἀλλὰ *ortum est è Syriaca voce* אֶלָּא (*ellò*) *quæ ipsa orta est è duabus vocibus Hebraïs* אִם לֹא (*im lo*) *quæ Græcè sonant* ἐὰν μὴ *vel* εἰ μή. *Similia exempla vide Matth. 12.4. Johan. 15.4. Apoc. 9.4. & cap. 21. vers. 27.* Non justificabitur ulla caro. οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ. *Ad verb. Non justificabitur omnis caro. Collocatio verborum Hebraica: Ordo nativus est, Omnis caro non justificabitur. pro quo Græci dicunt,* οὐδεμία σὰρξ δικαιωθήσεται: *Latini verò, Nulla caro justificabitur. Hic Hebraismus etiam exstat Rom. 3. v. 20.* Caro. σὰρξ. *id est, homo. Synecdoche membri Hebraica, quâ innuitur hominis infirmitas.*

17 Quærimus. ζητοῦμεν *id est, Studemus, cupimus.* Per Christum. ἐν χριστῷ. *Pro,* διὰ χριστὸν *Hebraismus.* Reperimur & ipsi peccatores &c. *Sententiam horum verborum, sicut & sequentium, quæ certè subobscuræ sunt, in Analysi fusè ac dilucidè exposuimus.*

20 Vivit in me Christus. *Nempe per Spiritum suum.* In carne. ἐν σαρκὶ. *id est, in corpore: nempe in corpore hoc mortali.* Per fidem Filii Dei. ἐν πίστει τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. *id est, quâ credo in Filium Dei, eique confido ut unico meo Serva-*

tori. Dilexit me. *Vox fidei, beneficium omnibus credentibus atq; electis commune, sibi specialiter applicantis.*

21 Non abrogo. οὐκ ἀθετῶ. *Scilicet meâ doctrinâ.* Gratiam Dei. τὴν χάριν τοῦ θεοῦ. *quam scilicet nobis donavit Christum in justitiam: ut verba sequentia declarant.* Nam si. εἰ γάρ. *Conjunctio γάρ, posita est παραληπτικῶς. Nam ex verbis præcedentibus poterat aliquis interrogare: Ergóne abrogares gratiam Dei, si doceres nos justificari ex Lege? Maximè, inquit. nam si per Legem est justitia, Christus frustra est mortuus: ac proinde gratia Dei abrogatur quâ Christum pro nobis in mortem dedit.* Frustra. δωρεάν. *Ad verb. Gratis. Catachresis Hebraica. Rectè autem vertitur* Frustra, *hoc est, sine fructu, seu (ut Logicè loquamur) sine adeptione finis. nã finis mortis Christi fuit ut nobis mereretur remissionem peccatorum, atq; adeò ut nos per justitiam morte ipsius partam nobisq; imputatam justificaremur. quem finem certè ille adeptus non est. si justitia nostra per Legem est. Atq; hanc expositionem simplicissimam & genuinam puto.*

OBSERVATIONES EX CAP. II.

παιδ. Ex ℣. 2. ex verbis, *Ne quo modo frustrà currerem.* Quum opinio discordiæ ministrorum Verbi impediat atq; intercipiat prædicationis fructum: ministris elaborandum est ut de pia ipsorum concordia publicè constet.

Ex eodem versu, ex verbis: *Currerem aut cucurrissem.*

διδ. In ministro Verbi requiritur ardens studium ædificandi

παιδ. Ecclesiam tum doctrinâ salvificâ, tum sanctâ vitâ. Confer 1. Cor. 9. ℣. 19. & inde usque ad finem capitis, item 2. Tim. 4. ℣. 7. & 8. Actor. 20. ℣. 26. & deinceps. 1. Pet. 5. primis quatuor versibus.

παιδ. Ex ℣. 3. 4. & 5. Quum adiaphora obtruduntur Ecclesiæ tanquam observatu necessaria ad salutem: minister Verbi constanter istiusmodi doctoribus resistere debet, exemplo Pauli.

ἀπ. λύσ. Ex iisdem versibus. Quæritur, an Paulus egerit inconstanter, quòd Titum noluit circumcîdi, & tamen circumcîdit Timotheum, Actor. 16. ℣. 3. Respondeo: Non egit inconstanter: quia utrumque egit bona ratione & studio promovendi gloriam Dei & Ecclesiæ ædificationem.

nem. nam Timotheum circumcîdit propter Judæos infirmos, ne ab illius ministerio abhorrerent: at Titum circumcîdi noluit propter Judæos pertinaces, ne exemplo isto abuterentur ad jactandum consensum Pauli de suo dogmate, quasi scilicet circumcisio adhuc in novo Testamento sit necessaria ad salutem.

Ex ℣.4. Christus liberavit credentes novi Testamenti à Lege ceremoniali: quia ipse ceremonias illas sacrificio suæ mortis implevit. Vide Colos. 2. ℣. 11. & deinceps. Hebr. 8. 9. & 10. Perversè igitur agunt Papistæ: qui ceremonias multas ac varias, & quidem ab hominibus excogitatas, in cultu Dei observant; earumq; observatione Christianos in servitutem adigunt. δικ. ἐπ.

Ex ℣ 6. Nemo in ministerio Ecclesiæ aut alio honoris gradu constitutus, à nobis contemnendus est, propterea quòd olim fuerit obscurus ac plebejus: sed quemcunque Deus in aliquo honoris gradu collocare dignatus est ut in Ecclesia emineat, is à nobis in honore ac pretio habendus est. Interim quibus ita evehi contigit: illos pristinæ suæ conditionis semper memores esse decet, ut ne incidant in superbiam. παιδ. παιδ.

Ex ℣.8. Deus per ministerium Evangelii efficax est in cordibus Electorum, efficiendo scilicet in eis fidem & studium pietatis, unde pendet salus ipsorum æterna. Quare ministerio Evangelii reverenter utamur, Deumque oremus ut per illud tum in nobis tum in aliis efficax esse pergat. δικ. παιδ.

Ex ℣.10. Ministrorum Ecclesię officium est, ut meminerint pauperum ad Ecclesiam pertinentium, magnoq; studio alimenta necessaria eis procurent. παιδ.

Ex ℣.11.12.13. & 14. Qui publicè peccant, publicè etjam reprehendendi sunt: ut scandalum tollatur. Vide 1. Timoth. 5. ℣.20. παιδ.

Ex ℣.15. Quum è Scriptura & experientia constet, omnes homines esse peccatores: quod ipsum Paulus in epistola ad Rom. ex professo tum de Gentibus tum de Judæis ostendit; cur igitur hîc Judæos peccatores esse negat? Respondeo: Peccatorum nomine hîc intelligit eos quibus peccata sua, tanquam alienis à fedére gratiæ Dei, ἀπ. λύσ.

imputantur: quo sensu Judæi, credentes quidem, peccatores non erant.

διδ. Ex ℣. 16. Hominem coram Deo justificari solâ fide,
ἕλ. clarum est ex verbis Apostoli. Quare falsum est dogma
Papistarum, quòd justificemur partim fide partim ope-
ἀνδίκ. ribus. Nec juvat eos quòd dogma suum tueri conantur
ex his ipsis Apostoli verbis, ut qui dicit: Quum sciremus,
non justificari hominem ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi. quasi scilicet per vocabulum NISI notetur conditio, sub qua justificetur homo ex operibus Legis: nempe si ad opera accesserit fides. Nam vocabulum illud NISI hic usurpatum esse pro particula adversativa SED, declaravimus in scholiis: & id ipsum clarè liquet ex verbis sequentibus, ubi ait: Etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, ET NON ex operibus Legis. Quod quid aliud est, quàm ex fide SOLA: non autem ex fide & operibus simul?

δικ. Cæterùm per fidem justificari dicimur, quatenus per fidem Deus nobis imputat justitiam, Rom. 4. ℣. 6. seu quatenus per fidem nobis remittit peccata, nec illa nobis imputat, ibid. ℣. 7. & 8. seu denique quatenus nobis ad justitiam imputat satisfactionem Christi, qui mortem æternam pro nobis gustando, judicio ipsius pro nobis satisfecit, nobisq; remissionem peccatorum (in qua nostra coram Deo justitia consistit) impetravit.

ἀπ. λύσ. Ex eodem versu. Quæritur, cur nemo justificetur ex operibus Legis: quum tamen Lex nihil præcipiat nisi justum & sanctum? Causa est, quia nemo potest opera Legis eo quidem modo quem Deus requirit, præstare: id est, perfectè ex propriis viribus. Id quod Apostolus in epistola ad Romanos copiosè docet.

δικ. Ex ℣. 17. 18. 19. & 20. Tametsi credentes non observant Legem hoc fine ut per eam justificentur: nihilominus tamen ejus observationi studeant, idque ut vivant Deo: hoc est, ut vivant justè & sanctè ad gloriam Dei, ut illi placeant. Et hanc ipsam observandi Legem facultatem per fidem in Christum crucifixum adipiscimur. Id quod fit hâc ratione. Per fidē agnoscimus, quàm detestabile malum sit peccatum: quippe quod aliter non po-

potuerit expiari quàm morte Filii Dei, eâque ignominiosissimâ, & (quod caput est) cum sensu iræ Dei conjunctâ Hinc concipimus odium peccati, atque illud omni conatu fugimus: ne Deum benignissimum patrem offendamus, néve offendamus Christum qui propter nostra peccata tantos cruciatus tantamq; ignominiam sustinuit: denique ne contristemus Spiritum sanctum, qui peccatum detestatur. Item per fidem agnoscimus, quãto beneficio nos affecerit Deus per Christum: quem tanquam Filium unigenitum & unicè dilectum pro nobis dedit in mortem, atque ita nos indignos ab æterna morte liberavit. Itaque accendimur studio grati animi declarandi, ipsique placendi per observationem mandatorum ejus.

Ex ℣.20. ex verbis, *Qui dilexit* ME &c Fidei natura est, ut beneficium redemtionis omnibus credentibus commune & communiter promissum, sibi speciatim applicet. διδ.

Ex ℣.21. Notandus est finis mortis Christi: qui est, ut nobis justitiam morte suâ partam donaret. Errant igitur Anabaptistæ: qui putant, Christum ideò tantùm pro nobis mortuum esse, ut nobis relinqueret exemplum patientiæ. Errant etiam illi, qui putant, Christum ideò tantùm pro nobis mortuum esse, ut nobis partem aliquam justitiæ, quâ coram Deo consistimus, acquireret: quasi scilicet reliquam partem illius justitiæ quæ nobis imputatur, acquisierit sanctâ suâ conceptione & sanctâ suâ vitâ. At, inquam, solâ suâ morte omnem illam justitiam nobis acquisivit: quippe sanguis ejus purgat nos ab omni peccato. Ut autem illam acquirere nobis suâ morte posset, videlicet tanquam sacrificio: necesse fuit ut & sanctè conceptus esset, & sanctè semper vixisset: ut victima esset sancta & sacerdos sanctus, ac proinde ut & hic & illa Deo placerent. unde Petrus ait, nos esse redemtos pretioso sanguine Christi, tanquã agni immaculati: quibus verbis notat sanctitatẽ victimæ. Et Paulus ad Heb. 7. διδ. ἔλ. ἔλ.

Talis nos, inquit, decebat pontifex, sanctus, impollutus, &c. quibus verbis testatur de sanctitate sacerdotis.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hactenus narravit de suo apostolatu: cujus narrationis postrema pars fuit sermocinatio ipsius cum Petro: nunc quasi redit ad Galatas, ac primùm commendatâ Galatis Evangelii doctrinâ, demonstrat, hominem justificari fide, absque operibus Legis, contrariasq; objectiones diluit, ac tandem Legem ceremonialem abrogatam esse ostendit.

O Amentes Galatæ, quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati: quibus ob oculos Jesus Christus coràm fuit depictus, inter vos crucifixus?

2 Hoc solum velim discere ex vobis, Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei?

3 Adeò amentes estis? quum spiritu inceperitis, nunc carne perficimini?

4 Tam multa passi estis frustra? si modò etjam frustra.

5 Qui igitur suppeditat vobis Spiritum, & efficit facultates in vobis, ex operibus Legis an ex prædicatione fidei *suppeditat?*

PRimò omnium repetit objurgationem à qua epistolam inchoaverat sup. c. 1. ℣. 6. Sed hîc objurgat eos acriùs: objiciens eis amentiam, & seductionem pseudapostolorum appellans fascinationem; denique defectionem ipsorum amplificans collatione pari contrariorum: nam quò fideliùs atq; evidentiùs Christi gratia apud eos prædicata fuit, eò turpior ac fœdior est ipsorum ab illa gratia defectio. Deinde versu 2. commendat eis doctrinam Evangelii à proprio effectu, videlicet donatione Spiritus sancti: atque inde versu 3. deducit reprehensionem amentiæ ipsorum: ut qui à gratia Evangelii ad justitiam Legis deflectentes nihil aliud agant, quàm ut à

ut à spiritu ad carnem transeant, id est, à facili ac plana salutis via ad difficilem atque adeò impossibilem. quippe quum carni impossibile sit Legem implere: quum cõtrà per gratiam Spiritus facile sit salutem in Christo consequi. Alii tamen per *Carnem* hîc intelligunt ceremonias Legis, in sua scilicet natura consideratas, non autem quatenus suo tempore sacramenta gratiæ erant. Versu 4. præsenti ipsorum siniſtro judicio de doctrina Evangelii opponit rectum eorum judicium priſtinum, quum propter doctrinam Evangelii multiplicem persecutionem passi sunt, ad testandum scilicet, se doctrinam Evangelii pro vera ac certa habere. Simul autem eos hortatur ad constantiam in recto illo judicio, argumento ab inutili: quia alioqui passi fuerint fruſtra, hoc est, quia nullam mercedem nullùmve præmium à Deo accepturi sint pro iis perpessionib⁹ quas Evangelii causâ sustinuerint. Versu 5. repetit commendationem illam Evangelii, versu 2. propositam: & huic affinem annectit, à visibilibus illis Spiritus sancti gratiis seu donis: quæ vocat δυνάμεις, id est facultates.

6 Sicut *et* Abraham credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam.

7 Intelligitis igitur, eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ.

Hîc incipit disputare quæstionem principalem, videlicet de justificatione hominis coram Deo: ac primò omnem hominem justificari fide, probat exemplo Abrahæ, tanquam patris credentium: quod argumentum est à pari. Quum enim idem sit fedus adoptionis cum Abrahamo ipsiusq; filiis initum, nempe, Ero Deus tuus & seminis tui post te: quo federe justificationis gratia continetur: consequens est, ut qua ratione justificatus fuit Abraham, eâdem justificentur & filii Abrahæ. Atqui Abraham teste Mose Gen. 15. justificatus fuit fide. Ergo & filii Abrahæ, id est omnes credentes, justificantur fide. Assumtio est versu 6. conclusio versu 7.

8 Prævidens autem Scriptura, Deum ex fi-

de justificaturum Gentes, *id* ante-evangelizavit Abrahæ; Benedicentur, *inquiens*, in te omnes Gentes.

9 Itaq; qui ex fide *sunt*, benedicuntur cum fideli illo Abraham.

Versu 8. argumentum illud ab exemplo Abrahæ alio testimonio Mosis confirmat, quo exemplum Abrahæ specialiter ad Gentes accommodatur. Illud exstat Genes. 12. ♆. 3. ubi Deus Abrahæ dicit, Benedicētur in te omnes gentes. *In te*, id est, in Christo ex te nascituro, in quem tu credis & illæ tuo exemplo credituræ sunt. Nam hunc esse istius particulæ sensum, liquet *ex ipsa* Apostoli conclusione versu 9. ubi ex verbis illis ita colligit, Itaque qui ex fide sunt, benedicūtur cum fideli illo Abraham. Cùm ait, *Qui ex fide sunt*, perinde est ac si dicat, Qui in Christum Abrahamo promissum & ex Abrahamo ortum credunt. Cùm ait, *Cum fideli illo Abraham*, perinde est ac si dicat, Ad exemplum fidelis illius Abrahæ.

10 Nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub exsecratione sunt. Scriptum est enim, Exsecrabilis *est* quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea.

11 Nullum autem per Legem justificari apud Deum, manifestum *est*: quoniam justus ex fide vivet.

12 Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea homo, vivet per ea.

Versu 10. per prolepsin causam exponit, cur non benedicantur qui ex operibus Legis sunt, hoc est, qui operibus Legis justitiam studeant consequi. Causam seu argumentum affert à contrario: Quia illi sunt sub exsecratione. id quod probat tali syllogismo:

Quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea, maledictus est: intellige, nisi benedicatur ex gratia per fidem.

At omnium hominum ea est conditio ut quantumvis omnia

omnia Legis mandata servare studeant, servare tamen non possint.

Ergo omnes homines quantumvis justitiam ex operibus sectentur, maledictioni subjacent: exceptis iis qui ex gratia per fidem benedicuntur.

Apostolus primùm ponit conclusionem: deinde prosyllogismum propositionis, nempe testimonium Scripturæ: tum ipsam propositionem. Assumtionem verò tanquam satis notam omittit. Est igitur hoc primum argumẽtum contra justitiam Legis: Ex Lege oritur maledictio: non igitur benedictio aut justificatio. Huic annectit argumẽtum secundum versu 11. & 12. quod etiam à contrario sumtum est. Syllogismus talis est:

Justitia & vita est ex fide.

Lex autem non est ex fide.

Ex Lege igitur non est justitia, nec vita.

Apostolus primùm ponit conclusionem: deinde propositionem, confirmatam testimonio prophetæ Habakuk: postremò assumtionem, confirmatam à disparatis: Lex promittit vitam facientibus: non igitur credentibus, id est, exspectantibus vitam ex gratuito favore Dei absque ullo suo merito, imò etiam contra sua merita. Merentur enim omnes mortem, quatenus omnes Legem subinde transgrediuntur.

13 At Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio; scriptum est enim, Exsecrabilis *est* quisquis pendet in ligno.

14 Ut ad Gentes benedictio illa Abrahæ perveniret in Christo Jesu, *et* ut promissum illum Spiritum acciperemus per fidem.

Versu 13. per prolepsin respondet ad objectionem quę oritur ex iis quę dixit de exsecratione Legis. Quum enim nemo maneat in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis: sequitur inde, omnes esse sub maledictione. Respondet, Etsi per se omnes sub maledictione sunt: tamen nos qui in Christum credimus, à maledictione Legis per

eum ſumus redemti, dum ipſe pro nobis factus eſt maledictio, ſuſpenſus nimirum de ligno crucis propter noſtra peccata quæ in ſe ſuſceperat expianda. Chriſtum autem hoc modo factum eſſe maledictionem, probat teſtimonio Scripturæ ex Deut. 21. ℣. 23. Verſu 14. finem exponit: cur Chriſtus factus ſit pro credentibus maledictio: nempe ut in eos veniret benedictio Abrahæ promiſſa.

15 Fratres, humano more loquor. Hominis licet pactionem authoritate confirmatam nemo abrogat, aut *aliquid ei* ſuperaddit.

16 Abrahæ verò dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit, Et ſeminibus, ut de multis: ſed ut de uno, Et ſemini tuo. qui eſt Chriſtus.

17 Hoc autem dico, pactionem antè ſanctam à Deo reſpectu Chriſti, Lex quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritam, ut aboleat promiſſionem.

18 Nam ſi ex Lege eſt hæreditas, non jam *eſt* ex promiſſione: Abrahæ verò per promiſſionem donavit Deus *hæreditatem*.

Verſu 15. & deinceps uſque ad verſum 19. aliud argumentum affert, quo oſtendit, hæreditatem illam cæleſtem ſeu vitam æternam nõ eſſe ex Lege. Argumentum eſt à contrariis: Hæreditas eſt ex promiſſione, nempe nuda ac ſimplici ſeu gratuita: non igitur ex Lege, id eſt, promiſſione conditionali, ſi quis fecerit Legem, atque ita faciendo vitam mereatur. Hoc argumentum amplificat à circumſtantia temporis: Promiſſio data eſt ante Legem: Ergo non eſt abrogata per Legem. Hoc probat à minori: Pactio hominum authoritate confirmata relinquitur incommutata, ita ut nec abrogetur, nec ei aliquid ſuperaddatur: Ergo multò magis pactio Dei, quæ multis annis ante Legem ſancita fuit, incommutata relinquitur, nec per Legem abrogatur. Quæ autem ſit illa pactio, declarat: nempe promiſſiones DEI Abrahamo datæ de paterno ipſius favore erga ipſum & ſemen ejus, id eſt, Chri-

Christum, & quotquot Christo per fidem inseruntur. Hoc argumentum ita amplificatum ℣.15.16.17. tandem Apostolus concludit syllogismo connexo ℣. 18. ad hunc modum:

Si hæreditas est ex Lege, non jam ex promissione.
Atqui hæreditas est ex promissione: ut antè est declaratum.
Non igitur est hæreditas ex Lege.

19 Quid igitur Lex? Transgressionum gratiâ addita est, donec venisset semen illud cui facta est promissio: *Lex, inquam*, ordinata per Angelos, per manum internuntii.

20 Internuntius autem, unius non est: Deus verò unus est.

Versu 19. occurrit objectioni. Si ex Lege non est hæreditas: frustra igitur videtur lata. Hoc Apostolus negat, & causam latæ legis exponit: videlicet ut homines coargueret peccati. Simul etiam monet, quamdiu administratio illa Legis seu regimen Mosaicum in variis ceremoniis positum, debuerit durare, nempe usq; ad adventum Christi. Postea ne videatur Legem parvi facere, cõmendat eam à ministerio angelorum quo DEUS in ferenda lege fuit usus: eâdemque occasione meminit ministerii Mosis in legibus Dei à Deo accipiendis & ad populum perferendis: unde eum vocat mediatorem: quia sequester & medius fuit inter Deum & populum, Deut. 5. ℣. 5. atque hinc ostendit, Legem esse signum disidii inter Deum & homines; ac proinde terrorem potiùs quàm pacem conscientiarum ex Lege oriri.

21 *Num* igitur Lex *addita est* adversus promissiones Dei? Absit. nam si data fuisset Lex quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia.

22 Sed concluſit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.

Objectio, quæ oritur ex præcedente argumentatione

℣.18. Si ex Lege est hæreditas, non jam ex promissione, ubi Lex promissioni tanquam cõtraria opponi videtur. Id quod Apostolus hîc negat. Et meritò. Etsi enim contraria sunt hæc duo, Consequi hæreditatem ex Lege, id est, merito operum Legis; & Consequi hæreditatem ex promissione, id est, ex mera Dei promittentis gratia: tamen non propterea ipsa Lex promissioni contraria est. Hanc igitur contrarietatem quum Apostolus negavit, annectit prolepsin, quâ causam exponit, quî ergo fiat, quòd justitia non æquè sit ex Lege, atq; ex promissione. Causam dicit hanc esse, quia Lex non vivificet, hoc est, quia Lex non habeat adjunctum Spiritum vivificãtem, quo scilicet corda vivificentur, id est vim concipiant ad Legem perfectè præstandum. quo fit ut Lex nihil aliud possit quàm convincere omnes homines peccati, atq; ita eos adigat ad justitiam & vitam alibi quærendam, nempe in uno Christo per fidem apprehenso.

23 Antequam autem venisset fides, sub Legis præsidio tenebamur, concluſi in eam fidem, quæ erat revelanda.

24 Itaq; Lex pędagogus noster fuit in Christum *respiciens*, ut ex fide justificaremur.

25 At postquam vênit fides, non ampliùs sub pædagogo sumus.

Deinceps monet, quis fuerit usus œconomię Legalis; & inde infert, illam adventu Evangelii fuisse abolẽdam. Usum œconomiæ Legalis duplicem fuisse docet: unum ut Judæi velut præsidio quodam custodirentur in spe adventus Christi; alterum, ut de justitia & salute per Christum afferenda erudirentur, veluti à pædagogo quodam. Spes Judæorum alebatur, quia durante œconomiâ Legali Deus subinde misit prophetas qui adventum Christi eis promitterent. Erudiebantur autem per ceremonias, ut circumcisionem, agnum paschalem, sacrificia, ablutiones. Per circumcisionẽ docebantur, Christum nasciturum ex semine Abrahæ, & circumcisurum corda ipsorum, auferendo scilicet peccatum suâ morte, & re-

& renovando ad ſtudium juſtitiæ ſuo ſpiritu. Per agnum paſchalem admonebantur, Chriſtum tanquam agnum innocentem mactatum iri in cruce ad expiandum ipſorum peccata, atque ita liberandum eos è tyrannide diaboli. Idem ſignificabatur per alia ſacrificia, item per aſperſionem ſanguinis & ablutiones: nempe ſanguine Chriſti victimæ futuri aſpergi corda ipſorum per fidem, ut ita abluantur à ſordibus peccatorum. Porrò quum hæc omnia per Legalem œconomiam fuerint adumbrata ac præfigurata, tanquam ſuo tempore eventura: conſequens eſt, ut quum res ipſæ fuerint exhibitæ, umbræ illæ ac figuræ deſierint. unde infert Apoſtolus: *At poſtquam vênit fides*, id eſt tempus Evangelii quod fide apprehenditur, *non amplius ſub pædagogo*, id eſt, ſub Lege ſeu Legali illa œconomia *ſumus*.

26 Omnes enim, filii Dei eſtis, per fidem in Chriſto Jeſu.

27 Nam quicunque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

28 Non eſt Judæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus ac fœmina; omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu.

28 Quòd ſi vos *eſtis* Chriſti; nempe Abrahæ ſemen eſtis, & ſecundùm promiſſionem hæredes.

Hactenus oſtendit ex uſu ſeu fine & ſcopo Legalis œconomiæ, illam jam adventu Chriſti eſſe abrogatam: nunc idem oſtēdit ex oppoſitione disparatorū. Omnes, inquit, filii Dei eſtis: Non igitur eſtis ampliùs ſervi: quales nimirum eratis ſub Lege: Sicut clariùs docebit initio capitis ſequentis. Antecedens probat à cauſa inſtrumentali ὑοθεσίας ſeu adoptionis, inquiens, *Filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu*. nam ut Johannes teſtatur, Johan. 1. 12. quotquot Chriſtum acceperunt, eis dedit Deus hanc poteſtatem ut filii DEI ſint, nempe iis qui credunt in nomen ejus. Simul autem ſignificat, nos per fidem Chriſto inſeri, tāquam membra capiti, quum ait, *In Chriſto Jeſu*.

Et hanc insitionem mox probat testimonio Baptismi, inquiens, *Nam quicunque in Christũ baptizati estis, Christum induistis.* ubi notandum, Paulum alloqui fideles, qui testimonio Baptismi credunt, ac proinde rem testatam fide percipiunt. Postea ℣. 28. particulam universalem *Quicunq;*, qua usus fuit, declarat per species: ut significet, gratiam Christi æquè ad Gentes incircumcisas pertinere, atq; ad Judæos circumcisos. Et illi specierum enumerationi rursum sententiam generalem subjicit, qua affirmat, omnes fideles (sive scilicet ex Gẽtibus sint, sive ex Judæis) unum esse in Christo. Ex qua sententia versu 29. deducit corollarium; nempe fideles esse semen Abrahæ. Ratio consequentiæ est; quia semen illud Abrahæ est Christus, cui fideles per fidem sunt insiti, ut dixit supra ℣. 16. Postremò ex illo ipso corollario deducit aliud, nempe fideles esse hæredes vitæ æternæ secundùm promissionem. Ratio consequentiæ est; quia promissio vitæ æternæ facta est Abrahæ & semini ejus, sup. ℣. 16.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 O amentes. ὦ ἀνόητοι. *Exclamatio pathetica. qualis est & illa Christi ad duos discipulos euntes in Emmaus,* ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ &c. *Luc. 24. v. 25. Hactenus fuit prosopopœia, id est recitatio verborum quibus Paulus reprehenderat Petrum Antiochiæ. Nunc iterum se convertit ad Galatas ad quos oratio hujus epistolæ est instituta: itaque* προσφώνησιν *renovat.* Quis vos fascinavit? τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε; *Verbum* βασκαίνειν *Grammaticis dictum esse placet quasi* φασκαίνειν, *id est,* τοῖς φάσκι κρίνειν, *oculis occidere quò pertinet illud Virgilii Eclog. 3. Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Nam interficiendi vim oculis fascinatoribus inesse, Plinius lib. 7. cap. 2 exemplis ostendit. Hoc loco videtur notare præstigias, qua præstigiator oculos alterius præstringit, ut pro veris rerum speciebus falsa apprehendant. Ab oculis autem ad mentem hic translatum est: quasi dicat,* Quis vos dementavit? Veritati. *Nempe veritati cœlesti quæ continetur in Evangelio.* Coràm fuit depictus. προεγράφη. *Sic malo quàm,* Priùs fuit depictus. *nam præpositionem* πρὸ *non puto referendam ad tempus, sed ad*

locum.

locum. Germanicè, Fürgemalet/ nemlich/ für den augen/ *ob oculos : sicut Apostolus ipse per pleonasmum declarat.* Crucifixus. *id est, quasi crucifixus, nempe per graphicam illam & illustrem (id est, ut Graci loquuntur, ἐναργῆ καὶ ὡς ἐν μιμήσει ποιοῦσαν) Apostoli Pauli prædicationem.*

2 Discere. μαθεῖν. *Id est, cognoscere.* Ex operibus Legis. ἐξ ἔργων νόμου. *Id est, ex prædicatione operum Legis. Metonymia subjecti.* Spiritum. τὸ πνεῦμα. *Nempe Spiritũ sanctum regenerantem. Confer Rom. 8. v. 15. item 2. Corinth. 3. v. 6. & 8. item Ephes. 1. v. 13.* Ex prædicatione fidei. ἐξ ἀκοῆς πίστεως. *Ad verb. Ex auditu fidei. hoc est, Ex prædicatione Evangelii de fide in Christum. Ponitur enim utrumq; nomen μετωνυμικῶς: ἀκοὴ, id est, auditus, pro prædicatione quæ auditur, per metonymiam adjuncti: πίστις, fides, pro doctrina de fide, per metonymiam subjecti. Sic Rom. 10. v. 16. & 17.*

3 Spiritu. πνεύματι. *Id est, ex virtute Spiritus sancti regenerantis.* Inceperitis. *Scilicet Deo servire, eiq; placere.* Carne. σαρκὶ. *id est, viribus carnalibus seu naturalibus, quibus conamini opera Legis præstare, ut ita Deo placeatis.* Perficimini. *id est, Perfici cupitis. quasi nimirum spiritus non sufficeret ad vos servandum & Deo commendandum.*

4 Frustra. εἰκῇ. εἰκῇ *pro μάτην. nam εἰκῆ propriè significat* Temerè. *Vide Rom. 13. v. 4. Scholia nostra.*

5 Spiritum. τὸ πνεῦμα. *Nempe Spiritum regenerationis: ut vers. 2. quam sententiam hîc repetit: id quod innuit particula epanaleptica οὖν.* Et efficit facultates. ὁ ἐνεργῶν δυνάμεις. *Hic annectit aliud Evangelii effectum, nempe collationem facultatum ad res præclaras miraculosè præstandum: verbi gratiâ ad loquendum linguis peregrinis, ad sanandum ægrotos, &c. Si quis tamen vocabulum δυνάμεων hîc malit specialiter intelligere de facultate edendi miracula insignia & in oculos incurrentia, sicut videtur accipi 1. Cor. 12. v. 10. tum dicẽdum erit, ex una specie universum genus notari per synecdochen.* Ex operibus Legis, &c. *Expono ut suprà versu 2. item q; verba sequentia,* ἐξ ἀκοῆς πίστεως, *similiter & verto & expono. Observandum est autem, in hujusmodi interrogatione bimembri quæ constat hâc formulâ,* Illud ne an hoc, *innui negationem prioris membri, & affirmationem posterioris. quasi dicatur,* Non illud, sed hoc: *ut hîc,* Non ex operibus, sed ex fide.

6 Sicut &c. καθὼς. *Pro* καθὼς καὶ. *Subjicit enim nunc exemplum ad confirmandum affirmationem quam innuerat præcedente interrogatione. Etsi enim Abraham non accepit peculiaria illa dona Spiritus sancti: tamen longè majora accepit: & omnino accepit Spiritum, cujus operatione credidit contra spem sub spe.*

7 Intelligitis igitur. γινώσκετε οὖν. *Hanc non esse apodosin collationis tanquam institutæ superiore versu, ex ipsa sententiarum collatione liquet. Etenim sententia versus sup. aliam apodosin postulat, nempe hanc: Sic & nobis credentibus imputabitur fides nostra ad justitiam: ut Rom. 4. v. 23. & 24. Porrò verba hujus versiculi sic puto exponenda:* Intelligitis igitur, *nempe ex illo dicto Mosis de Abrahamo:* eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ. *intellige, ac proinde illis similiter justitiam imputatum iri, & hæreditatem Abrahamo promissam donatum iri.*

8 Prævidens προϊδοῦσα *id est, Longe-antè videns.* Scriptura. ἡ γραφὴ. *Scilicet sancta,* ἡ ὑμῖν, *id est, Deus: ut testatur Scriptura. Metonymia adjuncti.*

10 Quotquot ex operibus Legis sunt. *id est, Quotquot per opera Legis suis ipsorum viribus præstita justificari conantur.* Sub exsectatione sunt. *Non igitur benedicuntur. Argumentum ab adversis.*

13 In ligno. ἐπὶ ξύλου. *Id est, in palo vel cruce lignea. Metonymia materiæ.* Pendet. *Nempe supplicii causâ.*

14 Ut ad Gentes benedictio illa Abrahæ perveniret. ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ γένηται. *Sententia hujus loci hæc est: Christus nos redemit ab exsecratione Legis, ut benedictio illa Abrahæ promissa (de qua suprà vers. 8.) ad Gentes perveniret in Christo: quatenus nimirum illa Christo inseruntur per fidem. Atque hinc patet, nos suprà v. 8. rectè exposuisse,* In te. *id est, in Christo ex te nascituro.* Benedictio illa Abrahæ. ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ *id est, Benedictio illa Abrahæ promissa à Deo. Articulus* ἡ *est* ἀναφορικὸς, *respiciens ad dictum citatum suprà vers. 8.* Promissum illum spiritum. τὸ ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος. *Ad verbum, Promissionem illam Spiritus. Hypallage Hebraica.*

15 Aliquid ei superaddit ἐπιδιατάσσεται. *Ad verbum, Superdisponit. Sed sensus commodè expressus est. nam relativum*

tivum Ei refertur ad διαθήκην, pactionem: cujus notatio continetur ipso verbo διαπίστεως.

16 Abrahæ verò dictæ sunt promissiones &c. Quod ad hujus versus sententiam attinet: puto Apostolum intelligere promissiones illas Abrahæ & ejus semini factas de terra Canaan, & de vita æterna per illam significata. Itaq; semen illud Abrahæ cui factæ sunt promissiones, intelligendum est partim de ejus posteris, quatenus carnali generatione ex eo orti sunt: his enim tandem terram Canaan Deus ex promissione attribuit: partim verò intelligendum est illud semen Abrahæ de Christo, & quotquot illi ex quavis gente inserũtur: ac de Christo quidem principaliter, ut qui constitutus est hæres universorum, Hebr. 1. Christo enim vita æterna jam attributa est, & suo tempore plenè attribuetur omnibus iis qui in Christum crediderunt, credunt & crediturí sunt. Qui. ὃς. pro ὅ, scilicet σπέρμα: quod semen. Simile exemplum vide 1. Tim. 3. 15. Sic apud Cic. Carcer quod Tullianum vocant. Christus. χριστὸς. Nempe Christus mysticus, id est, Ecclesia, sicut 1. Cor. 12. 12. Nam quò minùs hoc intelligendum sit propriè, de sola scilicet persona Christi: obstat primùm scopus Apostoli: qui est, ut probet, vitam æternam dari credentibus propter Christum, idq; secundùm promissionem factam Abrahamæ: ut patet ex v. 14. Deinde obstat absurdum hoc, quòd vita æterna soli Christo data esset.

18 Hæreditas. ἡ κληρονομία. hæreditas illa cælestis Canaan, id est, vita æterna. Non jam est ex promissione. οὐκέτι ἐξ ἐπαγγελίας. Ratio consequentiæ est: quia si est ex Lege, est ex merito: si verò ex promissione, tum est ex dono: at meritum & donum inter se adversantur. Confer Rom. 4. v. 14.

19 Quid igitur Lex? τί οὖν ὁ νόμος; id est, Cur igitur lata est Lex, si ex ea non est hæreditas? Transgressionum gratiâ. τῶν παραβάσεων χάριν. Scilicet, ostendendarum: hoc est, ut hominibus ostenderet suas transgressiones, eosq; peccati convinceret. Donec venisset. id est, Quæ duraret donec venisset, &c. nempe quod ad cæremonias attinet. Confer Coloss. 2. v. 14. Semen illud. Nempe Christus, ex versu 16. Internuntii. μεσίτης. Ad verbum, Mediatoris, id est, Mosis: ut rectè D. Beza exponit & confirmat. Vide Deut. 5. v. 5.

20 Internuntius autem unius non est. ὁ δὲ μεσίτης, ἑνὸς οὐκ ἔστιν. *Occasione mentionis internuntii seu mediatoris quo Deus in Lege ferenda usus fuit, aliud argumentum affert contra justificationem ex Lege. quasi dicat: Mediator non est unius, sed duorum inter se dissidentium. Quum igitur in ferenda Lege opus fuerit Mose mediatore: signum hoc est, dissidium inter Deum & vos fuisse: quod quidem dissidium aliunde nasci non potuit, quàm ex eo quòd vos essetis Legis transgressores. Quomodo igitur ex Lege quaritis justificari, ex qua propter vestras transgressiones exitit Dei ira? Quòd verò annectit,* Deus verò unus est, *obscurum est quem sensum habeat, & quomodo cum præcedente sententia cohæreat. Videtur autem hic esse sensus: Deus sibi semper constat suiq; similis est, ac proinde hodie nõ minùs quàm olim transgressoribus Legis irascitur. Quare quum Legis transgressores sitis, non est quod ex Lege justificationem quaratis: quum potiùs Dei ira vobis metuenda sit.*

21 Vivificare. *Id est, Spiritum vivificantem tribuere ad Legem perfectè præstandum.* Verè ex Lege esset justitia. *Nam si quis perfectam Legi præstiterit obedientiam, is ex Lege justus pronuntiabitur.*

22 Scriptura. *Id est, Deus in Scriptura. Similis est illa sententia Rom. 11. v. 32. Concluſit Deus omnes in contumaciam, ut omnium misereretur, hoc est, ut omnes quos servat, ex misericordia servaret, non autem ex merito.* Omnia. τὰ πάντα. *id est, Omnes homines: ut planum est tum ex re ipsa, tum ex collatione dicti modò citati.* Promissio. ἡ ἐπαγγελία. *id est, hæreditas promissa, nempe vita æterna. Metonymia adjuncti.*

23 Fides. τὴν πίστιν. *Id est, tempus Evangelii, quod fide apprehenditur. Metonymia adjuncti.* Sub Legis præsidio tenebamur. ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα. *id est: Sub Lege tanquam præsidio tenebamur.* φρουρεῖσθαι *est præsidio custodiri: à nomine* φρουρά, *præsidium; vel* φρουρὸς, *custos seu miles præsidiarius: sic dictus per crasin & mutationem literæ tenuis in aspiratam, quasi* πθοορὸς, *à* πθοοράω, *prospicio: sicut* φροίμιον, *pro* πθοίμιον, φρούδω *pro* πθόδω. *Est autem positum verbum* tenebamur *apponenda incisi nota.* Concluſi. συγκεκλεισμένοι. *Manet in Metaphora. Sic enim apud Herodia-*

num

num (teste Henrico Stephano in Thesauro) ista duo verba conjunguntur: φρουρουμένη καὶ κεκλεισμένη γενναίως ἡ πόλις. In eam fidem quæ erat revelanda. εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι. *In Græco verba trajecta sunt, pro* εἰς πίστιν τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι. *Sic Rom. 8. v. 18.*

24 Ex fide. *Quasi dicat, Et non ex ceremoniis Legis: quippe quæ nos non in se retinebant, sed ad Christum instar pædagogi ducebant: erudientes nos de justificatione per mortem Christi.*

25 Postquam vênit fides. *Id est, tempus fidei, hoc est, Evangelii. Metonymia adjuncti, ut vers. 23. Sic autem hoc tempus appellatur* κατ' ἐξοχὴν: *quia Evangelium tantùm postulat fidem; non etiam ceremonias, ut Lex. nam etiam tempore Legis fuisse fidem, certum est.*

26 Filii. υἱοὶ. *Scilicet jam adulti, non autem ampliùs infantes, ut opus habentes pædagogo. Sic exponit ipse Apostolus versu primo capitis sequentis.*

27 In Christum. εἰς χριστὸν. *id est, in nomen Christi: vide 1. Cor. 1. v. 13.*

28 Non est Judæus, neque Græcus, &c. *id est, Deus non habet rationem istarum circumstantiarum, sitne aliquis Judæus an Græcus, &c. sed quicunque in Christum credunt, eos pro filiis agnoscit.* Unus estis. εἷς ἐστε. *id est, veluti unus homo.* In Christo Jesu. *id est, Quatenus Christo insiti estis per fidem.*

29 Nempe Abrahæ semen estis. *Ratio consequentiæ est, Quia Christo principaliter facta est promissio, tanquam semini Abrahæ.*

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Ex ℣. 1. ex verbis, *O amentes Galatæ, quis vos fascinavit?* Quæritur? quatenus liceat ministro Verbi tam acriter objurgare suos auditores ut etiam adhibeat verba contumeliosa? Respondeo: Licita & recta est istiusmodi objurgatio; quatenus non convitiandi animo suscipitur, sed emendandi & corrigendi illorum socordiam, eosque excitandi ad seriam considerationem cælestis ac salvificæ veritatis. Et talis est hęc objurgatio Pauli. Talis etiam fuit illa Christi Luc. 24. ℣. 25. O amẽtes & tardi corde &c. διδ.

Simili objurgatione licet quoque uti adversus veritatis divinæ hostes seu falsos doctores ad gloriam Dei asserendam: ut colligitur ex exẽplo Christi, Matth. 20. ℣. 34. ubi Pharisæos appellat progeniem viperarũ: item ℣. 39. ubi eosdem nominat nationem malam & adulteram. Et cap. 23. ubi illos identidem vocat hypocritas. Et Joh. 8. ubi ait, Judæos illos incredulos esse ex patre diabolo. Similiter & Johannes Baptista Pharisæos & Sadducæos progenies viperarum appellavit: Et Paulus adversarium articuli fidei de resurrectione corporum sic appellat, ἄφρον (id est, ô demens) quod tu seminas, &c. 1. Corinth. 15. ℣. 36. Quanquam hic observandum quoque videtur decorum personæ. neque enim quemvis Verbi ministrum videtur decere, quod Christum, Johannem Baptistam & Apostolum Paulum decuit.

παιδ.

διδ.

Ex eodem versu, ex verbis: *Quibus ob oculos Christus coràm fuit depictus.* Quum idem sit scopus Sacramentorũ qui est verbi: consequens est, illa quoq; Christum crucifixum nobis προγράφειν, id est, ob oculos depingere. Id autem præstat suâ analogiâ seu similitudine quâ habent cum re significata: cujus proinde analogiæ respectu rectè nominantur rerum spiritualium imagines, typi, figuræ.

παιδ.

Ex ℣. 2. Quum prædicatio Evangelii adjunctam habeat efficaciam Spiritus sancti: studiosè igitur à nobis est audienda.

διδ.

Ex ℣. 3. Qui justitiam ex observatione Legis quærunt, frustra laborant: quia carne (id est, corruptione naturali, seu per carnalem generationem innatâ) impediuntur quò minùs Legem perfectè possint præstare. Confer Rom. 8. ℣. 3. Quare justitiam quâ consistamus coram Deo, non in observatione Legis, sed in fide Evangelii quæramus.

παιδ.

διδ.

Ex ℣. 4. Qui aliquid passi fuerint propter confessionem Christi, mercedem à Deo accipient: dummodo cõstanter Christo adhæserint. Etenim Christus talibus mercedem promisit, Matth. 5. ℣. 11. & 12. Dabitur autem ista merces ex gratia, non autem ex laborantium merito: ut docetur per parabolam de denario dato operariis qui laborarant in vinea, Matth. 20.

Ex ℣.

Ex ℣. 6. & sequentibus notentur argumenta, quibus ostendit Apostolus, hominem coram Deo justificari fide in Christum, & non ex operibus Legis. Illa singula indicata & declarata sunt in Analysi. διαλ.

Ex ℣. 14. ex verbis, *Ut ad Gentes benedictio illa Abrahæ perveniret.* Bene hic notandum est, mortis Christi fructum à Paulo statui non solùm liberationem ab exsecratione Legis, sed etiam benedictionem, Abrahæ promissam, id est, vitam æternam. Quare vita æterna non est ex sancta vita Christi, tanquam fructus illius, deducenda. Interim verum est, sanctam Christi vitam necessariò præcessisse, antequam hic fructus ex ipsius morte produceretur. Nisi enim victima à Christo oblata, fuisset sancta: non conciliasset nobis favorem Dei: qui unicus vitæ æternæ fons est. διαλ. ἔλ.

Ex ℣. 16. In Christo omnes Dei promissiones sunt Et jam & Amen, id est, ratæ. Hinc promissio Abrahæ facta de danda semini ipsius terra Canaan & vita æterna per illam significata, exponitur de Christo tanquam semine principali. Etenim Christo principaliter promissa est vita æterna, tanquam primogenito inter multos fratres. Et propter Christum data est semini carnali Abrahæ terra Canaan: & propter eundem datur vita æterna semini spirituali Abrahæ, id est, omnibus qui vestigiis fidei Abrahæ tanquam patris credentium insistunt. Quare quicunque in Christum credunt, spem certam vitæ æternæ habent, propter infallibilem Dei promissionem. διαλ.

Ex ℣. 17. 18. & 19. Lex non est à Deo lata Judæis, ut per illius observationem justificarentur & vitam æternam consequerentur: sed ut illos coargueret peccati, ac proinde in eis crearet desiderium Christi, tanquam seminis illius cui principaliter facta erat promissio vitæ æternæ, & propter illum omnibus in ipsum credentibus. Aberrant igitur à scopo Legis, qui per eam justificari conantur. διαλ. ἔλ.

Ex ℣. 19. ex verbis, *Ordinata per Angelos.* Etsi per Legem non contingit nobis justitia & vita æterna: tamen Lex non est propterea contemnenda: sed est in honore ac pretio habēda: quum in illa ordinanda Deus usus sit ministerio sanctorum Angelorum & Mosis tanquam ser- ναυδ.

vi fidelis in domo sua. Et sane Lex semper manet regula vitæ: quum in ea doceat Deus quomodo ipse à nobis coli uelit. Cui regulæ omnes nostras actiones conformare debemus: & interim credere, defectus nobis non imputari propter satisfactionem Christi, qui omnium transgressionum nostrarum pœnas perfectè persolvit.

Ibid. Ex ℣. 21. & 22. Etsi justitia non contingit homini ex Lege, ied ex promissione gratiæ: tamen Lex non est promissioni contraria. Quin potiùs Lex promissioni inservit: quatenus hominem peccati coarguens, quærere cogit peccati expiatorem, quem promissio ostendit.

Index. Ex ℣. 21. Quòd justitia non est ex Lege: causa non est, quòd Lex non sit perfecta justitiæ regula: sed quòd prædicatio Legis non habet adjunctum Spiritum vivificantem, id est, largientem auditori vires ad Legem perfectè præstandam.

Ibid. Ex ℣. 23. 24. & 25. De usu Legis ceremonialis, & ejusdem abrogatione, dictum est satis in Analysi.

Ibid. Ex ℣. 26. Inter fidei effecta est υἱοθεσία, id est, adoptio quâ Deus nos habet in numero filiorum propter filium illum unigenitum & summè dilectum. Confer Johan. 1. ℣. 12. Ephes. 1. ℣. 5. & 6.

Ibid. Ex ℣. 27. Baptismus testimonium divinum est credentibus, quòd Christum induerint seu Christo insiti sint, seu denique quòd propter illum filii Dei sint & hæredes vitæ æternæ. Erant autem qui ex his verbis Apostoli colligunt, singulos qui baptizantur, Christum induere & filios Dei effici: quum experientia testetur non singulos qui baptizantur, fide donatos esse vel pòst donari: at sine fide nemo (saltem adultus) filius Dei efficitur. Simon Magus fuit baptizatus: sed fide donatus non fuit: licet fidem sit professus: quo etiam sensu credidisse dicitur: Act. 8. ℣. 13. & deinceps.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Hoc caput in tres partes distingui potest: in quarum prima amplius disseritur de abrogatione Legis ceremonialis: in secun-

secunda suam erga Galatas benevolentiam testatam facit: in tertia novum argumentum contra justificationem ex Lege affert.

HOc autem dico; Quandiu hæres infans est, nihil differt à servo; quamvis sit dominus omnium:

2 Sed sub tutoribus & curatoribus est usque ad tempus quod pater præfinierit.

3 Ita & nos, quum essemus infantes, sub elementis mundi eramus in servitutem redacti:

4 At postquam vênit plenum tempus, emisit Deus Filium suum factũ ex muliere, factum Legi subjectum:

5 Ut eos qui Legi erant subjecti, redimeret: ut adoptionem acciperemus.

6 Quoniam autem estis filii; emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, *id est*, Pater.

7 Itaque non amplius es servus, sed filius: quòd si filius, etiam hæres Dei per Christum.

8 Imò tum quidem ignorantes Deum, serviebatis iis qui naturâ non sunt dii:

9 At nunc quum cognoveritis Deum; imò potiùs cogniti sitis à Deo: quomodo convertitis vos retrorsum ad impotentia & egena elementa; quibus, ad superiora regressi, servire vultis?

10 Dies observatis & menses, & tempora, & annos.

11 Metuo de vobis ne frustra fatigatus sim apud vos.

PRIMA capitis pars cohæret cum præcedentibus tanquam ἐπεξεργασία, id est, expolitio & uberior declaratio. Declarat enim pluribus verbis discrimen illud inter Ecclesiam Israeliticam & Ecclesiam Christianam: quod discrimen superiore capite versu 25. & 26. significaverat his verbis: Nos non amplius esse sub pædagogo, id est, ceremoniis Legis, quia simus filii Dei, scilicet adulti qui jam fruamur jure filiorum. Itaque ceremonias Legis illic comparavit pædagogo, & paulo antè vers. 23. comparavit easdem custodi seu militi præsidiario: nunc tertiam similitudinem affert, quâ comparat illas tutori: cui quamdiu subest hæres, nondum fruitur jure filii, nempe libertate, sed est quodammodò conditione servili. Ita fideles veteris Testamenti etsi hæredes erant, tamen adhuc erant sub ceremoniis Legis tanquam sub tutore; ac proinde non fruebantur libertate illa qua jam nos fruimur. Fruebantur illi quidem libertate conscientiæ: per fidem enim certi erant se liberatos esse à peccato & diabolo & morte: sed portare tamen cogebantur jugum multarum ac variarum ceremoniarum: quod jugum per adventum CHRISTI, quem ceremoniæ præfigurabant, ab humeris nostris ablatum est. Protasis similitudinis continetur ℣. 1. & 2. apodosis verò tertio, quarto & quinto. In protasi tutelam finiri monet ex ordinatione patris: non quòd non plures sint tutelæ finiendæ modi: sed quòd iste cõgruebat huic proposito. Sicut enim pater certum tempus præfinit quo filius à tutoribus liberetur: sic Deus pater certum tempus præfiniverat quo populus suus liberaretur à ceremoniis Legis. Porrò ceremonias vocat elemẽta mundi: quia Deus illis tanquam rudimentis veterem mundum erudiit. Plenitudinem temporis seu plenum tempus vocat tempus illud providentiâ Dei ordinatum & cõstitutum ut eo expleto filius Dei in carnem veniret. Præterea ait, filium Dei redactum fuisse sub Legem, ut eos qui sub Lege erant, redimeret. Redactus fuit sub Legem, quatenus homo natus fuit ex Judæis, quib⁹ Lex erat data. Itaque octavo die fuit circumcisus, & ita totius Legis servandæ debitor constitutus est. infr. cap. 5. ℣. 3. Redemit au-

Act. 15. v. 10.

Vide Institut. Justin. lib. 1. tit. 22.

autem eos qui sub Lege erant, nempe fideles veteris Testamenti, bifariam: partim à maledictione Legis, quatenus ipse pro eis factus est maledictio in cruce, sup. 3. ℣. 13. partim à cæremoniis Legis, quatenus id implevit ac re ipsa præstitit quod cæremoniæ Legis præfigurabant.

Adoptionis nomine hîc intelligit fruitionem adoptionis, seu juris ac libertatis filiorum, quod ad cæremonias attiner. Versu 6. aliud argumentum affert ad probandum, Galatas esse filios Dei, ac proinde liberos à cæremoniis Legis. Hoc argumẽtum sumtum est à proprio adjuncto: nam solis Dei filiis donatur Spiritus filii Dei, id est, Spiritus sanctus, ut in eorum cordibus generet filialem fiduciam erga Deum. Hanc autem fiduciam in eis esse, ostendit ex effectu, videlicet confidente invocatione Dei. Spiritum sanctum vocat spiritum Filii, non quòd non etiam sit spiritus Patris: sed quòd per eum obsignetur nostra in illo adoptio, & ut noter filialem affectum quem Spiritus sanctus in credentibus gignit. Spiritum sanctum dicit clamare, id est, excitare clamorem in fidelibus. sicut ad Rom. c. 8 ℣. 26. ait, Spiritum sanctum interpellare pro nobis suspiriis ineffabilibus. Clamor autem hic non tam oris quàm cordis est: quum cor ad Deum ex filiali fiducia ingemiscit ac suspirat. Nomen Dei quem fideles ut patrem invocant, bis ponit: Hebraicè nimirum & Græcè: quo innuit, filios Dei tam ex Græcis seu gentibus incircumcisis, quàm ex Hebræis colligi. Versu 7. argumentum proximum concludit: & inde per corollarium deducit conclusionem quæstionis principalis, nempe hæreditatem cælestem esse ex fide in Christum: non autem ex Lege seu merito operum. Versu 8. per prolepsin corrigit sententiam quæ ex dictis poterat colligi, quasi scil. Galatæ olim fuissent sub cæremoniis Legis. Imò, inquit, fuistis sub servitute longè duriore, quàm sit servitus cæremoniarum. Serviebatis enim diis falsis & commentitiis: quippe qui verum Deum ignorabatis. Fuerãt enim ethnici & idololatræ. Versu 9. pristinæ Galatarum ignorãtiæ opponit præsentem lucem cognitionis Dei ex Evangelio, atque inde deducit ipsorum reprehensionem, quâ concludit propositum, nempe non

debere eos ceremoniis Legis servire: id quod pseudapostoli urgebant. Quòd autem ceremonias Legis impotentia & egena elementa vocat, facit propter opinionem pseudapostolorum & Galatarum qui per earum observationem quærebant gratiam Dei, quam tamen illæ cõferre nequaquam poterãt. Et impropriè loquitur, quum ait, *Quibus ad superiora regressi servire vultis*: quia ut dictum est, nunquam antea ceremoniis Legis servierant. Versu 10. nomen illud generale Elementorum declarat per speciem, nempe dies festos quos Galatæ more Judaico religiosè observabant. Versu 11. subjungit tristem exclamationem, affirmans, se metuere ne frustra Evangelium Galatis prædicaverit. quibus verbis illos & gravissimè ob ceremoniarum Legalium observationem reprehendit, & simul ab ea deterret argumento ab effectu inutili: quia sic futurum sit, ut Christus nihil eis prosit, quemadmodum expresse ait infr. cap. 5. ℣. 2. Et hactenus est prima pars hujus capitis.

12 Estote quasi ego: nam & ego *sum* quasi vos: fratres, rogo vos. nihil mihi feciſtis injuriæ.

13 Noſtis autem, me per infirmitatem carnis vobis priùs evangelizasse:

14 Et experimẽtum mei quod *fiebat* in carne mea, non pro nihilo habuiſtis, neq; respuiſtis: sed me ut Angelum Dei, ut Christum Jesum, excepiſtis.

15 Quæ igitur *tum* erat beatitudo vestra? testimonium enim reddo vobis; vos, si fieri potuisset, oculos vestros effossos daturos mihi fuisse.

16 Itaque *num* inimicus factus sum vobis, dum vobis vera loquor?

17 Depereunt vos non bene; imò excludere nos volunt, ut se depereatis.

18 Præclarum est autem, vehementer amare

re in re bona semper, & non solùm dum præsens sum apud vos.

19 Filioli mei (quos iterum parturio, usquequò formetur Christus in vobis)

20 Velim sanè nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam: quoniam hæsito in vobis.

Hæc est secunda pars capitis, ubi acerbitatem præcedentis reprehensionis mitigat significatione suæ erga eos benevolentiæ, & commemoratione humilis suæ ac modestę apud ipsos conversationis, nec non benevolentiæ ipsorum erga se: præterea commonefactione de fraude pseudapostolorum, item cohortatione ad constantiam in sese tanquam sincero apostolo ac fideli ipsorum doctore amando: denique significatione sui desiderii ac studii in ipsis erudiendis & in viam veritatis reducendis. Hæc agit usque ad ℣. 21.

21 Dicite mihi qui sub Lege vultis esse, Legem non auditis?

22 Scriptum est enim, Abrahamum duos filios habuisse: unum ex ancilla, & unum ex libera.

23 Sed is qui ex ancilla *natus est*, secundùm carnem natus est: qui verò ex libera, per promissionem.

24 Per quæ aliud figuratur. Nam hæc sunt duæ illæ pactiones, una quidem ex monte Sina, ad servitutem generans: quæ est Agar.

25 Istud enim Agar, est Sina mons in Arabia: eâdem autem serie respondet ei Hierosolymæ quæ nunc *est*, servitúque cum filiis suis.

26 Illa verò quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm.

27 Scriptum est enim, Lætare sterilis quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis.

quoniam plures sunt liberi desertæ, quàm ejus quæ habet virum.

28 Nos igitur, fratres, secundùm Isaac, promissionis filii sumus.

29 Sed quemadmodum tunc is qui secundùm carnem genitus fuerat, persequebatur eum qui natus erat secundùm Spiritum: ita & nunc *fit*.

30 Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: nequaquam enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

31 Nempe, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.

Hîc tertia pars capitis sequitur, ubi testimonio ipsius Legis eos redarguit; ostendens non rectè ipsos facere qui per fedus Legale justificari velint, non autem per promissionem sive fedus gratuitum. Hoc testimonium sumtum est ex libro primo Mosis, videlicet ex historia de duobus filiis Abrahæ, Ismaële & Isaac: in quibus naturam ac discrimen duorum Dei federum cum populo suo pactorum animadvertere licet. Nam per matrem Ismaëlis Agarem ancillam significatur pactio Legalis: (sicut enim Agar cum Ismaële in Arabia vixit, sic mons Sina in quo Lex est lata, in Arabia situs est) per Saram autem matrē Isaaci significatur pactio Evangelica seu promissio gratiæ: nam Sara Isaacum vi promissionis genuit. Jam consideretur utriusque pactionis natura & effecta. Quemadmodū igitur Agar genuit Ismaëlem secundùm carnem, id est, ordinariâ vi naturæ, ad servitutem: sic & Lex. nam justitiarii, id est, qui per Legem justificari volūt (sicut tunc faciebant Judæi plerique) confidunt viribus naturalibus & rebus carnalibus seu externis, ut ceremoniis externisq; operibus: sed quum per vires suas nō possint perfectam Legi præstare obedientiam, subjacent maledictioni Legis, ac proinde instar servorum ejiciuntur è familia Dei, nec hæreditatem cælestem adipiscuntur.

Contrà

Contrà quemadmodum Sara genuit Isaacum per promissionem, id est, non vi naturæ (erat enim & sterilis & effœta) sed vi fidei quam habuit promissioni Dei, dicentis, Post annum revertar, & erit Saræ filius: & genuit ad libertatem, ita ut Isaac tandem frueretur hæreditate paterna: sic & Evangeliū seu promissio gratiæ. nam qui per Evangelium justificantur, nempe fideles, illi non confidunt viribus naturalibus: sentiunt enim se iis destitutos esse ad perfectam Legi obedientiam præstandam: sed gignūtur filii Dei per promissionem gratiæ, quatenus Spiritus sanctus efficit, ut promissioni gratiæ quæ ipsis annuntiatur credant, & hac fide adoptentur in filios Dei, ac tandem hæreditatem promissam consequantur. *Genes. 18. 10.*

Diagramma propositæ similitudinis.

1	*Agar*	Lex & Jerusalē terrena.	1	*Sara*	Evangelium & Jerusalem cælestis.
2	*Ismael*	Justitiarii.	2	*Isaac*	Fideles.
3	*Generatio secundùm carnem.*	Justificatio per opera.	3	*Generatio secundùm spiritum.*	Justificatio per fidem.
4	*Ejectio ex familia Abrahæ.*	Ejectio ex familia Dei.	4	*Hæreditas bonorum*	Hæreditas vitæ æternæ.

Apostolus primùm proponit hoc argumentum indicatione generali, significans se argumentum ad errorem ipsorum redarguēdum allaturum ex Lege, id est ex libris Mosis: simulq; authoritatem huic testimonio conciliat ab ipsorum met judicio & confessione: quippe qui Legem tanti faciant, ut sub ea esse cupiant, ℣. 21. Deinde exponit testimonium illud Legis, videlicet historiam de duobus filiis Abrahæ, ℣. 22. & 23. quæ est similitudinis institutæ protasis. Tertiò historiam illam allegoricè seu analogicè exponit de duobus illis Dei federibus, Legali & gratuito: ℣. 24. 25. 26. 27. quæ est similitudinis institutæ apodosis. Quarto argumentum expositum applicat ad Galatas: quos affirmat esse filios promissionis, sicut Isaac. quibus verbis significat: eos per promissionem

gratiæ adoptatos esse à Deo, ac proinde hæreditatem vitæ æternæ exspectare debere ex eadem illa promissione, non autem ex observatione Legis, ℣.28. Quintò consolatur eos contra persecutionem & odium justitiariorum, primùm ab exemplo Isaaci, quem similiter persecutus fuit Ismaël, irridendo promissiones illi datas: deinde ab eventu seu remuneratione, quia sicut Ismaël tandem ejectus fuit ex familia Abrahæ, nec particeps fuit hæreditatis paternæ: ita futurum sit ut justitiarii isti tandem ex familia Dei ejiciantur, ipsi verò tanquam filii promissionis, hæreditatem vitæ æternæ possideant, versu 29.30.31.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Hoc autem dico. λέγω δὲ. *Pro*, τοῦτο δὲ λέγω. *id est*, *Quod autem dixi, Legem fuisse nostrum pædagogum ad Christum (suprà cap.3. v 24.) illud sic intelligo & declaro.*

3 Quum essemus infantes. ὅτε ἦμεν νήπιοι. *id est*, *quum essemus adhuc rudes.* Sub elementis mundi. ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου. *id est*, *Sub ceremoniis quibus Deus veterem mundum erudiit.* In servitutem redacti. δεδουλωμένοι. *Nam magna servitus erat, obligatum esse ad observandum tot ceremonias, easq; & operosas & sumtuosas.*

4 Plenum tempus. τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου. *Ad verb. Plenitudo temporis, vel potiùs complementum temporis. id est, posteaquam completum fuit tempus à Deo præfinitum.* Emisit. ἐξαπέστειλεν. *Nempe è cælo. Sic enim dicit Christus, se descendisse è cælo. Johan.6. v 33. Videtur posse verti,* Ablegavit. *scilicet à se. sic namque ait Christus, se à Deo exiviſse: Johan.8.v.42.* Factum. γενόμενον. *Sive* ortum, *id est, Qui à Deo emissus, vênit in carnem (ut loquitur Johannes) ortus ex muliere: nempe ex Maria virgine: qua dicitur mulier ratione sexus: atque ita verus homo factus, Legi sese subjecit susceptâ circumcisione.*

5 Ut eos qui Legi erant subjecti &c. ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον. *scil.* ὄντας, *hoc est, Qui & sub onere ceremoniarum erant, & sub onere maledictionis.* Redimeret. ἐξαγοράσῃ. *nempe pretioso suo sanguine in cruce effundendo. Sic enim redemit eos & à maledictione Legis, factus pro eis maledictio in cruce, su-*

ce, supra cap. 3. v. 13. & à ceremoniis Legis, quatenus eas ut figuras implevit: Joh 1. v. 17. Coloss. 2. v. 14. Ephes. 2. v. 15. Adoptionem. *τὴν υἱοθεσίαν. id est, fruitionem adoptionis seu juris ac libertatis filiorum, tum quod ad ceremonias attinet, tum quod ad gustum paterni favoris Dei.*

6 Filii. *υἱοί. Nempe Filii Dei: impetrato scilicet vobis jure filiorum morte filii unigeniti.* Clamantem. *id est, Per quem clamamus: ut loquitur Rom. 8. v. 15. Sic dicit, Spiritum interpellare pro nobis suspiriis ineffabilibus, Rom. 8. v. 26. Est metonymia efficientis.*

7 Quòd si filius, etiam hæres. *Confer Rom. 8. v. 17.*

8 Tum quidem. *Scilicet, quum adhuc durarent ceremoniæ Legis.* Ignorantes Deum. *Non quidem prorsus (nam noverant quadantenus ex operibus creationis, Rom. 1.) sed qualem se verbo suo patefecit.* Iis qui naturâ non sunt dii. *τοῖς μὴ φύσει ὖσι θεοῖς. Collocatio adverbii μὴ, innuit antithesin: quasi expressè dicat, μὴ φύσει, ἀλλὰ δόξῃ. Similis ellipsis est Rom. 8. v. 12. Nisi malimus, particulam μὴ trajectam esse, ut sæpe trajicitur ἃ.*

9 Cogniti sitis. *γνωσθέντες. id est, In filiorum numerum à Deo recepti, quos ille novit ut suos seu agnoscit pro suis. Idem verbum alio sensu repetitum per ἀνταπόκλασιν figuram Apostolo familiarem. Similem locum vide 1. Cor. 8. v. 3.* Retrorsum. *πάλιν. id est, αὖ πάλιν.* Ad impotentia & egena elementa. *Sic vocat ceremonias Legis, respiciens ad falsam opinionem Galatarum, qua putabant, illas conferre gratiam Dei.* Ad superiora regressi. *πάλιν ἄνωθεν. Hoc impropriè de Galatis dicitur, ut qui ceremoniis Legis nunquam servierant. Talis catachresis extat Ruth 1. v. 10. & 22. ubi Ruth dicitur cum socru Nóomi in terram Judah rediisse, in qua tamen nunquam fuerat.*

10 Dies. *Nempe dies festos in Lege præscriptos.* Observatis. *nempe religiosè.*

11 Frustra. *εἰκῇ. id est, μάτην. sine fructu.* Fatigatus sim. *κεκοπίακα. scil. prædicando Evangelio.*

12 Nam & ego. *ὅτι κἀγώ. Conjunctio γὰρ redundat eleganter: imò non planè videtur otiosa, quum collationem innuat parium.* Nihil mihi feciſtis injuriæ. *οὐδέν με ἠδικήσατε. Breviter & eleganter. Ad verbum, Nulla in re*

me affeciſtis injuriâ. nam ante οὐδὲν ſubauditur ὑμᾶς.

13 Per infirmitatem carnis. δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς, id eſt, per varias afflictiones.

14 Et experimentum mei &c. id eſt, afflictiones quibus Deus me exploravit. Ut Chriſtum Jeſum. Quippe pro quo legatione fungebar.

15 Quæ igitur tum erat beatitudo veſtra? πῆς ἦν οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν, id eſt, Quàm igitur tunc eratis beati? quaſi dicat, Eratis igitur tunc beatiſſimi: quippe animis optime affecti erga doctrinam Evangelii & me, qui illam vobis annuntiabam. Interrogatio vim habet admirandi: & μακαρισμὸς ponitur pro μακαριότης. Oculos veſtros effoſſos daturos mihi fuiſſe. id eſt, tanto amore me fuiſſe complexos, ut etiam rem vobis chariſſimam mihi impertiri non recuſaretis. Synecdoche ſpeciei hyperbolicæ.

16 Itaque num inimicus &c. Interrogatio vim habet negandi. Vis autem & coherentia ſententiarum hæc eſt, quaſi dicat, Quum igitur vos erga me præſentem tam alacres oſtenderitis, tantoq; amore me complexi fueritis: non debebatis me nunc pro inimico habere.

17 Depereunt vos. ζηλοῦσιν ὑμᾶς. Metaphora à procis: quibus comparat pſeudapoſtolos: ut qui non poſſint in amandis Galatis ferre Paulum tanquam rivalem. Excludere. ἐκκλεῖσαι. Nempe ab amore veſtri. Manet in metaphora. Nos. ἡμᾶς. id eſt, me Paulum. Non enim legendum ὑμᾶς, vos: ut ex ſententia ipſa planum eſt. Syrus tamen videtur legiſſe, ἐισκλεῖσαι ὑμᾶς: vel συγκλεῖσαι ὑμᾶς: ut qui verterit למחבשבון lemechbaſchcùn, id eſt, includere vel concludere ſeu coërcere vos. Imò ἀλλὰ. Correctio. quaſi dicat, Pſeudapoſtoli illi non tam depereunt vos, quam ſuâ hypocriſi hoc agunt, ut vos depereatis (id eſt in ſummo pretio habeatis) ipſos, me penitus excluſo.

18 Vehementer amare. ζηλοῦσθαι. Puto hoc rectiùs referri ad Galatas quàm ad Apoſtolum: quia verbum ζηλῶσι de illis proximè dictum hic repetit. quaſi dicat, Pſeudapoſtoli hoc agunt, ut ſe vehementer ametis me excluſo: at vos me debetis vehementer amare in re bona. hoc eſt, quum habeatis juſtam amandi mei cauſam: quia ſcilicet etiam abſens, in ſana de Chriſto doctrina vos erudio. Et non ſolùm.

lum. οὐ μὴ μόνον. His verbis exponit & declarat adverbium proximè præcedens, πάντοτε. id est, Semper. Itaque οὐ vim habet ἐρμηνευτικὴν.

19 Quos. ὃς. Præcessit τεκνία. Ergo constructio refertur non ad vocem, sed ad sensum. Iterum parturio. πάλιν ὠδίνω. quasi dicat, Peperi quidem vos ante hoc tempus, quum apud vos Christum prædicavi: sed quoniam ab illa doctrina defeciistis, nunc iterum vos parturio, hoc est, maximo cum dolore enitor ut veritatem Evangelii recuperetis. Formetur. μορφωθῇ. Puto, Apostolum respicere ad formationem fœtus in utero, atque ita in metaphora instituta permanere. Mulier enim gravida non tunc sòlùm videtur ὠδίνειν, id est, parturire, quum pariendi tempus adest, quumq; fœtum jam enititur: sed toto gestationis tempore; hoc est, quamdiu fœtum in utero gestat: qui primùm informis paulatim formatur, non absque variis gravidæ molestiis. Innuit igitur Apostolus, Christum, (id est, Christi cognitionem) in Galatis esse quidem nonnullam: sed veluti rudem adhuc & informem: quam ipse studeat in hac epistola ad perfectam formam adducere.

20 Velim sanè. ἤθελον δὲ. Cohæret hic versus cum præcedente in eadem periodo: & δὲ ponitur pro δὴ, sicut Colos. 1. v. 21. sicut etiam accipi potest supra cap. 2. v. 4. Velim mutare vocem meam. id est, non ita asperè vos alloqui, ut feci in hac epistola, ut supra cap. 3. v. 1. sed blandè, instar matris. Hæsito in vobis. id est, Dubito, qualinam voce apud vos uti debeam, asperáne an blandâ, ut vos in viam reducam & rursus Christo lucrifaciam.

21 Dicite mihi. Jam blandiùs eos alloquitur, quasi familiariter cum eis colloquens. Rhetores hanc figuram συνοίκωσιν, id est, communicationem nominant. Legem non auditis? Interrogatio vim habet reprehendendi. q. d. Hoc certè non decet, vos Legem non audire, quum tamen velitis sub Lege esse. Est autem hîc antanaclasis in vocabulo Legis: quod primùm accipitur propriè, deinde metonymicè pro libris Mosis. Similis antanaclasis est Rom 3. v. 21.

22 Scriptum est enim γέγραπται γάρ. Conjunctio γάρ, posita est ἐπεξηγητικῶς. quasi interrogarint Galatæ: Num igitur Lex idem docet quod tu? Respondet, Maximè. Scriptum

est enim in Lege &c. Unum. *Nempe Ismaëlem.* Ex ancilla. *scilicet Agar.* Et unum. *Nempe Isaacũ.* Ex libera. *scil. Sara.*

23 Secundùm carnem. *Per vires carnis secundùm ordinem naturæ. nam Agar erat liberis pariendis per naturam apta.* Per promissionem. *Quæ exstat Genes. 17. v. 19. & cap. 18. v. 10.*

24 Hæ sunt duæ illæ pactiones ἅτινά εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι. *vel, Hæc sunt duo illa fœdera seu testamenta, nempe vetus & novum.* Una quidem. μία μὲν *scilicet pactio,* διαθήκη. Ex monte Sina. ἀπὸ ὄρους Σινᾶ. *scilicet προφθεῖσα. profecta.* Ad servitutem generans. *Nam Lex in monte Sina lata, servilem timorem incutit.* Quæ est Agar. ἥτις ἐστὶν Ἁγάρ. *id est, Quam pactionem significat Agar, seu cujus figura est Agar. nam ordo subjecti & prædicati hic est inversus.*

25 Eâdem serie respondet. συστοιχεῖ. *id est, Similis est. nam in diagrammate similitudinis observatur συστοιχία, coordinatio, ut similia è regione inter se ponantur.* Ei Hierosolymæ quæ nunc est. τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. *id est, Illi genti Judaicæ quæ nunc Hierosolymis degit.*

26 Quæ sursum est. ἡ ἄνω. *scilicet* ἐστὶ. *Nostrum enim πολίτευμα est in cœlis, Philip. 3.*

27 Scriptum est. *scil. Esai. 54. v. 1.* Lætare. *Sunt verba Prophetæ ad Ecclesiam Christianam: quam vocat sterilem & desertam respectu initii, quum Ecclesia Judaica adhuc duraret.*

28 Secundùm Isaac. κατὰ Ἰσαάκ. *id est, Sicut Isaac.* Promissionis filii. *id est, Geniti per promissionem Evangelii.*

29 Tunc. *scilicet tempore Abrahæ.* Is qui secundùm carnem, &c. *Nempe Ismaël.* Persequebatur. *Nempe irridendo. Genes. 21. v. 9.* Secundùm Spiritum. *Vi fidei quam Abraham & Sara habuerunt promissioni Dei de gignendo Isaaco.* Ita & nunc fit. *Ita & nunc carnalis Israël spiritualem persequitur.*

30 Scriptura. *id est, Deus in Scriptura.* Eiice. *Sunt verba Saræ ad Abrahamum de Agare & Ismaële è domo sua ejiciendis: sed profecta ex instinctu Dei: quippe qua Deus paulo-pòst approbavit & confirmavit, quum displicuissent Abrahamo. Vide Genes. 21. v. 10. 11. & 12.*

OBSER-

OBSERVATIONES EX CAP. IV.

Ex quinq; primis versibus. Notandum est discrimen quoddam veteris & novi Testamenti. Nos in novo Testamento beatiores sumus quàm illi qui vixerunt in veteri: quia illorum conditio quasi servilis fuit. Etsi enim credentes tum quoque libertate conscientiæ fruebãtur; ut qui per fidem scirent se liberatos esse à peccato & diabolo & morte propter sacrificium Christi futurum: tamen subjecti erant servituti obeundi multas ac varias ceremonias: à quarum observatione nos per Christum sumus liberati. Dic.

Ex ℣. 4. Est hîc illustre testimonium de persona Christi & duabus in ea naturis. *Emisit*, inquit, DEUS *filium suum factum ex muliere*. Si emissus est, ergo fuit antequam mitteretur: quid autem aliud fuit nisi Deus cum Patre & Spiritu sancto? deinde factus est ex muliere, id est, creatum est ei corpus ex semine & substantia Mariæ virginis: quare simul verus homo est. Dic.

Ex ℣. 5. Considerandum hîc, quomodo & quatenus à Lege redemti simus per Christum. Sumus autem redemti partim à maledictione Legis; partim à ceremoniis: idque per mortem Christi, quatenus nimirum ipse pro nobis factus est maledictio in cruce, suprà 3. ℣. 13. Atque huc pertinet illud Johannis cap. 1. ℣. 16. Lex per Mosen data est: gratia & veritas per JESUM CHRISTUM exstitit. Vocabulo *gratiæ* docet, nos redemtos per Christum à maledictione Legis: nomine autem *veritatis* docet, nos redemtos à ceremoniis tanquam symbolis ac figuris rerum à Christo reipsa præstandarum. Dic.

Ex ℣. 6. Quum Spiritus sanctus sit tam Filii Spiritus, quàm Patris: consequens est, eum tam à Filio quàm à Patre procedere: contra opinionem Ecclesiæ Græcæ. Dic. ℣λ.

Ex eodem versu. Quicunque præditus est vera fide, is ex illa fide Deum ut patrem invocat. Dic.

Ex eodem versu. Gemitus filiorum DEI (id est, credentium in Christum) à Deo exaudiuntur: quia instar clamoris sunt in auribus Dei. Confer Rom. 8. ℣. 26. & 27. Dic.

Ex ℣. 7. Quicunque in Christum credit, est hæres Dei: Dic.

hoc est, vitæ æternæ quam Deus credentibus tanquam filiis suis daturus est. Confer Rom. 8. ℣. 17.

μω. λύσ. Ex ℣. 8. Quæri potest, cur dicat Paulus, Galatas, antequam fidem Christianam essent amplexi, Deum ignorasse: quum tamē idem Rom. 1. de Gentibus à fide Christiana alienis affirmet, eas Deum cognovisse, idq; ex operibus creationis? Respondeo: Galatas Deum ignorasse dicit, non quòd eum prorsus non cognoverint, sed quòd notitiam ejus ex operibus creationis perceptam suffocârint & tantùm non exstinxerint, dum pro diis coluerunt homines mortales & idola. Hanc esse mentem Pauli, percipitur ex verbis quæ subjungit, *Serviebatis iis qui naturâ non sunt dii.*

℣λ. Ex eodem versu, ex verbo: *Serviebatis.* ἐδουλεύσατε. Ecce cultum idolorum vocat δουλείαν. Inane igitur & futile est discrimen illud quod excogitarunt Papistæ inter δουλείαν & λατρείαν: quum dicunt, se soli Deo tribuere λατρείαν, Sanctis verò δουλείαν.

℣λ. Ex ℣. 9. 10. 11. Quum dies festi in novo Testamento abrogati sint, ut liquet ex hoc loco Pauli: sequitur, impropriè hodie à nonnullis appellari festum Nativitatis Christi, festum Paschæ, festum Pentecostes, & si quæ similes appellationes in usu sunt. Etenim festa omnia abrogata sunt tā quam umbræ rerum futurarum, id est beneficiorum futurorū per Christum: ut percipitur ex verbis Apostoli Colossē. 2. ℣. 16. & 17. Et festum propriè loquendo est publica & solennis ceremonia, à Deo mandata, ut certo anni tempore cum singulari lætitia obeatur, ad gratias agendum Deo pro certo aliquo beneficio in populum suum collato. Sicut ex inductione exemplorum, puta festi Paschæ, Pentecostes & Tabernaculorum, colligere promptum est. Atqui tale mandatum in novo Testamento nullum habemus.

παιδ. Ex ℣. 12. & sequentibus usque ad 21. Pastor Ecclesiæ, exemplo Pauli, prudenter dispiciat quomodo tractandi sibi sint sui auditores: ut scilicet, prout ædificatio eorum postulare videbitur, nunc graviter eos objurget: sicut fecit Paulus suprà in principio capitis tertii: nunc verò suaviter & blandè eos alloquatur, ut idem facit hoc loco.

Ex

Ex ℣.14. & 15. Ministri Verbi Dei in pretio ac honore habendi sunt, tanquam angeli Dei, imò tanquam ipse Christus. unde & Christus Apostolis dicebat, Qui vos recipit, me recipit. Confer 1. Cor. 4. ℣. 1. & 2. Cor. 5. ℣. 20. παιδ.

Ex ℣.16. Non debet à nobis pro inimico haberi qui nos reprehendit, vera loquens. ἐπ.

Ex ℣.19. Prædicatione Evangelii fides in Christum gignitur. Confer 1. Cor. 4 ℣. 15. Philem. ℣. 10. διδ.

Ex ℣.21. & sequentibus usq; ad finem capitis. Interpretatio hæc allegorica historiæ de Sara & Agar, non est trahenda in exemplum. Nam de Paulo non est (sicut alia quæ scripsit omnia) illi dictaverit Spiritus sanctus: at idem de interpretationibus allegoricis aliorum affirmari non potest. Nimium autem in isto interpretandi genere sibi indulserunt olim Origenes & Philo Iudæus. ἀναλ.

Ex ℣.29 30. & 31. Contra persecutiones justitiariorum videlicet Papistarum, qui volunt justificari ex operibus & nos propter illius opinionis rejectionem persequuntur: consolemur nos partim exemplo pii Isaaci, cui similis persecutio accidit ab Ismaële; partim exemplo Christianorum tempore Pauli, quibus idem accidit à Judæis: præsertim denique ac præcipuè, quòd Deus decrevit hæreditatem vitæ æternæ dare nobis, non illis. παρ.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primùm eos hortatur ad constantiam in libertate Christiana, usq; ad ℣. 13. Deinde annectit tertiam epistolæ partem, ubi ad varia pietatis officia eos hortatur.

IN libertate igitur quâ Christus nos liberavit, perstate, & ne regredientes implicamini servitutis jugo.

2 Ecce, ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum.

3 Testor enim rursum, omni homini qui

circumciditur, eum esse debitorem totius Legis servandæ.

4 Christus vobis factus est otiosus, quicunque per Legem justificamini: à gratiâ excidistis.

5 Nos enim Spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus.

6 Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neq; præputium: sed fides per charitatem agens.

7 Currebatis pulchrè: quis vos inhibuit, ut non obsequeremini veritati?

8 Hæc persuasio non *est profecta* ex eo qui vocat vos.

9 Paulum fermenti totã massam fermentat.

10 Ego confido de vobis in Domino, vos nihil aliud esse sensuros: sed qui turbat vos, portabit judicium, quisquis fuerit.

11 Ego autem, fratres, si circumcisionem etjam prædico; quid adhuc persequutionem patior? nempe abolitum est offendiculum crucis.

12 Utinam etiam abscindantur qui vos inquietant.

VErsu 1. continetur hortationis propositio, è superiori doctrina deducta atque conclusa, & antithesi illustrata. Docuit, fideles esse liberos: quippe qui sint filii promissionis, id est regeniti per promissionem gratiæ & fide à DEO adoptati: nunc hortatur ad constantiam in hac libertate qua Christus nos liberavit, nempe ab observatione ceremoniarum Legis: quam hîc vocat servitutis jugum: quo nomine (videlicet jugi) etjam Petrus in Actis utitur. Versu 2. hortationis institutæ argumentum affert ab effectu inutili: cujus argumenti expositionem amplificat asseveratione. *Ecce*, inquit, *ego Paulus dico vobis: Si circumcidamini*, nempe hac mente

ut

ut pseudapostoli volũt, ut nimirum per circumcisionem ac omnino per Legem justificemini: *tum Christus nihil vobis proderit*. Quid ita? Nempe quia Christus iis tantùm prodest qui de sua ipsorum justitia quæ est ex Lege, desperantes, confugiunt fide ad promissionem gratiæ, & in hac promissione remissionem peccatorum merito mortis Christi partam fide amplectuntur. Versu 3. rationem exponit, cur Christus non prosit iis qui volunt per circumcisionem justificari: nempe quia qui justitiam quærit in circumcisione, is pari ratione tenetur eam quærere in reliquis operibus Legis, atque ita debitorem se constituit totius Legis servandæ. Quam cùm servare nemo possit: necesse est maledictionem Legis incumbere iis qui justitiâ operum seu Legis confidunt. Versu 4. repetit argumentum illud ab inutili: *Christus*, inquit, *factus est vobis otiosus quicunque per Legem justificamini*. hoc est, qui justificari volunt per Legem, ii seipsos spoliant justitiâ partâ morte Christi: quæ tamen omnibus ad vitam æternam consequendam necessaria est. Ratio est: quia justitia Legis affert Deo hominis meritum: at justitia parta morte Christi meritum hominis excludit, quippe quæ illi donatur ex mera Dei gratia. Unde addit, *A gratia excidistis*. quasi dicat, Gratia Dei erga hominem justificandum, & meritum ipsius hominis justificandi non possunt simul stare. quare merito hominis posito, gratiam Dei tolli necesse est. Vide Rom. 11. 6. Versu 5. affert argumentum à contrario, ut ostendat, neminem justificari per circumcisionem ac omnino per Legem. *Nos*, inquit, *exspectamus spiritu spem justitiæ ex fide*. q. d. Non igitur ex observatione Legis. Nomen Spei hîc ponitur metonymicè pro re sperata, nempe vitâ æternâ quæ est justitiæ fructus. Sic Tit. 2. 13. Spiritus nomine intelligit Spiritum sanctum fidei effectorem: quem tacitè opponit viribus naturalibus justitiariorum, quibus conantur vitam æternam promereri. Sententia igitur est, Nos speramus & exspectamus vitam æternam tanquam justitiæ fructum, ex fide quam Spiritus sanctus in nobis efficit, quaque nobis justitia parta morte Christi imputatur. Versu 6. rationem exponit superioris sententiæ, cur sci-

licet ex sola fide exspectemus vitam æternam, nõ autem partim ex fide, partim ex circumcisione aliisq; operibus Legis. Ratio est, Quia in Christo sola fides ad justificandum valet. hoc est, quia qui per Christum justificari vult, is non potest simul justificari per Legem: sed necesse est ut per fidem in solo merito Christi acquiescat. Circumcisionem solam fidei opponit: etsi reliqua Legis opera simul intelligat: quia pseudapostoli circumcisionem potissimùm urgebant. Deinde circumcisioni adjungit præputium: ne Gentes sibi ob præputium suum placerent, & Judæos ob circumcisionem contemnerent: quippe quòd nihil horum valeat ad hominem justificandum. Præterea ne Judæi possent objicere, nulla sibi relinqui exercitia pietatis, si tollãtur ceremoniæ Legis: monet Apostolus, fidem actuosam esse in exercendis officiis charitatis: atque ita veram fidem à propriis effectis describit. Vers. 7. & deinceps institutã exhortationem, quâ eos ad constantiam in libertate Christiana & veritate seu puritate Evangelii hortatur, amplificat à contrario, videlicet reprehensione inconstantiæ ipsorũ, & falsæ persuasionis de necessitate circũcisionis ac omnino de justificatione per Legem: simulq; monet ut ab ista persuasione diligẽter sibi caveant, tanquam à fermento, quo puritas Evangelii corrumpatur. Ac ne acerbitate reprehensionis eos offendat, mitigat illã significatione suæ persuasionis de illorum obsequio: interim tamen pœnam Dei minatur pseudapostolis qui ipsos seducebant. Tandem suũ ipsius exemplum eis imitandum proponit: ut qui propter puritatem Evangelii de remissione peccatorum per solum Christum crucifixum non recuset persecutionem pati. Postremò zelo gloriæ Dei & Galatarum charitate inflãmatus, imprecatur istis pseudapostolis interitum: ut qui libertate per mortem Christi partâ spoliare ipsos velint.

DE SECUNDA PARTE.

13 Vos enim ad libertatem vocati estis, fratres: tantùm ne libertatem *arripite ut datam* carni occasionem, sed ex charitate servite alii aliis.

14 Nam

14 Nam tota Lex uno verbo completur, isto *videlicet*, Diliges proximum tuũ ut teipsum.

15 Quòd si alii alios mordetis & devoratis, videte ne vicissim alii ab aliis consumamini.

16 *Hoc* autem dico; spiritu incedite, & quod concupiscit caro, nequaquam perficietis.

17 Nam caro concupiscit adversus spiritũ, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunq; volueritis, eadem faciatis.

18 Quod si spiritu ducimini, non estis sub Lege.

19 Porrò manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, adulterium, scortatio, impuritas, protervia,

20 Idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, dissidia, hæreses,

21 Invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædico vobis, sicut & prædixi: eos *videlicet* qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes.

22 At fructus Spiritus, est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.

23 Adversus ejusmodi non est Lex.

24 Qui enim *sunt* Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.

25 Si vivimus spiritu, spiritu etiam incedamus.

26 Ne simus inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes.

Versu 13. mirabili artificio transit ad tertiam epistolæ partem, ubi eos ad studium pietatis exhortatur. Simile transitionis exemplum exstat ad Roman. 8 17. Transit autem per quandam prolepsin. nam cùm dixisset, ipsos vocatos esse ad libertatem: ne Galatæ hoc intelligerent de licentia vitæ, quasi Christianis liceret vivere ut libêret: hanc cogitationem antevertit, & à licentia ista carnali dehortatur: contraque hortatur ad quoddam servitutis genus, nempe ut alii aliis serviant ex charitate. Charitatem igitur tanquam fontem & caput officiorum Christianorum proponit. Quòd autem ait, totam Legem præcepto de dilectione proximi contineri: id vel ad posteriorem Legis tabulam restringendum est; vel potiùs ita intelligendum, quòd dilectio proximi dilectionem Dei in sese tãquam effectus causam includat. nam sicut qui proximum non diligit, is nec Deum diligit: ita contrà qui proximum verè diligit, is etiam Deum diligit: quum ea demum vera proximi dilectio sit, qua eum diligimus propter Deum, nempe ut obediamus ac placeamus Deo qui nobis proximi dilectionem præcepit. Vide 1. Johan. 4. ℣. 20. & 21. Versu 15. specialiter dehortatur à contentionibus & criminationibus aliisque injuriis, argumento ab effectu inutili, videlicet consumtione seu ruina atque interitu ecclesiæ ipsorum. Versu 16. remedium ostendit contra morbum illum contentionum & injuriarum: simulque causam earum aperit. Causa est concupiscentia carnis, id est, cordis, quatenus adhuc carnale est, hoc est, corruptum vitio originali, necdum renatum per Spiritum sanctum. Remedium est ambulare spiritu, id est, vivere ex instinctu Spiritus sancti secundùm Legem Dei. Versu 17. affert rationem consequentiæ connexi præcedentis. Nam etsi versiculo præcedente non est expressum connexum: sunt tamen duæ sententiæ more Hebræorum ita inter se copulatæ, ut posterior ex priore deducatur atque inferatur. nam perinde est ac si diceret, *Spiritu ambulate: nam si hoc feceritis, tum concupiscentiam carnis nequaquam perficietis.* Nam verba illa, ἵνα μὴ τελείσητε, non sunt reddenda, *Ne perficite*, quod Græcè est, μὴ τελεῖτε: sed *Nequaquam perfe-*

perfeceritis seu perficietis. Istius igitur connexi cõsequentiam hîc probat à natura contrariorum: quia caro & spiritus inter se è regione adversantur, quo fit ut qui secundùm spiritum vivit, is non possit vivere secundùm carnem. Nomine *carnis* intelligit corruptionem naturę nobis innatam; contrà nomine *spiritus* intelligit naturam reformatam seu gratiã regenerationis per Spiritum sanctum. Versu 18. aliud argumentum affert, cur debeant ambulare spiritu, sicut hortatus fuit ℣. 16. Argumentum hoc est ab effectu utili: quia sic inrellecturi sint se non esse sub Lege, id est, sub maledictione Legis. nam qui spiritu ducũtur, adversus eos non est Lex, sicut ipsemet ait, inf. ℣. 23. Cujus rei ratio est, quòd ductꝰ ille Spiritus sancti certum testimonium est adoptionis, ac proinde fidei in Christum: Qui autem fide insiti sunt Christo, in iis condemnatio Legis locum nõ habet, eò quòd obedientia passionis ac mortis Christi ipsis ad justitiam imputatur. Rom. 8. 1. Versu 19. & deinceps declarat per partes ꝙ in genere dixit de carne & spiritu: ac primùm enumerat aliquot opera carnis: eiq; enumerationi cõminationem annectit exitii æterni: ut ita argumento ab effectu inutili ab operibus istis deterreat. Subest autem illi comminationi tacita conditio resipiscentiæ: nempe nisi, qui talia agunt, per gratiam Dei resipuerint, certum exitium sibi attracturos. Similis cõminatio exstat 1. Cor. 6. ℣. 9. & 10. cui mox versu 11. sententia subjicitur, ex qua intelligitur illa quam dixi conditio. Versu 22. enumerat quædam effecta Spiritus: quæ nominat fructꝰ, ut significet, illas virtutes earumque actiones Deo placere instar pulcherrimi suavissimique fructus. Versu 23. per quoddam epiphonema repetit sententiam paulo antè dictam, ℣. 18. nempe argumentum illud ab utili. Adversus eos, inquit, qui sunt ejusmodi, hoc est, qui virtutibus enumeratis operam dant, atque ita fructus spiritus proferunt, adversus tales non est Lex, hoc est, Lex illos non condemnat: propter causam expositam. Versu 24. sententiæ præcedenti tanquam syllogismi propositioni annectit assumtionem, ut concludat. Galatas non esse sub Lege. Syllogismus ita est:

Qui ducuntur spiritu, ac proinde proferunt fructus spiritus, illi non sunt sub Lege, v. 18. & 23.

At qui qui sunt Christi, illi ducuntur spiritu: quia carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis ipsius.

Ergo qui sunt Christi (quales nimirum vos estis) ii non sunt sub Lege.

Porrò crucifigendi verbo innuit causam efficientem regenerationis, nempe Spiritum sanctum morte crucis à Christo sacerdote electis impetratum Confer Rom. 6. v. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. Versu 25. ad exhortationem redit, eamq; ex præcedentibus verbis deducit, ad hunc modum:

Si vivimus spiritu, spiritu etiam incedamus, id est fructus spiritus proferamus sanctè scilicet vivendo.

At qui vivimus spiritu: quia nimirum mors carnis cum vita spiritus conjuncta est: nos autem carnem crucifiximus atq; adeò mortificavimus.

Ergo spiritu incedamus.

Vers. 26. ad speciales exhortationes accedit, prout noverat Galatas certis vitiis esse obnoxios: à quibus eos dehortatur: ac primùm quidem ab ambitione, obtrectatione & invidia.

SCHOLIA IN CAP. V.

2 Si circumcidamini. *Nempe hoc animo, ut per circumcisionem justificemini.*

4 Christus vobis factus est otiosus. κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ χριστοῦ. *In Graco est hypallage, emolliendi causâ: quia durius sonat, ὁ χριστὸς ὑμῖν κατηργήθη. Talis hypallage est Rom. 6. v. 4.* ὑμεῖς ἐθεωατώθητε τῷ νόμῳ; *pro ὁ νόμος ἐθεωατώθη ὑμῖν. Similis sententia est sup. cap. 2. v. ult. Si per Legem est justitia, Christus frustra mortuus est* Justificamini. *id est, justificari vultis.* A gratia. τῆς χάριτος, *pro,* ἀπὸ τῆς χάριτος, *Et à gratia. Asyndeton accommodatum τῇ ῥᾳδιουργίᾳ, id est, celeritati orationis, ad exprimendum animi affectum.*

5 Spiritu. *Id est, per gratiam & virtutem Spiritus sancti, qui in nobis efficit fidem: sicut statim sequitur, Ex fide.* Spem justitiæ. *id est, vitam æternam quam Deus promisit justis,*

justis, quæq; ex illa promissione speratur. Spes igitur pro re sperata dicitur per metonymiam adjuncti: Spes autem justitia vocatur à causa efficiente, eò quòd ex justitia nascatur.

7 Currebatis pulchrè. *Id est, Per fidem veritatis Evangelii strenuè tendebatis ad vitam æternam, tanquam ad præmium vobis propositum. Metaphora ab iis qui in stadio currunt.* Veritati. *Nempe Evangelii.*

8 Hæc persuasio. *Scilicet vestra, quâ nimirum vobis persuasum est, Legis observationem conjungendam cum fide Christi, tanquam causam justificationis.* Ex eo qui vocat vos. *id est, Ex Deo, qui per Evangelium vos vocat ad communionem sui.*

9 Paulum fermenti. *Intelligit fermentum falsæ doctrinæ.*

10 Portabit judicium. βαστάσει τὸ κρῖμα. *id est, justâ pœnâ à Deo afficietur.*

11 Abscindantur. ἀποκόψονται. *Nempe à corpore Christi quod est Ecclesia. Videtur autem alludere ad nomen circumcisionis, quam isti urgebant.*

12 Ad libertatem. ἐπ' ἐλευθερίαν. Pro εἰς ἐλευθερίαν. Carni. *id est, corruptæ naturæ ex carnali generatione ortæ.*

16 Nequaquam perficietis. οὐ μὴ τελέσητε. *Vide analysin: illic enim hujus versionis rationem reddidimus.*

17 Quæcunque volueritis. ἃ ἂν θέλητε. *Nempe secundùm carnem, id est, quæ carni adlubescunt. Augustinus hæc verba exponit de desiderio carendi concupiscentiis carnis. Sed illa expositio videtur postulare aliam phrasin, nempe,* ὅτε μὴ ἃ ἂν θέλῃς, τοῦτο ποιεῖν. *Vide Augustin. Retract. lib. 1. cap. 24. sub finem: item, De verbis Apostoli, sermone tertio.*

21 Eos videlicet qui talia agunt. ἅτινα οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες. *Hyperbaton. pro, Quæ prædixi vobis (sicut & prædixi) talia esse, ut qui ea agunt, regni Dei non sint futuri hæredes.*

22 Fructus spiritus. ὁ καρπὸς τοῦ πνεύματος. *id est, opera spiritus, hoc est, quæ spiritus in credentibus operatur. Opponitur enim hoc ei quod dixit v. 19.* Opera carnis. *Sed Apostolus consultò usus est hâc metaphorâ, ad opera pietatis commendanda: quippe quæ Deo suavia, id est, grata & accepta sint instar suavissimi fructus.*

23 Adversus ejusmodi. *ἢ τῶν τοιούτων. Sive intelligas τὰ τοιαῦτα, talia, nempe, tales fructus Spiritus quales modò sunt commemorati: sive τὰς τοιούτους, tales, scilicet homines qui fructibus illis Spiritus sunt præditi: res eodem redit ac idem sensus manet.*

24 Carnem. *Id est, pravam suam naturam.* Crucifixerunt. *Respicit ad crucem Christi, atq; ita innuit causam qua credentes movet ut pravis suis cupiditatibus resistant: nempe quatenus perpendunt, peccatum tam tetrum esse malum in conspectu Dei, ut non nisi sanguine Filii Dei potuerit expiari.*

OBSERVATIONES EX CAP. V.

παιδ. Ex ℣.1. Libertas Christiana studiosè conservanda ac tuenda est: nec committēdum ut nobis jugum ceremoniarum Papisticarum aut similium imponi sinamus.

διδ. ἔλ. Ex ℣.2.3.& 4. Justificatio per fidem & Justificatio per opera, non possunt simul consistere. Errāt igitur Papistæ, qui docent, nos partim fide partim operibus justificari.

διδ. Ex ℣.6. Vera in Christum fides, actuosa est per charitatem. Fieri enim non potest quin qui verè credit, se indignum à Deo per Christum à morte æterna esse liberatum, idque per mortem illius acerbissimam atque ignominiosissimam: quin, inquam, is pro tanto beneficio Deum diligat, & proximum propter Deum. Quare ubi nulla est dilectio, ibi nec fides est.

παιδ. Ex ℣.9. Sollicitè cavendum ne quid falsi admisceatur veritati doctrinæ cælestis, etiamsi illud non ita magni momenti esse videatūr: quia fermentum, licet exiguum sit, tamen totam massam fermentat.

ἐπ. Ex ℣.10. Quum turbatores Ecclesiarum judicium Dei portaturi sint: ergo singuli ab Ecclesiis turbandis sibi caveant.

ἀπ. λύσ. Ex ℣.12. Quæri potest, an rectè fecerit Paulus quòd pseudapostolis imprecatus est æternum exitium. Respōdeo: Rectè fecit: quia fecit inflammatus zelo gloriæ Dei & salutis Galatarum: non autem ex cupiditate vindictæ privatæ.

διδ. Ex ℣.13. Libertas Christiana non est licentia agendi quod

quod carni libet: sed est liberatio à ceremoniis & à maledictione Legis, non autem à Legis obedientia. Quin potiùs quo quis magis libertatem Christianam intelligit, sibique illam donatam esse novit: eò studiosiùs Deo liberatori servit, ejusque mandatis obêdit. ἐπ.

Ex ℣.14. Dilectio proximi dilectionem Dei conjunctam sibi habet: quoniã ex illa oritur. quippe ea demum vera proximi dilectio est, quâ diligitur proximus propter Deum. Atque sic non pugnat hæc sententia Pauli, revocantis summam Legis ad unum caput dilectionis proximi, cum sententia Christi, revocantis eandem ad capita duo, videlicet dilectionis Dei & dilectionis proximi, Matth. 22. ℣.37 38.39. & 40. διδ. ἀπ. λύσ.

Ex ℣.15. Contentiones vitandæ sunt: quia afferunt interitum Ecclesiæ. ἐπ.

Ex ℣.17. In regeneratis lucta est inter carnem & spiritum. Falsa igitur est opinio Perfectistarum. Confer Roman. 7. ℣.14. & deinceps: ubi ipse Paulus luctam istam in sese agnoscit ac describit. διδ. ἔλ.

Ex ℣.18. Qui Spiritu sancto ducuntur, illi sciunt se non esse sub maledictione Legis: quia sciunt, se esse filios Dei: ac proinde obedientiam suam, quamvis imperfectam, Deo placere. διδ.

Ex ℣.19.20.& 21. Opera carnis quæ hîc ab Apostolo recensentur, vitanda sunt: quia hominem excludunt ab hæreditate regni Dei. Confer 1. Cor. 6. ℣.9.& 10. ἐπ.

Ex ℣.22. Virtutes & bona opera Deo placent, tãquam dulcissimi fructus. Sunt autem illa fructus & effecta Spiritus sancti, in nobis: nõ igitur efficiuntur vi liberi (quod vocatur) arbitrii. διδ. ἔλ.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Pergit in institutis exhortationibus usque ad v. 11. Deinde epistolam concludit commonefactione de fraude pseudapostolorum.

FRatres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquo lapsu, vos spirituales instaurate

hujusmodi hominem cum spiritu mansuetudinis: considerans *unusquisq;* temetipsum, ne & tu tenteris.

2 Alii aliorum onera portate: & ita complete Legem Christi.

3 Nam si quis sibi videtur aliquid, quum nihil sit; hunc suus ipsius animus fallit.

4 Opus autem suum probatum reddat unusquisq; : & tunc in semetipso solo gloriationem habebit, & non in alio.

5 Nam unusquisque suum onus portabit.

6 Communicet autem qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit, omnia bona.

7 Ne errate: Deus non irridetur. quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet.

8 Nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.

9 Porrò ne benefaciendo segnescamus, tempore enim suo metemus, si non elanguerimus.

10 Nempe igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei.

VErsu 1. hortatur ad mansuetudinem in corrigendis lapsibus fratrum, argumento à pari: quia omnes pariter lapsibus subjecti sint, secumque mansuetè agi cupiant. Versu 2. hortatur ad patientiam in portandis fratrum vitiis, adeoque ad dilectionem fraternam à Christo singulariter præceptam. Versu 3. causam corrumpentem dilectionis illius & patientiæ indicat, videlicet falsam de propria excellentia persuasionem. Versu 4. veram gloriandi rationem ostendit, nempe ut unusquisque vitam suam DEO approbet, non

non autem se æstimet ex collatione aliorum tanquam inferiorum. Versu 5. sententiæ præcedentis rationem exponit, sumtam à judicio Dei, qui unumquemque ex sua ipsius vita æstimabit, & non ex comparatione aliorum. Versu 6. hortatur ad præbendum alimenta doctoribus. Versu 7. 8. & 9. gravi admonitione præmissâ ad attentionem sibi comparandum, dehortatur ab operibus carnis, & contrà hortatur ad fructus spiritus, argumento ab effectis, videlicet æterno exitio & vita æterna. Hanc autem sententiam enuntiat per allegoriam metaphoricam: quâ vitam tum piam tum impiam sationi comparat; effecta verò illa, nempe præmium & pœnam, messi. Versu 10. hortatur ad beneficentiam, adhibitâ comparatione imparium, quâ domesticos fidei extraneis præfert.

DE SECUNDA PARTE.

11 Videtis quàm longis literis vobis scripserim meâ manu.

12 Quicunque volunt specioſi apparere in carne, ii cogunt vos circumcîdi; tantùm ne ob crucem Christi persequutionem patiantur.

13 Nam ne ipsi quidem qui circumciduntur, Legem servant: sed volunt vos circumcîdi, ut de vestra carne glorientur.

14 A me verò absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.

15 Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatio.

16 Et quicunq; secundùm hanc regulam incedent, pax *erit* super eos & misericordia, & super Israëlem Dei.

17 De cætero ne quis mihi molestias exhi-

beto: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.

18 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum spiritu vestro, fratres. Amen.

Versu 11. incipit epistolæ conclusio: ubi primùm suam erga Galatas benevolentiam significat duobus argumentis, partim quòd scripserit ad eos literis longis, partim quòd scripserit suâ manu. nam aliâs solebat epistolas dictare suo Tertio. Deinde ℣. 12. & 13 commonefacit eos de fraude pseudapostolorum: quorum hypocrisin & ambitionem detegit: ut qui externam sanctitatis speciem affectent, quum interim Legem non servent, nec quicquam propter Christum pati velint. Tertio ℣. 14. suum exemplum pseudapostolis illis opponit: ut qui Christum sincerè doceat & propter illum pati paratus sit, suamque vitam illi approbare. Quam sententiam ℣. 15. sententiâ generali confirmat: quâ monet eos demum esse veros Christianos qui se gerant ut novas creaturas, i. e. qui ambulent in novitate spiritus, ut loquitur Rom. 6. V. 16. ad hoc studium pietatis hortatur ab utili. Versu 17. pseudapostolorum gloriationi, quâ gloriabantur in circumcisione, opponit suas ærumnas & plagarum pro Christi nomine sibi impositarum vibices, tanquam longè verioris gloriationis materiam. Versu 18. epistolam concludit apostolicâ optatione.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Cum spiritu mansuetudinis. ἐν πνεύματι πραότητος. *id est, animo mansueto. Hebraismus geminus.* Tenteris. πειρασθῇς. *id est, Solliciteris à diabolo ad peccandum.*

2 Alii aliorum onera portate. *id est, aliorum vitia & imbecillitates quæ vobis oneri esse possent, mansueto animo tolerate & emendare studete. Huc pertinet proverbium illud: Amici vitia noveris, amicum non oderis.* Legem Christi. τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ. *id est, mandatum illud Christi de charitate mutua. Vide Johan. 13. v. 34. & 35.*

4 Probatum reddat. δοκιμαζέτω. *Scilicet Deo.*

5 Suum onus portabit. *Nempe in extremo judicio.*

id est,

id est, suorum factorum rationem reddere cogetur.

6 Qui instituitur. ὁ κατηχούμενος. κατηχεῖσθαι est *vivâ voce familiariter institui, voce instituentis circumsonante aures ejus qui instituitur: ab ἦχος, id est, sonus.* Sic Rom. 2. v. 18.

7 Ne errate. μὴ πλανᾶσθε. *Vel,* Ne seducimini. *id est, ne sinite vos seduci.* Deus. Θεὸς. *pro,* θεὸς γάρ. *Deus enim. Sed hæc ellipsis servit τῇ τοῦ λόγου ῥαγδαιότητι. id est, orationis celeritati & vehementiæ.* Non irridetur. ἐ μυκτηρίζεται. *Græcum verbum ἐμφατικώτερον est, quippe quod gestum irridentis notat, nares videlicet attrahentis: quod Latinus poëta dixit, -- Naso suspendit adunco.* Seminaverit. ἐὰν σπείρῃ. ἐὰν *pro* ἄν. *Puto autem Apostolũ hac metaphora in genere hoc velle dicere: Unusquisq; à Deo accipiet præmium vel pœnam, prout sese gesserit. Non quòd vitam æternam pietate suâ quisquam mereatur: sed quòd Deus sua dona in piis coronaturus sit: quemadmodum scitè Augustinus dixit.*

8 Carni suæ. εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ. *Ego carnis nomine carnales cupiditates intelligo: quoniam opponitur Spiritus, id est, studiis pietatis à Spiritu sancto profectum: & quoniam pœna subjungitur, interitus, hoc est, exitium æternum.*

9 Benefaciendo. τὸ καλὸν ποιοῦντες. *vel,* Bonum faciendo: *ut intelligatur in genere de studio pietatis.* Metemus. *Nempe vitam æternam: ex versu superiore.*

10 Simus benefici. ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθόν. *Nunc specialem exhortationem deducit ex generali.* Domesticos fidei. *id est, fideles seu Christianos, qui in eadem nobiscum domo seu familia, nempe domo Dei (quæ est Ecclesia) versantur.*

11 Quàm longis. *Hoc conjungendum est cum eo quod addit,* Meâ manu. *nam epistolas has longiores scripsit manu alienâ: ad Romanos, manu Tertii, Rom. 16. v. 22 priorem ad Corinthios (ut probabile est) manu Sosthenis: posteriorem, manu Timothei.*

12 Speciosi apparere. εὐπροσωπῆσαι. Einen feinen schein führen. Ob crucem Christi. *id est, ob doctrinam Evangelii de salute parta per solam Christi crucem: ita ut opera legis ad vitam æternam impetrandam nihil momenti habeant.* Persecutionem patiantur. *Nempe à Judæis, zelatoribus Legis.*

15 Nova creatio. *Id est, cordis regeneratio seu renovatio per Spiritum sanctum.*

17 Ne quis mihi molestias exhibeto. Σεμνῶς τὸ δεινῶς, *id est, graviter & vehementer dictum: ut decuit tantum Apostolum.* Stigmata Domini. *id est, quæ mihi inusta sunt propter Dominum Jesum quem prædico.*

OBSERVATIONES EX CAP. VI.

παιδ. Ex ℣.1. In corrigendis lapsibus fratrum mansuetudo adhibenda est.

παιδ. Ex ℣.2. Fratrum vitia patienter toleranda sunt, salvâ interim fraternâ correctione, quoties necessitas postulat.

ἐπ. Ex ℣.3. Persuasio de propria excellentia, singulis fugienda est.

θεολ. Ex ℣.4. Vera gloria est, quũ vita nostra probatur Deo.

παιδ. Ex ℣.5. Unusquisq; sollicitè studeat vitam suam probare Deo: ut cui de illa rationem redditurus sit.

παιδολ. Ex ℣.6. Ministris Verbi debentur alimenta. Confer 1. Cor. 9. à ℣. 4. usque ad 15.

παιδολ. Ex ℣.7.8.9.10. Ad bona opera excitare nos debet spes vitæ æternæ: & contrà à malis deterrere æterni exitii metus. Interim verò notandum, vitam piam non esse causam vitæ æternæ meritoriam (nam hæc, sola Christi mors est) sed tantùm causam sine qua non. Sicut via est causa sine qua non potes montem conscendere, ut illic thesaurum tibi donatum accipias.

ἐπ. ἀπολογ. θεολ. Ex ℣.14. & 15. Veri Christiani gloriantur in cruce Christi, & propter illum mundo valedicunt.

FINIS.

TABU-

TABULA CONTINENS ANALYSIN TOTIUS EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

- Partes duæ:
  - 1. De beneficiis DEI erga fideles, sive de causis salutis: tribus primis capitibus. *Scopus*, incrementum fidei. Porrò beneficia illa sunt
    - Electio seu prædestinatio.
    - Redemtio.
    - Vocatio efficax.
    - Donatio hereditatis cælestis.
  - 2. De gratitudine fidelium erga Deum, seu de officiis fideliũ, tribus postremis capitibus. *Scopus*, incremẽtum resipiscentiæ. Hîc sunt exhortationes
    - Generales: ubi
      - Hortatur ad
        - pietatem.
        - cõcordiam.
        - charitatem fraternam.
        - profectũ in studio veritatis & charitatis.
        - sinceritatẽ.
        - facilitatem ignoscẽdi.
      - Dehortatur à
        - furto.
        - obscœnitate.
        - ira temeraria.
        - fœdis libidinibus.
        - avaritia.
        - ebrietate.
    - Speciales: ubi hortatur ad debitã subjectionẽ
      - 1. uxores.
      - 2. filios.
      - 3. servos.

      Vicissim hortatur
      - maritos ut diligant uxores.
      - Patres ut bene educẽt liberos.
      - dominos ut humaniter tractẽt servos.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0091
DFG

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI AD EPHESIOS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

EPISTOLA hæc duas principes habet partes: quarum prior tribus prioribus capitibus, altera tribus posterioribus continetur. In prima parte de mysterio salutis Ephesiorum omniumque fidelium copiosè ac variè disserit: tum causas salutis exponens, tum pristinam ipsorum miseriam commemorans: eo consilio primùm, ut ipsos in fide confirmet, quippe in qua ipsorum salus consistat: deinde ut ad gratum animum erga Deum servatorem serio pietatis studio declarandum eos excitet: quod posterius in altera epistolæ parte ex professo ait: ubi varia vitæ Christianæ præcepta eis tradit. Breviter, in priore parte fidem confirmat, in posteriore resipiscentiam seu studium pietatis.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Versu 1. continetur subscriptio & inscriptio. Versu 2. salutatio. Versu 3. & deinceps usque ad 15. exponit causas salutis fidelium, Deoq; salutis authori gratias agit. Versu 15. & deinceps usque ad finem capitis hortatur eos ad perseverantiam & profectum in fide (salutis nimirum adipiscendæ instrumento) sed obliquè: quatenus videlicet testatur, se pro illis gratias Deo agere eumq; precari. hoc enim ipso significat, idem multo magis ipsosmet facere debere, ut in fide proficiant.

Paulus

PAulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu:

2 Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

DE subscriptione & inscriptione & salutatione in superioribus epistolis, maximè in epistola ad Romanos, satis dictum est.

3 Benedictus *sit* Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cælis, in Christo:

4 Sicut elegit nos in ipso antequam jacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem:

5 Quatenus prædestinavit nos quos adoptaret in filios per Jesum Christum in sese, pro beneplacito voluntatis suæ,

6 Ad laudem glorioſæ suæ gratiæ, quâ nos acceptos *sibi* fecit in illo dilecto.

7 In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem, *inquam*, lapsuum ex divite ipsius gratia:

8 Quâ redundavit in nos omni sapientiâ & intelligentiâ:

9 Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, secundùm beneplacitum suum quod proposuerat in sese:

10 *Nempe* ut in pleni temporis dispensatione recolligeret omnia in Christo, tum quæ in cælis sunt, tum quæ in terra.

11 In ipso, *inquam*, in quo etiam in sortem adsciti sumus, quum essemus prædestinati se-

cundùm propositum ejus qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ:

12 Ut *comparati* simus ad laudem gloriæ ipsius, qui priores speravimus in Christo.

13 In quo *speratis* & vos, audito sermone veritatis, *id est*, Evangelio salutis vestræ: per quod etiam quum credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto:

14 Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ ipsius.

Expositurus causas salutis, incipit suo more à gratiarum actione: gratias agens Deo patri pro iis beneficiis quibus nos ad salutem adducit. Inter quæ beneficia primùm commemorat benedictionem spiritualem in cælestibus, intelligens haud dubiè fidem & resipiscentiam, seu justificationem & sanctificationem, quæ deinceps sigillatim commemorabit: per quæ fit, ut nunc spe in cælis versemur, quippe gustum aliquem percipientes illius cælestis felicitatis & gloriæ. Simul etiam exprimit causam ministram & προηγουμενικὴν, nempe Christum consideratum cum suo merito & efficacia, v. 3. Deinde altiùs ascendit, & superius quoddam atq; antiquius beneficium commemorat, videlicet electionem Dei æternam: cum qua rursum causam προηγουμενικὴν conjungit, videlicet meritum Christi, quum ait, Deum elegisse nos in Christo: id est, ut servaret nos per Christum, quippe qui nobis suo merito conciliaturus erat DEI gratiam, & suo Spiritu fidem in nobis effecturus. Addit autem electionis causam finalem, quæ partim nos respicit, partim DEUM; nempe ut sanctè vivamus: hoc enim & ad naturam nostram instaurandum & ad nomen DEI glorificandum pertinet. Hæc autem ipsa nostri sanctificatio, actio Dei est, quâ nos inter alias ad salutem adducit: ac proinde rationem aliquam causæ efficientis habet, vers. 4. Tum versu 5. repetit beneficium electionis alio verbo, vocans scilicet prædestinationem:

eique

eique annectit beneficium efficacis vocationis quam υἱοθεσίαν nominat, id est, adoptionem, quâ Deus efficaciter nos vocans per Evangelium, & fide donans, per illam ipsam fidē nos in filios adoptat, ut docet Johannes cap. 1. ℣. 12. Sic ad Rom. 8. ait, Quos prædestinavit, eos etiam vocavit. Rursum autem recitat causam administram & προηγουμένην, nempe mediatorem Christum. Attingit etiam causam finalem, nempe gloriam Dei: quum ait, Deum prædestinasse nos ad adoptionem εἰς ἑαυτὸν, in sese vel ad sese, hoc est (ut mihi quidem interpretandum videtur) ad gloriam gratiæ suæ, sicut infrà expressiùs loquetur, ℣. 6. & 12. & 14. Et hoc sensu eadem phrasis accipitur Rom. 11. ℣. ult. ubi ait, ex Deo & per ipsum & in ipsum seu ad ipsum (εἰς αὐτὸν) esse omnia. Postremò annectit causam προηγουμένην, nempe affectū Dei quo motus nos prædestinavit. Is affectus est ἡ εὐδοκία, id est, beneplacitum voluntatis ipsius, h. e. amor seu favor gratuitus. V. 6. annectit causam finalem suprema, quæ est laus gloriosæ gratiæ Dei, h. e. ut laudetur à nobis gratia illa summa Dei erga nos ad ipsius gloriā. Porrò mentioni gratiæ annectit aliud quod ex illa profluit, & ad salutē nostram efficiendam necessarium fuit beneficiū, nempe justificationem; quā significat ac describit his verbis, quòd nos sibi gratos seu acceptos effecerit in illo dilecto, nempe filio suo Christo mediatore. propter hunc n. nobis reconciliatus est sanguine ipsius & peccata nobis remisit, sicut versu seq. declaratur. Versu igitur 7. exponit aliam salutis nostræ efficientem causam, q̄ partim principalis partim instrumentalis est, sed diverso respectu. Christus enim est causa salutis nostræ principalis unâ cū Deo patre & Spiritu sancto: q̄ sunt tres principales sociæ causæ: nam Pater Christum misit ad nos redimendum & salutem nobis recuperandam; Christus in sua persona nos redemit & salutem nobis acquisivit suâ morte; Spiritus sanctus redemtionis beneficium cordibus nostris obsignat ut illius simus participes. Sic tres illæ personæ, suo quæque modo, principales sunt salutis nostræ efficientes causæ. Sed respectu Patris mittentis ac mandātis, Filius est causa instrumentalis, nempe minister seu servus Patris, ut a-

pud Esaiam cap. 53. nominatur. Atque ita hîc aliud Dei beneficium ad salutem nobis comparandam necessarium commemoratur, nempe redemtio: quo nomine hîc intelligitur redemtio ex potestate Diaboli in quam perveneramus per peccatum. Redemit autem nos Pater per Filium, & Filius ipse nos redemit per sanguinem suum (hæc rursum alia instrumentalis causa est) hoc est, per effusionem sanguinis sui in cruce, quâ peccata nostra expiavit, atque ita diabolo jus in nos ademit, remissionemque peccatorum à Patre nobis promeritus est atque impetravit. Huic beneficio similiter annectit causam προηγουμένην, quæ est dives gratia Dei, hoc est, immensus erga nos favor. Vers. 8. exponit aliud Dei erga nos beneficium, atque adeò aliam salutis nostræ efficientem causam, nempe donationem fidei: quam κατ' ἐξοχὴν vocat sapientiam & intelligentiam hoc versu, & mox ℣. seq. cognitionem arcanæ voluntatis Dei. Versu igitur 9. fidem describere pergit, ac simul causam instrumentalem notat, quâ Deus fidē in nobis effecit, inquiens, eum nobis patefeciſſe (nempe per Evangelium, quod expressè nominabit infr. ℣. 13.) patefeciſſe inquam nobis mysterium voluntatis Dei. Quibus verbis intelligit consilium Dei de vocandis Gentibus per fidem in societatem populi Dei: sicut apparebit ex sequentibus. Potest tamen etiam simpliciùs intelligi de voluntate nos servandi per Christum: quæ voluntas rationi humanę prorsus ignota est, & per Evangelium innotescit electis. sicut ait Johannes, Deum nemo vidit unquam: Filius ille unigenitus qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit. Johan. 1. 18. Cæterùm in hoc quoque beneficio causam illam προηγουμένην repetit: nempe τὴν εὐδοκίαν, id est, beneplacitum seu gratuitam benevolentiam Dei, & æternum ejus propositum. Vers. 10 mysterium illud cujus mentionem fecerat, declarat, atq; ita beneficium vocationis electorum illustrat, distributione quâ vocandos & servandos distribuit è subjectis locis in eos qui adveniēte Christo jam tum erant in cælis, & in eos qui erant ac deinceps futuri erant in terra usq; ad finem mundi. Nam quò minùs per ea quæ in cælis sunt, sancti angeli videantur intelligendi:

di: causa est, quòd angeli illi quum non peccârint, non etiam opus habuerint mediatore per quem recolligerentur. V. 11 & deinceps aliam distributionẽ vocatorum annectit, quâ superioris distributionis membrum posterius subdividitur. Quos enim vocandos & salvandos Christus adveniens in terra reperit & reperturus erat, illi erant partim Judæi, partim Gentes. Hic igitur primùm commemorat vocationem Judæorum, quos notat verbo primæ personæ, se nimirum illis accensens: quibus postea ℣. 13. Ephesios atque adeò omnes Gentes per antithesin opponit, utens secundæ personæ verbo. Porrò vocationem hìc notat verbo κληρόω, quod est in sortem adsciscei. Deus enim quum nos efficaciter vocat & cognitione paternæ suæ erga nos gratiæ nos donat, adsciscit nos quasi sibi in sortem, ut simus ejus funiculus & hæreditas seu possessio atque peculium: sicut de populo Dei loquitur Moses Deut. 32. 9. Vocationis autem Judæorum beneficio annectit aliud superius, tanquam illius causam, nempe prædestinationem, sicut & sup. ℣. 5. Ac rursum prædestinationis causam προθεσιν, videlicet propositum sive consilium & voluntatem Dei liberam: quam prolepsi, id est, assumtione generis illustrat, atque ita argumento generis confirmat. Si enim Deus omnia efficit ex consilio voluntatis suæ: ergo etiam ex consilio voluntatis suæ vocat quoscunq; vocat. Quanquam potest hæc Pauli sententia etiam intelligi specialiter de actionibus Dei pertinentibus ad nostram salutem; hoc enim videtur innuere articulus τὸ ante nomen πάντα. ait enim, τῷ ἐνεργοῦντι τὰ πάντα, id est, qui operatur hæc omnia. intellige quæ ad salutem nostram pertinent. de his enim hìc disserit. V. 12. repetit causam finalem prædestinationis & vocationis & deniq; salutis electorum ac vocatorum, videlicet gloriam Dei; & notatione temporis expressè significat, se de Judæis loquutum. Hi enim priùs vocati sunt, quàm Gentes. Spem autem hìc vocat fiduciam salutis in Christo. V. 13. opponit alterum distributionis institutæ membrum, de vocatione Ephesiorum, adeoq; omnium gentium. Vocationem autem Ephesiorum declarat duplicem, utramque quidem inter

se conjunctam: unam scilicet externam per prædicationem Evangelii; quod vocat sermonem veritatis, ut significet, eos meritò Evangelio credidisse: item Evangelium salutis ipsorum, ut sic eos ab utili effectu in fide Evangelii cõfirmet. Alteram vocationem facit internam, nempe obsignationem cordium per Spiritum sanctum, qui veritatem Evangelii cordibus eorum obsignarat. Etsi autem verba Apostoli videntur innuere, fidem Ephesiorum antegressam esse, deinde demum obsignationem Spiritus secutam: tamen certum est, illa tempore simul esse, & obsignationem Spiritus causam efficientem fidei esse: Spiritus enim sanctus obsignando cordibus electorum veritatem promissionis gratiæ, fidem in eis gignit. Atque hinc vocatur Spiritus promissionis, ab effecto scilicet illo, quòd promissionem Evangelii cordibus eorum quos vocat, obsignat. Ex his intelligitur, verbum πιστεύσαντες, non vertendum hîc, *Posteaquam credidistis*: sed, *Cùm credidistis*, hoc est, eo ipso tempore quo credere cœpistis. V. 14. vocationem illam interiorem Spiritus sancti aliâ metaphorâ declarat. Anteà Spiritum sanctum vocantem electos comparavit sigillo, quo scilicet obsignantur promissiones scriptæ, ne de earum veritate dubitetur: nunc eundem comparat arrhaboni: quia quemadmodum arrhabo particula est totius summæ suo tempore dandæ, & simul testimonium obligationis ad totam summam suo tempore numerandam: sic primitiæ illæ Spiritus sancti quas per Evangelium accipiunt electi, testimonium divinum sunt, quo Deus se illis obligat ad plenitudinem sui spiritus seu plenam hęreditatem felicitatis cælestis suo tempore illis communicãdum. Hæreditatis enim nomine hîc intelligit ipsam salutem seu vitam æternam & gloriam illam atq; felicitatem cælestem. quam eandem mox vocat ἀπολύτρωσιν redemtionem, nempe redemtionem corporis nostri, ut loquitur ad Rom. 8. Etsi enim sanguine Christi redemti jam sumus è potestate diaboli: tamen in hac vita adhuc cum reliquiis peccati & variis calamitatibus conflictandum nobis est, à quibus tum demum redimemur ac liberabimur quum hæreditatem illam cælestem cernemus.

mus. Huic autem beneficio perfectæ liberationis ac salvationis nostri rursum annectit causam finalem, nempe gloriam Dei, à cujus nimirum gratia omnia ista erga nos beneficia proficiscuntur.

15 Propterea etiam ego, auditâ eâ quæ in vobis est fide in Domino Jesu, & charitate in omnes sanctos;

16 Non desino gratias agere pro vobis, mẽtionem vestri faciens in precibus meis:

17 Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater illæ gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis, ad agnitionem ipsius:

18 Illuminatos oculos mentis vestræ: ut sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis:

19 Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius,

20 Quam exseruit in Christo, quum excitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in cælis,

21 Longè supra omne imperium ac potestatem, & potentiam & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro.

22 Et omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ:

23 Quæ est corpus ipsius, complementum ejus qui omnia implet in omnibus.

Versu 15. 16. & 17. exhortaturus Ephesios ad perseverãtiam & profectum in fide & charitate, significat, quanti ipse hæc Dei dona in illis faciat: tanti nimirum, ut pro eis Deo quotidie gratias agat, eundemq; oret ut hæc do-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0099
DFG

na in ipsis augeat. Jam si Paulus tanti facit fidem Ephesiorum: multò magis ipsimet fidem propriam magni æstimare debent. Si Paulus Deum orat, ut fidem Ephesiis augeat: multò magis ipsi Ephesii istud pro sese petere à Deo debent. Transit autem ad narrationem hujus facti sui per corollarium. Dixerat, Ephesios obsignatos esse spiritu promissionis sancto, id est vivâ fide donatos à Deo esse, ad laudem gloriæ ipsius. hinc jam infert, se Deo pro ipsorum fide gratias agere: quippe quòd ista gratiarum actio ad laudem Dei pertinet. Atque hæc est vis conjunctivarum particularum, *Propterea etiam*, videlicet, ad laudem gloriæ Dei. Sed quid est quod ait, se fidem Ephesiorum audisse: id est, auditu ac famâ cognovisse? an non enim cognoverat coram? quippe qui ecclesiam Ephesiorum plantaverat? Sanè initia fidei Ephesiorum coràm viderat Apostolus: sed post ipsius discessum in sancto hoc instituto strenuè perrexerant ac profecerant: de quo profectu hîc loquitur. Porrò fidem magnificè describit & præstãtiam ejus amplificat ℣.17. & deinceps. Primùm vocat Spiritum sapientiæ & revelationis ad agnitionem Dei: quibus verbis indicat fidei authorem proximum atque immediatum, nempe Spiritum sanctum. deinde modum generationis fidei, qui est revelatio Spiritus sancti. tum formam: quæ est agnitio Dei, quatenus est Deus Domini nostri Jesu Christi & pater gloriæ, id est author gloriæ credentium. Versu 18. formam fidei illustrat metaphoris, vocans eam illuminationem oculorum mentis. deinde fidem declarat ex quodam effectu, videlicet spe: quam ipsam declarat ex objecto, videlicet opulentâ illâ gloriâ hæreditatis cælestis. Metonymicè autem loquitur, quum dicit: *Ut sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius*, pro, Quæ sit illa gloria hæreditatis cælestis ad quam Deus vos vocavit, quamque vos ex fide speratis. Itaque sequentia verba per epexegesin adjecta sunt, ubi ait: *Et quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis*. V.19. fidem amplificat à causa efficiente, videlicet potentia Dei. V.20. effectionem fidei seu vocationem per potentiam Dei, amplificat collatione effectionis similis, videlicet excitationis Christi ex mortuis & exaltationis ad regnum cæleste:

Actor. 19.

leste: quod regnum v. 21. amplificat collatione potestatis angelorum & hominum tanquam minoris: item distributione tēporum. V. 22. regnum Christi declarat è subjecto occupante, videl. subditis, qui sunt credentes seu ecclesia, quam vocat illius corpus, & illum hujus caput: ut doceat, Christum ecclesiæ omnia ad vitam necessaria suppeditare, idque intimâ quâdam ratione, quatenus scilicet spiritu suo credentes replet.

SCHOLIA IN CAP. I.

3 Benedictus sit. εὐλογητὸς. scil. ἔστω. id est, *Laudetur, celebretur. Phrasis Hebræa.* Qui benedixit nobis. ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς. id est, *Qui benefecit nobis, seu qui beavit nos. Idem verbum alio sensu repetitum per* ἀνακεφαλαίωσιν. *Estq; rursus phrasis Hebraica.* Omni benedictione spirituali. ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ. id est, *Omnis generis donis spiritualibus: quorum species commemorat infrà v. 8. sapientiam & intelligentiam. Similiter accipitur nomen istud quantitatis universalis, Luc. 11. 42. Decimatis mentham & rutam, & omne olus. Item 1. Tim. 2. 4. Qui omnes homines vult servari.* In cælis. ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. scilicet τόποις. *Ad verb. In cælestibus locis, hoc est, Quæ benedictiones seu dona pertinent ad cælestem illam vitam.* In Christo ἐν Χριστῷ. *tanquam in capite, unde benedictiones illæ in membra subjecta manant. Super Christum enim requiescit spiritus sapientiæ, intelligentiæ, fortitudinis, timoris Dei &c. (ut habetur Esa. 11.) non tantùm in ipsius usus, sed etiam ut ea dona communicet cum membris suis.*

4 Elegit. ἐξελέξατο. id est, *Eligere proposuit, seu decrevit. Nam Electio propriè loquendo refertur ad genus humanum jam conditum & lapsum in mortem. Est igitur hic metonymia subjecti, videlicet subjecti occupantis. Etenim in Electione occupatum fuit illud Dei propositum seu decretum æternum.* In ipso. ἐν αὐτῷ. *Nempe Christo: ex versu præcedente. id est, ut per Christum tanquam mediatorem nos servaret.* Ut simus. εἶναι. id est, ἕνεκα τοῦ εἶναι. Per charitatem. ἐν ἀγάπῃ. *Puto simplicissimum esse ut hoc connectatur cum proxime præcedentibus, ut declaret vita sancta originem ac veluti fontem. Nam à verbo* ἐξελέξατο *nimis remotum est:*

sequens autem participium προορίσας, satis suâ causâ declaratur extremis sequentis versiculi verbis, nempe illis, κατὰ τὴν εὐδοκίαν &c.

5 Quatenus prædestinavit. προορίσας. Participium hoc προορίσας pendet à verbo ἐξελέξατο versu superiore. Declarat enim nunc illa verba, Elegit nos in ipso. Quos adoptaret in filios. εἰς υἱοθεσίαν. Ad verbum, Ad adoptionem. Adoptamur autem à Deo in filios per fidem in Christum, Johan. 1. vers. 12. Quare per adoptionem notatur efficax vocatio. Itaq; cum hoc dicto consentit illud Roman. 8. v. 30. Quos prædestinavit, eos etiam vocavit. In sese. εἰς αὐτὸν. vel, ad sese. hoc est, Ad gloriam gratiæ suæ, sicut infrà expressiùs loquetur, v. 6. & 12 & 14. Pro beneplacito. κατὰ τὴν εὐδοκίαν. Sic rectè meo judicio verterunt Vulgata & Erasmus: quia εὐδοκία non solos Electos respicit, sed etiam reprobos: ut planum est ex verbis Christi Matth. 11. vers. 25. & 26. ubi causam indicans, cur Deus à reprobis Pharisæis mysteria regni cælorum absconderit, ait: Etiam Pater, quia ita placuit tibi, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Respondet vox Germanica, **wolgefallen**. Infrà in fine vers. 11. nominat τὴν βουλὴν & θελήματος, consilium voluntatis. Hic tamen per synecdochen generis affectum benevolum significari verum est.

6 Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ. εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ. id est, ut laudetur à nobis gloriosa ipsius gratia. Est autem hic hypallage Hebraa, δόξη τῆς χάριτος, pro ἡ χάρις τῆς δόξης. Gratia gloria, id est, gloriosa. Vide infrà v. 12. Qua nos acceptos sibi effecit. ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς. ἐν ᾗ pro δι' ἧς, vel ᾗ: Hebraismus est. Verbum autem χαριτόω fictum est ex nomine χάρις, χάριτος. Respondet Germanicum, **Begnaden**. In Græco est elegans paronomasia, τῆς χάριτος ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν. Porrò nomen Acceptos hic potiùs usurpatum est quàm Gratos, ad evitandum homonymiam: ne quis gratos intelligat qui gratiam referunt. In illo dilecto. ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Nempe in Christo, filio Dei unicè dilecto: juxta vocem illam Dei patris è cælo pronuntiatam, Hic est filius meus ὁ ἀγαπητός, dilectus ille, Matth. 3. vers. ult.

7 Ex divite ipsius gratia. κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ.

τῆ. Rursum hypallage, ut versu superiore. Potest tamen hoc simpliciter accipi sic, Secundùm divitias gratiæ ipsius.

8 Quâ redundavit in nos. ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς. Præcessit τῆς χάριτος cui nunc in casu respondet relativum. pro ἐκείνης ἣ ἐπερίσσευσεν, scilicet ὁ Θεός. Ad hunc enim referri postulat participium γνωρίσας versu sequente. Alioqui fuerit manifestum ἀνακεφαλαίωσις: si verbum ἐπερίσσευσεν ad ipsam Dei gratiam referas, exponendo ἧς per ἐκείνης ἣ, ut fecit vetus interpres. Dicitur autem Deus redundasse in nos, hoc est, abundè seu copiosè sese quasi effudisse in nos, largiendo in nobis sapientiam &c. Nam τὸ περισσεύειν accipitur hîc transitivè, tanquam in Hebræorum conjugatione Hiphil: quatenus illa habet significationem reciprocam: ut subintelligatur accusativus ἑαυτὸν quasi dicatur, ἣ ἐπερίσσευσεν ἑαυτὸν εἰς ὑμᾶς, Quâ copiosè se effudit in vos. Simile exemplum vide 2. Cor. 9. v. 8. ubi sic legitur, δυνατὸς δὲ ὁ θεὸς πᾶσαν χάριν περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς. Aliàs τὸ περισσεύειν absolutè acceptum, etiam genitivum regit, ut Luc. 15. v. 17. περισσεύονται ἄρτων, abundant panibus. Omni. ἐν πάσῃ. Præpositio redundat more Hebræorum. Sententia est, Omnis generis sapientia, nempe cælesti. Allerley weißheit. nam mysteria regni Dei multa & varia sunt.

10 In pleni temporis dispensatione. εἰς οἰκονομίαν &c. Rursum εἰς pro ἐν. Porrò τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν, plenitudinem temporum, nominat tempus illud quo impleto seu elapso, Christus debuit ex Patris decreto salutem Electorum dispensare in corpore suo. Similis est locus Gal. 4. v. 4. Recolligeret. ἀνακεφαλαιώσασθαι. Sub unum caput reduceret, id est, in unum corpus conjungeret. Omnia. τὰ πάντα. Pro τοὺς πάντας: sicut Galat. 3. v. 22. id est, omnes electos: sicut Rom 11 v. 32. Hi enim notantur per articulum: & intelliguntur electi tum ex Judæis tum ex Gentibus. Tum quæ in cælis &c. id est, Tum eos qui jam in cælum sunt recepti, quippe in fide Christi defuncti: tum eos qui adhuc in terris degentes, in Christum credunt.

11 In sortem adsciti sumus. ἐκληρώθημεν. Nempe in sortem sive hæreditatem Domini, id est, Ecclesiam.

12 Ut comparati simus ad laudem gloriæ ipsius. εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ. pro εἰς ἔπαινον τῆ

δόξαν αὐτοῦ, nempe τοῦ θεοῦ. Et sic resolvi potest etiam suprà v.6. εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος, pro εἰς ἔπαινον τῆ δόξαν τῆς χάριτος. Qui priores speravimus. τοὺς προηλπικότας. Hoc dicit de Judæis qui vocati sunt ante Gentes.

13 In quo speraſtis & vos. ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς. scilicet ἠλπίκατε. Hoc dicit de Gentilibus. Per quod etiam quum credidistis. ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες. Hæc uno contextu legenda sunt, ita ut participium πιστεύσαντες à præcedentibus verbis non divellatur, quippe à quo pendent & reguntur illa ἐν ᾧ, scilicet λόγῳ vel εὐαγγελίῳ. pro διʼ ὅ. nam per Evangelium tanquam instrumentum fides in nobis efficitur. Sententia est, Quum primùm credidistis per Evangelium, obsignati estis &c. Si quis tamen relativum ᾧ referre malit ad Christum, ad quem refertur in membro præcedente: tum vertendum erit, In quem etiam quum credidistis. ut hic positum sit ἐν ᾧ pro εἰς ὃν: & præpositione ἐν notetur subjectum occupans. Quanquam tunc quoque verti potest, Per quem: ut significetur, Spiritum sanctum datum eis esse à Patre per Christum. Sed tunc præpositio ἐν regetur non à participio πιστεύσαντες, sed à verbo ἐσφραγίσθητε. Spiritu promissionis. τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας. id est, qui promissionem Evangelii cordibus obsignat. Vel, Spiritu illo promisso, id est, quem Deus promisit se effusurum super omnem carnem.

14 Qui. ὅς. Refertur ad τὸ πνεῦμα ratione sensus: quia Spiritus sanctus est certa persona. Sic Johan. 16. v. 13. ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Arrhabo hæreditatis nostræ. id est, quasi arrhabo, quo de hæreditate quæ nos in cœlis manet, suo tempore adeunda ac cernenda, certiores reddimur. Dum in libertatem vindicemur. εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως. Ad verbum, Ad redemtionem assertionis seu vindicationis. id est, Usque ad diem redemtionis: ut loquitur infrà cap. 4. v. 30. Vide annot. Beza.

17 Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater illeglo-riæ. ἵνα ὁ θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης. Fortasse vocabula θεὸς & πατὴρ trajecta sunt, & alterum alterius loco positum. Sic enim planior esset & usitatior oratio. Sanè Actor. 7. versu 2. habetur, ὁ θεὸς τῆς δόξης, Deus illegloriæ: item 1. Corinth. 2. v. 8. Christus nominatur ὁ κύριος τῆς δόξης, Dominus gloriæ, hoc est, Jehova gloriosus. Verun-

tamen

tamen etiam hæc lectio consistere potest: sicut eruditè D. Beza declarat. Ad agnitionem ipsius. ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ. *Pro,* εἰς ἐπίγνωσιν αὐτοῦ. *hoc est, ut eum indies magis magisq; agnoscatis, seu ut in fide proficiatis.*

18 Illuminatos oculos. πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς. *Pendent hæc à verbo* δώη. *& per appositionem quandam cohærent hi accusativi cum illo* πνεῦμα σοφίας *&c. Sed quid si legendum sit* πεφωτισμένοις *casu dativo, ut pendeat à pronomine* ὑμῖν, *illic,* δώη ὑμῖν. *Tum quidem & plana & elegans esset oratio: subaudito nimirum* κὴ *ante* τοὺς ὀφθαλμούς.

19 In nobis. εἰς ἡμᾶς. *vel, Erga nos, id est, quam exserit erga nos. Est autem hîc mira & planè divina verborum* ἐμφατικωτάτων, *id est, significantissimorum adeoq; divinissimorum, copia.*

23 Complementum. τὸ πλήρωμα. *Hoc nomen* πλήρωμα *cum præcedente nomine* σῶμα *cohæret per appositionem. declarat enim nunc rationem corporis, quatenus cum capite confertur: ac proinde suppleri potest particula declarativa* Scilicet *aut* Videlicet. *Est autem hoc loco perelegans antanaclasis in vocabulis* πλήρωμα *&* πληροῦν.

OBSERVATIONES EX CAP. I.

ANALYSIS CAUSARUM SALUTIS NOSTRÆ.

Causæ efficientes agentes.

Deus pater Domini nostri Jesu Christi. ℣.3.17.
Christus. ℣.3.4.5.7.10.11.12.13.15.22.23.
Spiritus sanctus. ℣.13.14.17.

Actiones.

benedixit nobis. ℣.3.
elegit nos. ℣.4.
prædestinavit nos. ℣.5.11.
sanctificavit nos ad vitam inculpatam. ℣.4.
adoptavit nos in filios. ℣.5.
gratos sive acceptos nos sibi effecit. ℣.6.
redundavit in nos omni sapientiâ & intelligentiâ. ℣.8.

Deus pater
- patefecit nobis mysterium voluntatis suæ. ℣.9.
- recollegit omnia in Christo. ℣.10.
- in sortem adscivit nos. ℣.11.
- proposuit sibi nos servare. ℣.9.11.
- obsignavit nos Spiritu sancto. ℣.13.
- dat nobis Spiritum sapientiæ & revelationis. ℣.17.
- illuminat oculos mentis nostræ. ℣.18.
- effecit in nobis fidem. ℣.19.
- Christum constituit caput Ecclesiæ. versu 22 23.

Spiritus sanctus
- obsignat cordibus promissionem gratiæ. ℣.13.
- illuminat mentes nostras sapientiâ & revelatione ad cognoscendū Deum. ℣.17. 18.

Causæ moventes seu impellentes.

Antecedens seu προηγουμένη.

Beneplacitum voluntatis Dei, movit seu impulit Deum ad prædestinandum nos εἰς υἱοθεσίαν. ℣.5.

Dives gratia Dei movit Deum ad donādum nobis redemtorem Christum & remittendū nobis peccata. ℣.7.

Beneplacitum Dei movit eum ad patefaciendum nobis mysterium voluntatis suæ. ℣.9. & ad recolligendum omnes electos in Christo. ℣.10. & ad adsciscendum nos sibi in sortem. ℣.11.

Propositum Dei movit eum ut prædestinaret nos. vers. 11.

Irritatrix seu προκαταρκτική.

Meritum Christi fundentis pro nobis sanguinem suum, movit Deum ut nobis remitteret peccata. ℣.7.

Finalis.

Laus gloriosæ gratiæ Dei. ℣.6.12.14.

Instrumentales.

Deus elegit nos seu prædestinavit in Christo, id est, ut adoptaret nos per Christum. ℣.4.11.

Per

Per Jesum Christũ adoptavit nos Deus in filios. ℣. 5.

Gratos seu acceptos nos sibi effecit per illum dilectum. ℣. 6.

Christus redemit nos per sanguinem suum. ℣. 7.

DEUS redundavit in nos omni sapientia & intelligentia, patefacto nobis mysterio voluntatis suæ per Evangelium. ℣. 8. 9. 13. 17. 18.

ALIÆ OBSERVATIONES.

Ex ℣. 4. Quum Deus nos ad vitam æternam in Christo elegerit ante jacta mundi fundamenta: consequens est, neminem suis operibus à Deo promereri ut eligatur. Confer Rom. 9. ℣. 11. ἐλ.

Ex ℣. eod. Quum electi simus in hunc finem, ut simus sancti & inculpati coram Deo: Ergo malè argumentantur qui dicunt: Si sum electus, salvus fiam; quicquid egero, seu quomodocunque vixero: Ergo securè indulgere cupiditatibus carnis licet. Imò, Si es electus, Deus dabit tibi gratiam ut sanctè vivas, & viâ sanctitatis (viâ, inquam, non merito) ad vitam æternam, ad quam electus es, pervenias. ἐλ.

Ex ℣. 7. Remissio peccatorum (in qua consistit nostra coram Deo justitia, Rom. 4. ℣. 6. & 7.) parta est nobis sanguine Christi: quatenus nimirum ille pro nobis in cruce cum sensu iræ Dei adversus nostra peccata, Christo ut sponsori imposita, effusus est. δικ.

Ex ℣. 8. 9. 10. Sapientia Christianorum est, intelligere mysterium volũtatis Dei de salute nostra per Christum. δ. δ.

Ex ℣. 9. ex verbis, *Proposuerat in sese*. Innuitur, Deum non prævidisse quicquam in nobis, quo motus sibi proponeret nos servare. ἐλ.

Ex ℣. 10. Quotquot inde ab origine mundi salutem adepti sunt, ac proinde quorũ animæ nunc in cælis sunt: salvati sunt per Christum. Huc pertinet illud Hebr. 13. ℣. 8. Jesus Christus heri & hodie idem est. & in secula. δ. δ.

Ex ℣. 13. Evangelii audiendi nulla nos debet capere satietas: quum sit sermo veritatis cælestis, & doctrina salutis, atq; adeò salutis adipiscendæ instrumentum. Confer Rom. 1. ℣. 16. & Johan. 6. ℣. 68. ἐπ. δδ.

διδ. Ex ℣.13.14. Unusquisq; fidelis salutis suæ certus est ex testimonio Spiritus sancti. Confer Rom.8.℣.16.& 17.

πανδ. Ex ℣.15.16.17. Pro donis Spiritus sancti in nos vel in alios collatis quotidie Deo gratiæ agendæ sunt, simulq; petendum illorum incrementum.

διδ. Ex ℣.19. & 20. Fides non est res vulgaris, nec ex viribus liberi arbitrii nascitur: quoniam in ea creanda Deus exserit eandem potentiam, quam exseruit in Christo ex mortuis excitando. Confer Johan. 5. ℣.25. ubi Christus ait, Amen amen dico vobis, veniet tempus & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. Ubi Christus nō loquitur de mortuis secundùm corpus, quorum corpora in sepulcris sunt (nam de his seorsim loquitur paulò-pòst v.28.) sed loquitur de mortuis secundùm animam seu spiritualiter: quorum aliqui tunc in vitam spiritualem excitabantur voce Evangelii quod Christus prædicabat: sicut percipitur ex verbis, ET NUNC EST.

διδ. Ex ℣. 20. Observa, Sessionem Christi ad dextram Patris, subjici resurrectioni ipsius tanquam tempore posteriorem: sicut alibi passim. Contra eos qui fingunt, Chri-
γλ. stum ad dextram Dei cōsedisse in utero matris per ipsam
διδ. incarnationem. Item observa, Christum ad dextram pa-
γλ. tris sedere in cælis. Ergo ex sessione Christi ad dextram DEI falsò colligitur, Christum suo corpore esse ubiq;. Similis locus exstat Hebr. 8. ℣. 1. Consedit ad dexteram throni majestatis in cælis.

διδ. Ex ℣.21.& 22. Observa, Quomodo Apostolus definiat sessionem Christi ad dextram Dei, nempe per summam illam potestatem quam exercet in omnes, etiam excellentissimas creaturas.

πανδ. Ex ℣.22.& 23. Quū Christus sit caput Ecclesię, Ecclesia ipsius corpus: ergo eam & donis necessariis Spiritus sancti instruet, & potentiâ suâ cōtra omnes hostes defendet.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Pergit amplificare beneficium vocationis divinæ seu dona-

donationis fidei per Evangelii prædicationem, atque adeò justificationis. Istud igitur beneficium amplificat hic ex effectu: quia Deus donando fidem & fide justificando vivificat credentes, hoc est, ex reatu mortis æternæ in spem vitæ æternæ atque adeò gustum aliquem illius (qui scilicet ex sensu gratiæ Dei & spe vitæ promissæ oritur) transfert & asserit. Atq; sic illa vivificatio declaratur antithesi duplicis status. Præsentem enim statum Ephesiorum qui erat status gratiæ & fidei, illustrat antithesi conditionis eorum pristinæ, quum propter peccata quibus securè indulgebant, essent sub ira Dei, seu (ut Apostolus loquitur) filii iræ.

ET vos, quum essetis mortui per lapsus & peccata:

2 In quibus olim ambulastis, ut est vita mũdi hujus, secundùm principem cui potestas est aëris, spiritum nunc agentem in filiis contumaciæ:

3 Inter quos & nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: eramusq; naturâ filii iræ, ut etiam reliqui.

4 Sed Deus, quum dives sit misericordiâ, propter multam charitatem suam quâ dilexit nos,

5 Nos quum per lapsus mortui essemus, unâ vivificavit cum Christo, (gratiâ estis servati)

6 Unaq; excitavit, unaq; collocavit in cælis in CHRISTO JESU:

7 Ut ostenderet in seculis succedentibus summas opes suæ gratiæ, *suâ* erga nos benignitate in Christo Jesu.

8 Gratiâ enim estis servati, per fidem (& hoc non *est* ex vobis: *sed* DEI illud donum est.)

9 Non ex operibus, ut neq; quis glorietur.

10 Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Jesu ad bona opera, quæ præparavit DEUS ut in eis ambularemus.

VErsu 1. & 2. pristinam illam Ephesiorũ miseriam describit, eamque partim illustrat collatione similium, comparans pristinos eorum mores cum moribus mundi hujus, id est, hominum mundanorum seu huic mundo addictorum, quos Christus filios hujus seculi nominat, & filiis lucis opponit. Partim verò amplificat illam miseriam, expositione causæ efficientis, nempe diaboli: quem vocat principẽ cui potestas sit aëris, eò quòd in sublimi degat, sicut ait infra cap. 6. ℣. 12. item spiritum agentem in filiis contumaciæ, hoc est, in hominibus contumacibus seu rebellibus, qui scilicet rebelles sunt Deo & veritati ipsius. Censeo enim τῷ πνεύματι per antiptosin positum esse pro τὸ πνεῦμα, occasione genitivi præcedentis: ut per appositionem cohæreat cum nomine ἄρχοντα: quoniam tribuitur ei ἐνέργεια, id quod propriè personæ convenit: sicut alibi Spiritui sancto tribuitur 1. Corinth. 12. ℣. 11. V. 3. per quandam prolepsin (ne scil. videatur Gentes naturâ deteriores facere quàm Judæos) se cæterosq; Judæos conversos illis hac in parte exæquat: atq; ita sententiam propositam de pristina Ephesiorum miseria, alterâ collatione similium illustrat. *Eramus*, inquit, *naturâ filii iræ, ut etiam reliqui.* Quum ait *Eramus*, significat se non amplius esse filios iræ, id est, reos iræ Dei & æternæ mortis, nempe propter gratiam Christi quam mox commemorabit. Qui enim jam sunt in gratia Dei, iis Deus nõ amplius irascitur. Quum dicit, φύσει, id est, naturâ: significat, se conceptos & natos esse in peccato, ac proinde reos mortis. nam singulis naturaliter nascentibus imputatur Adæ lapsus, & in singulos nascẽdo propagatur naturæ corruptio seu pravitas. Versu 4. & deinceps pristino statui misero cõversorum tum Ephesiorum tum Judæorum opponit statum presentem felicem eorundem, affirmans ipsos jam esse vivificatos, hoc est, fide justificatos, habere spem vitæ æternæ & sentire gratiam Dei erga se; qui sensus, vitæ æternæ initium est.

est. Hujus autem vivificationis exponit primùm causam efficientem agentem. Illa est Deus pater, deinde efficientem προηγουμένην, id est, antecedentem, quæ DEUM patrem movit atq; impulit ad nos vivificandum. Ea est misericordia ejus & charitas erga nos: quam utramq; ab adjuncta copia seu magnitudine amplificat. ℣. 4. Deinde ℣. 5. exponit causam efficientem προηγουμένην, id est, irritatricem, quæ DEUM patrem ad servandum nos impulit. Ea est meritum Christi: quod notat cùm ait: *Deum vivificasse nos unâ cùm Christo.* Ubi per parenthesin causam προηγουμένην repetit, sed alio nomine, videlicet nomine χάριτος, id est gratiæ. Vers. 6. causam προηγουμένην declarat, inquiens, *Deum excitasse nos unâ cum Christo, & cum eodem unâ collocasse in cælis.* quibus verbis significat, Deum per excitationem Christi ex morte & collocationem ejusdem in vita cælesti liquidò demonstrasse, sibi per Christi mortem pro nostris peccatis esse satisfactum, ac proinde nos per fidem in illũ (per quem cum eo ut membra cum capite cohæremus) jam esse à peccatis nostris justificatos seu absolutos, & certã spem habere resurrectionis ad vitam æternam unâ cum Christo fruendam. Versu 7. finem exponit, cujus gratiâ Deus nos ita vivificavit, & eâ occasione causam illam προηγουμένην repetit. Finis enim est patefactio, ac proinde laus, suæ gratiæ & benignitatis erga eos quos vivificat & servat. Simul etiam causam προηγουμένην repetit, cùm ait, *In Christo Jesu.* id est, propter Christum, nempe propter meritum illius. V. 8. repetit causam salutis nostræ προηγουμένην, videlicet gratiam, id est, favorem Dei: & addit causam instrumentalem, nempe fidem, quâ nos gratiã Dei in promissione Evangelii amplectimur. Tum per prolepsin (ne scilicet putent, se credidisse ex propriis viribus) exponit causam fidei efficientem, per antithesin inquiens: *Et hoc non ex vobis: Dei illud donum est.* quibus verbis significat, fidem non oriri ex nostris viribus, sed proficisci ex donatione Dei efficientis illam per Spiritum sanctum. Hæc autem sententia, ad perspicuitatem contextus, parenthesi includenda est. Nam versu 9. causam instrumentalem salutis, id est fidem, amplificat per

antitheſin, quâ negat ſalutem eſſe ex operibus, id eſt, ex merito operum noſtrorum, quaſi ſcilicet bonis operibus mereamur vitam æternam. Hoc Paulus negat, & cauſam finalem exponit, cur Deus noluerit ad eum modum nos ſervare: nempe ne quis glorietur. quibus verbis ſignificat, Deum in ſolidum velle frui ſalutis noſtræ gloriâ, nobis autem nihil quicquam gloriationis velle relinquere, quâ ſcilicet gloriemur in nobis ipſis. Hoc idem Paulus tradit in epiſtola ad Romanos cap. 3. ℣. 27. c. 4. ℣. 2. item 1. Cor. 1. ℣. 29. 31. V. 10. negationem de merito operum propoſitam confirmat ex natura contrariorum: nihil enim ſimul poteſt eſſe effectum & efficiens unius ejusdemq; rei: at bona opera ſunt effectum gratiæ Dei: non igitur ſunt illius cauſa efficiens, ut illam promereantur. Ait, nos eſſe Dei ποίημα, quaſi dicas facturam, id eſt (ut uſitatè appellatur) creaturâ. Germanicè geſchöpf. Non autem hoc intelligit de creatione noſtri corporis & animæ: ſed de renovatione noſtræ naturæ ſeu regeneratione per Spiritum ſanctum, quam Chriſtus & ſuo merito nobis impetravit, & ſuâ efficaciâ unâ cum Patre nobis præſtat. unde addit, *Nos conditos eſſe in Chriſto Jeſu ad opera bona*, hoc eſt, ut modò diximus, propter meritum illius, & per efficaciam illius.

11 Propterea mementote, vos quondam *quum eſſetis* Gentes in carne: qui dicebamini Præputium ab ea quæ vocatur Circumciſio in carne, quæ manibus fit:

12 Vos, *inquam*, illo tempore fuiſſe absque Chriſto, alienos à republica Iſraëlis, & extraneos à pactis promiſſionis, ſpem non habentes, & Dei expertes in mundo.

13 At nunc in Chriſto Jeſu, vos qui olim eratis procul, propinqui facti eſtis, per ſanguinem Chriſti.

14 Ipſe enim eſt pax noſtra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis ſeptum ſolvit:

15 Ini-

15 Inimicitiis, *id est*, lege mandatorum *qua* in ritibus *posita est*, per carnem suam abolitis: ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem;

16 Et utrosque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremtis inimicitiis per eam.

17 Et veniens evangelizavit pacem vobis *tum* qui procul, tum qui propè *eratis*.

18 Quoniam utrique per ipsum habemus aditum per unum Spiritum ad Patrem.

19 Nempe igitur non ampliùs estis hospites & inquilini, sed concives sanctorum, ac domestici Dei:

20 Superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, quum imus angularis *lapis* sit ipse Jesus Christus:

21 In quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit in templum sanctum in Domino.

22 In quo & vos unâ ædificamini, ut sitis domicilium Dei per Spiritum.

V. 11. transit ad aliam amplificationem, quâ rursum quidem amplificat beneficium vocationis per antithesin pristini eorum status, sed aliter quàm suprà. Suprà enim commemoravit statum naturæ, qui eis cum Judæis fuerat communis: at hîc commemorat statum ipsorum singularem, quo Judæis erant inferiores, nempe quòd essent extra fœdus gratiæ Dei in quo erant Judæi: quem illorum statum notat, quum eos vocat præputium, id est, præputiatos. Præputium enim ante regnum Christi, tempore politiæ Mosaicæ, erat signum alienationis à DEO; hoc est, significabat, gentes præputiatas à Deo esse alienas, nec pertinere ad ejus fœdus: sicut contrà circumcisio

signum erat federis & conjunctionis cum Deo. Innuit autem, plerosq; Judæos temerè in nudâ externa illa circumcisione gloriatos esse: quum interim de circumcisione cordis quæ fit operatione Spiritus sancti, solliciti non essent. id quod expressius monet Rom. 2. ℣. 25. & deinceps. V. 12. statum illum alienationis à Deo copiâ verborum amplificat. *1. Eratis*, inquit, *absq; Christo*. id est, Christus vobis non prædicabatur, ac proinde nec in illum credebatis. *2. Eratis alieni à πολιτείᾳ Israëlis*. id est, à religionis & cultus divini forma quam Deus Israëlitico populo tradiderat. *3. Eratis extranei à pactis promissionis*. h. e. promissio federis gratiæ, quâ Deus promittebat remissionem peccatorum propter meritum Christi, & renovationem cordiũ per efficaciam Christi, nihil ad vos pertinebat. *4. Eratis spem non habentes*. nempe spem vitæ æternæ. hæc enim nascitur ex fide, quâ illi carebant. *Eratis deniq; Dei expertes* (ἄθεοι) *in mundo*. h. e. verum Deum ignorabatis, ac inprimis voluntatem ipsius erga eos qui in Christum credunt. Versu 13. pristino illi Ephesiorum statui præsentem opponit, affirmans eos jam propinquos factos esse Deo per sanguinẽ Christi, hoc est, Deum propter meritum Christi, sanguinẽ suum cum sensu iræ Dei in cruce fundentis ad expiandum credẽtium peccata, in gratiam eos recepisse & in suam quasi familiam cooptasse. V. 14. & deinceps reconciliationem Ephesiorum per sanguinem Christi, quam modò cõmemoravit, amplificat collatione parium: affirmans, eos æquè reconciliatos esse Deo ac Judæos, idq; absq; interventu ceremoniarum Legis: quippe quas Christus aboleverit, implendo scil. eas suâ morte, hoc est, reipsa præstando quod illæ præfigurarant. *Ipse*, inquit, (nempe Christus) *est pax nostra*, hoc est, author pacis nostræ, is qui pacem fecit inter Deum & nos. Metonymia effecti. *Qui utraq; fecit unum*. hoc est, qui utrumq; populum (circumcisorum scil. & incircumcisorum) in unum populum collegit, hos nimirum illis aggregando. *Et intergerini parietis septum solvit*.] His verbis modum aggregationis seu vocationis Gentium ostendit, nempe per abolitionem ceremoniarum Legalium: quas comparat sẽpto, quòd populus Israë-

raëliticus illis veluti septo inclusus & ab aliis populis separatus esset: item parieti intergerino, eandē ob causam, nimirum quòd ceremoniis quasi dirimerētur à reliquis populis. V. 15. exponit, quomodo Christus ceremonias Legis aboleverit, atq; ita aditum patefecerit ad Gentes Judæis aggregandum: nempe quòd aboleverit eas *per suam carnem*, id est, per suam mortem, quum suam carnem cruci affigi passus est: ac proinde vocaverit gentes absq; conditione observandi ceremonias Legis. Sic igitur indicat vocationis modum. Porrò ceremonias Legis hîc vocat *inimicitias*, eò quòd signum essent inimicitiarum inter Deum & Gentes, quatenus illis nō erant datę. Erant enim Judęis ceremoniæ Legis, visibiles prophetiæ de Christo, ac proinde testimonia gratiæ Dei. Videtur tamen vocabulo inimicitiarum aliâ significatione uti in fine versus 16. nempe ad significandum simpliciter inimicitias inter Deum & homines. Porrò verba illa, *In uno corpore*, idem valent quod, *In unum veluti corpus collectos*. Versu 17. à merito Christi transit ad efficaciam ipsius, exponens causam instrumentalem, per quam Christus pacem illam seu reconciliationem nostri cum Deo nobis patefecit, nempe prædicationem Evangelii. Versu 18 pacem illam declarat ex effectu, videlicet libero aditu ad Patrem, per invocationem scilicet: cujus simul & aliam causam procreātem exponit, videlicet operationem Spiritus sancti obsignantis reconciliationem istam nostris cordibus, ac testimonium reddētis spiritui nostro quòd simus filii Dei: sicut ait Rom 8. ℣. 16. Vers. 19 repetit beneficium vocationis Ephesiorum, illudq; antithesi amplificat, & metaphoris exornat. Versu 20. exponit vocationis causam instrumentalem, videlicet doctrinam Apostolorum & Prophetarum de Christo. Prophetarum nomine videtur hîc intelligere interpretes Prophetarū, quia eos Apostolis postponit: sicut & infr. c. 3. ℣. 5. Porrò doctrinam Apostolorum & Prophetarum fundamento ędificii comparat: eâq; occasione authorem salutis Christum simili metaphora illustrat, lapidi angulari eum cōparans: itemque ecclesiam, quam comparat templo in quo DEUS habitat per Spiritum sanctum.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Et vos, &c. καὶ ὑμᾶς, &c. *Accusativus iste* ὑμᾶς *regitur à verbo* συνεζωοποίησε, *id est, vivificavit, quod sequitur v. 5. Est igitur hoc loco hyperbaton & synchysis &* ἀποκοπὴ τῆς περιόδου, *intercisio periodi quæ est species* τοῦ ἀναντοποδότου. *Cujus quidem anomaliæ causa est* ἐπεμβολὴ, *interjectio sententiæ prolixioris: quâ exponitur status pristinus cùm Ephesiorum cæterorumque Gentilium, tum Judæorum, v. 2. & 3. Post quam* ἐπεμβολὴν *facta est* ἀποκοπὴ τῆς περιόδου. *Deinde in epanalepsi, hoc est, repetitione sermonis inchoati atque interrupti, (quæ incipit v. 4.) facta est mutatio personæ secundæ in primam, videlicet pronominis* ὑμᾶς *in pronomen* ἡμᾶς, *in principio v. 5. Cujus mutationis causa est illa* σύγκρισις, *quæ continetur in epembole: quâ Judæi cum Gentibus tanquam similes, quoad naturæ statum, comparantur. unde factum, ut jam in epanalepsi utrosq; illos complectatur pronomine primæ personæ, dicens,* ἡμᾶς, *nos: & intelligens tum se cæterosq; Judæos fideles, tum eos quos alloquitur, fideles Ephesios. Ex qua sententiarum cohærentia perspicitur, conjunctionem* καὶ *in principio v. 5 redundare: appositam tamen esse ut aliquo modo serviret institutæ epanalepsi. Sed perspicuitatis causâ in vertendo à nobis præterita est. Neq; enim puto, conjunctionem illam hîc esse* συγκριτικὴν, *comparativã, notam scilicet paris:* Etiam nos. *scilicet Judæos: non solùm vos Gentiles. Quod si hîc dictum voluisset Apostolus, aliter verba collocasset, dicens nimirum sic,* καὶ ἡμᾶς ὄντας νεκροὺς: *non autem* καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς.

2 Ut est vita mundi hujus. κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου. *Ad verb. Secundùm seculum mundi hujus. id est, ut solet hic mundus seu filii hujus seculi, hoc est, huic mundo sive seculo addicti, de altero seculo seu vita æterna nihil solliciti.* Spiritum nunc agentem. τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος. *pro,* τὸ πνεῦμα τὸ νῦν ἐνεργοῦν. *Vide Analysin. Talis antiptosis est & infr. cap. 4. v. 15.* In filiis contumaciæ. ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. *Id est, in hominibus contumacibus. Hebraïs.*

3 Quæ carni ac cogitationibus libebant. τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν. *Sic D. Beza, eleganter expresso sensu. Ad verb. Voluntates carnis & cogitationum.* Eramusq;

naturâ

naturâ filii iræ. τῇ ἡμῶν τέκνα φύσει ὀργῆς. pro, τῇ ἡμῶν φύσει τέκνα ὀργῆς. *Talis trajectio nominis* φύσει *exstat Gal. 4. v. 8.* τοῖς μὴ φύσει ὖσι θεοῖς. *Cæterùm* Filii iræ *dicuntur rei iræ, per Hebraismum.*

4 Quum dives sit. πλούσιος ὢν. *Sic potiùs vertendum, quàm* Qui dives est. *Exponit enim his verbis causam ejus vivificationis de qua loquitur versu sequente.* Quâ dilexit nos. διὰ ἠγάπησεν ἡμᾶς. *pro* κατὰ διὰ ἠγάπησεν ἡμᾶς.

5 Nos quum per lapsus mortui essemus. τῇ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι. *Cur conjunctio* τῇ *hoc loco à nobis sit præterita, causam exposuimus ad v. 1.* Unâ vivificavit cum Christo. συνεζωοποίησε τῷ χριστῷ. *Præpositio* συν *refertur ad Christum, sicut Rom. 8. v. 17. item 2. Tim. 2. v. 11. Nam coagmentatio illa Judæorum ac Gentium inter se, indicatur pronomine* ἡμᾶς. *sicut ad v. 1. declaravimus.*

7 Ut ostenderet in seculis &c. *Sententia est, ut ostenderet hominibus victuris in seculis, &c.*

8 Gratiâ enim. τῇ γὰρ χάριτι. *nempe* τῇ θεῷ, *id est Dei: cujus mentionem fecit versu præcedente. Articulus ergo vim habet* ἀναφορικὴν. Per fidem. διὰ τῆς πίστεως. *Nempe* τῆς εἰς χριστὸν. Et hoc. τῇ τοῦτο. *id est, Et hæc fides.* Dei illud donum. Θεοῦ τὸ δῶρον. *Articulum putavi exprimendum: quoniam videtur illo notari aliquid eximium.*

9 Non ex operibus. *Scilicet, servati estis. hoc enim opponit illi quod dixit, Gratiâ estis servati.* Ut ne quis. ἵνα μήτις. *Notatur finis consilii divini.*

10 Nam ipsius sumus opus, &c. *Nos salutem non mereri operibus, probat ex eo, quòd bona nostra opera non proficiscantur ex nostris viribus, sed ex gratia Dei qui nos ad illa condidit, id est, quasi denuò condidit, regenerando scilicet nos per Spiritum sanctum.* Quæ præparavit. οἷς προητοίμασεν. *pro,* ἐκείνοις ἃ προητοίμασεν.

11 Vos quondam *quum essetis* Gentes. ὅτι ὑμεῖς ποτε τὰ ἔθνη. *Ante nomen* τὰ ἔθνη *subaudiendum participium* ὄντες, *ad significandum tempus: liquet ex principio versus sequentis, ubi sententia hic inchoata & mox per epembolen interrupta, repetitur his verbis,* ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, *id est, Vos fuisse illo tempore.*

12 Spem. ἐλπίδα. *Nempe spem vitæ æternæ.*

14 Pax. ἡ εἰρήνη. *Id est, author pacis. Metonymia effecti valde emphatica.* Qui utraque fecit unum. *id est, Qui Judæos & Gentes collegit in unum populum Dei.* Intergerini parietis septum. τὸ μεσότοιχον τῦ φραγμῦ. *Hypallage; quasi Græcè sit* τὸν φραγμὸν τῦ μεσοτοίχου. *Appellat autem Apostolus unam eandemque rem (videlicet ceremonias Mosaicas) duobus nominibus: videlicet septum quo populus Judaicus veluti hortus Domini sepiebatur, & parietem intergerinum quo à reliquis populis separatus erat.*

15 Inimicitiis, &c. *Hunc versum propter verborum trajectionem subobscurum, D. Beza & verbis commodiùs collocatis & supplementis adhibitis, perspicuum reddidit.* Ex duobus illis conderet unũ. τοὺς δύο κτίσῃ εἰς ἕνα. *Ad verb. Duos illos conderet in unum. Hebraïs. ut in illo, Erunt illi duo in carnem unam: quod est, quasi dicatur, Ex duobus illis (viro & uxore) fiet una caro. Unde & subjungit Dominus apud Matthæum, Itaq; nõ amplius sunt duo, sed una caro. Matth. 19. v. 6. Loquitur autem hic de duobus populis, videlicet Judæis & Gentibus.*

16 Per crucem *id est, per mortem suam quam in cruce perpessus est. Metonymia subjecti, vel efficientis.*

18 Vobis *tum* qui procul, &c. *Continetur his verbis distributio: facilè autem intelliguntur ex versu 12. & 13.*

18 Utriq;. οἱ ἀμφότεροι. *Nempe & Judæi & Gentes, quotquot in Christum credimus.* Aditum. τὴν προσαγωγὴν. *Vide annotat. nostram ad Rom 5. v. 2.*

20 Super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum. *id est (ut rectè D. Beza exponit) super fundamentum quod jactum est à Prophetis & Apostolis per doctrinam ipsorum. non autem, quòd fundamentum sint ipsi Apostoli ac Prophetæ.* Quum imus angularis lapis sit. ὄντος ἀκρογωνιαίου λίθου. *His verbis continetur probatio ejus quod dixit, Ephesios superstructos esse super fundamẽtum Apostolorum ac Prophetarum, id est, super Christum: quæ probatio sumta est à testimonio Esaiæ, apud quem Christus lapis angularis nominatur. Quod si vertatur,* Cujus imus angularis lapis est Christus: *quum pronomẽ* cujus *necessariò referatur ad fundamentum cujus facta est mentio: non poterit satis commodè hoc explicari, Christum videlicet & fundamentum Ecclesiæ esse,*

esse, & fundamenti lapidem angularem. Nisi hunc locum sic malimus exponere: Superstructi super fundamentum Apostolorum, hoc est, super doctrinam Apostolorum ac Prophetarum tanquam super fundamentum: cujus fundamenti primus lapis angularis est ipse Jesus Christus, *hoc est, cujus doctrina princeps caput est doctrina de Christo, nimirum de persona & officio Christi. Sed prior expositio genuina videtur: cui & sequentia verba favent, imò quam planè videntur postulare.*

21 Crescit in templum sanctum. αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον. *Sic apud Claudianum strages dicuntur crescere in cumulum, id est, ita ut tandem magnus cumulus fiat. Notatur ædificationis effectum.* In Domino. ἐν κυρίῳ. *Hoc additur, ut intelligamus incrementum illud pendere à Domini virtute.*

22 In quo. *Scilicet Christo, ex vers. 20.*

OBSERVATIONES EX CAP. II.

Ex ℣.1.2.3. Homo naturâ mancipium est diaboli; cui servit perpetrando peccata: ac proinde est filius iræ, hoc est, reus iræ Dei atque æternæ damnationis. διαβ.

Ex ℣.5. & 6. Nostra salus tam certa est, ac si jam eâ potiremur. Certitudo autem hæc pendet à nostra cum Christo communione: in quo tanquam capite nostro gloriam illam cælestem jam possidemus. διαβ. πατρ.

Ex ℣.7. *Ut ostenderet seculis succedentibus.*] Hinc colligimus, Evangelium usq; ad finem mundi prædicatum iri. Sicut etiam dicitur in verbis Cænæ: Mortem Domini annuntiate donec venerit. Christus autem in extremo die venturus est. Ergo eousque etiam cæna Domini celebrabitur, ac proinde usque ad consummationem seculi Evangelium prædicabitur: quantumvis id impedire conentur tyranni. διαβ. πατρ.

Ex ℣.8. Fides nō oritur ex viribus liberi arbitrii, sed est singulare donum Dei. Hinc ad Tit.1. ℣.1. vocatur fides electorum Dei. Et alibi dicitur, Fides non est omnium. ἀδ. ἔλ.

Ex ℣.9. Causa cur Deus nolit homines justificari & servari ex operibus, est, ne quis glorietur, nēpe in seipso, in suis scilicet viribus ac meritis: quia ipse solus vult habere gloriam salutis nostræ, nēpe quòd nos indignos ex διαβ.

mera gratia ac misericordiâ servarit. Vide supra cap. 1. ℣. 6.

ἐλ. Quare qui docent, hominem justificari & servari ex operibus, illi sunt hostes gloriæ Dei. Confer Rom. 3. ℣. 27 & cap 4. ℣. 2. & 1 Cor. 1 ℣. 29 & 31.

διδ. Ex ℣. 10 Qui fide justificantur, illi etiam spiritu Christi regenerantur, atque ita idonei & voluntarii redduntur ad bona opera.

διδ. *Ex eod.* Regeneratio spiritualis, est opus potentiæ Dei, simile operibus creationis. Sic fideles alibi vocantur nova creatura.

διδ. Ex ℣. 12. Miserrimus est status eorum qui sunt extra Christum, hoc est, qui in Christum non credunt: quia

παρ. non habent spem vitæ æternæ. Contrà igitur felicissimi sunt, qui sunt in Christo, hoc est, qui in Christum credunt.

διδ. *Ex eod.* Qui in Christum non credunt, illi sunt ἄθεοι, sine Deo, hoc est, destituuntur verâ cognitione Dei. nam qui non honorat filium, is nec honorat Patrem: ut Christus ipse docet Joh. 5. ℣. 23.

διδ. Ex ℣. 13. Sanguis Christi (nempe quatenus in cruce pro nobis effusus) est medium illud, quo Deo reconciliati & in gratiam ejus adducti sumus.

διδ. Ex ℣. 14. 15. Observandum est, abrogationem Legis ceremonialis factam esse per sacrificium Christi, sicut ait Johan. cap 1. ℣. 17. Lex per Mosen data est, gratia & veri-

ἐπ. tas per Jesum Christum exstitit. Præposterè igitur agunt Papistæ, onerantes populum ineptis ceremoniis, sumtis partim à veteri populo, partim ab Ethnicis. Sic Petrus vocat ceremonias in Actis jugum intolerabile, Act. 15.

διδ. Ex ℣. 16. Rursus observandum, quomodo simus Deo reconciliati, nempe per mortem Christi; unde rectè dicitur: Christum nobis promeritum esse gratiam Dei.

διδ. Ex ℣. 18. Quodnam sit signum, præditos nos esse fide, nempe hoc: si ausimus prodire in conspectum Dei, & i-

παρ. psum invocare: Invocatio enim pendet ex fide; cùm sumus persuasi, Deum nobis bene velle; quæ persuasio pēdet à testimonio Spiritus, qui testimonium dat nostro spiritui, nos esse filios Dei: Rom. 8. ℣. 16.

διδ. Ex ℣. 19. Fideles sancti sunt; quia sanctificati sunt sangui-

guine & spiritu Christi. Consideremus, quàm sit res optabilis, esse cives regni Dei & concives sanctorum, & ne pudeat nos pati persecutionem propter Evangelium: cùm satis nobis sit, assumtos nos esse in communionem sanctorum & domesticorum Dei. παρ. παιδ.

Ex ℣. 20. Quoniam Ecclesia nascitur ex doctrina Prophetarum & Apostolorum: hinc consequitur, auctoritatem Scripturæ non pendêre ab authoritate Ecclesiæ. ἐκλ.

Ex eod. Observandum, quid præcipuè quærendum sit in doctrina Prophetarum & Apostolorum, nempe Christus, doctrina scilicet de persona & officio ejus, qui Christus est fundamentum Ecclesiæ. διδ.

Ex ℣. 21. OBSERVA: Fidem esse conjunctam cum sanctitate: Falluntur igitur illi qui fidem jactant, in peccatis interim pergentes. διδ. ἐκλ.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Quoniam in fine capitis superioris doctrinam Apostolorum commemoravit, per quam Ephesii sint vocati: nunc deinceps suum apostolatum asserit contra scandalum vinculorum suorum, in quibus tum Roma detinebatur: eâq; occasione mysterium de vocatione Gentium explicat: tum Galatas ad perseverantiam & profectum in fide Evangelii à se apud ipsos prædicati exhortatur.

HUjus rei gratiâ ego Paulus, captivus ille Christi Jesu pro vobis Gentibus.

2 Si quidem audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi erga vos:

3 *Deum videlicet* per revelationem notum mihi fecisse mysterium illud, (sicut antè scripsi paucis:

4 Ex quo perlecto potestis intelligere, quæ sit mea intelligentia in mysterio Christi)

5 Quod aliis ætatibus non patefactum fuit

filiis hominum, ut nunc revelatum est sanctis ejus Apostolis & Prophetis per Spiritum:

6 Gentes *videlicet* esse cohæredes & concorpores, consortesq; promissionis ejus in Christo per Evangelium.

7 Cujus factus sum minister ex dono gratię Dei, quod datum est mihi secundùm efficacitatem potentiæ ipsius.

8 Mihi, *inquam*, longè minimo omnium sanctorum, data est hæc gratia evangelizandi inter Gentes imperveſtigabiles illas opes Christi,

9 Et in lucem proferendi omnibus quæ *sit* communio mysterii quod erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia hæc condidit per Jesum Christum:

10 Ut nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis ac potestatibus *quæ* in cælis *sunt* multiformis illa sapientia Dei:

11 Secundùm propositum æternum, quod constituit in Christo Jesu Domino nostro:

12 In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia, per fidem ipsius.

13 Quapropter peto ne segnescatis ob afflictiones meas pro vobis; quæ est gloria vestra.)

14 Hujus, *inquam*, rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi;

15 Ex quo tota familia in cælis & in terra nominatur;

16 Ut det vobis, pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini per Spiritum suum in interiore homine:

17 Et

17 *Et* inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.

18 *Dum* in charitate *fueritis* radicati & fundati: ut valeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ *sit* illa latitudo, & longitudo, & profunditas & sublimitas:

19 Et cognoscere charitatem illam Christi *omni* cognitione superiorem: ut impleamini ad omnem usque plenitudinem illam Dei.

20 Ei verò qui infinita cum redundantia potest omnia facere supra ea quæ petimus, aut mente concipimus, pro vi illa agente in nobis.

21 Ei *inquam sit* gloria in Ecclesia per Christum Jesum, in omnes ætates seculi seculorum, Amen.

VErsu 1. utitur tacita inversione: dum monet, se vinctum esse pro illis, hoc est, illorum causâ, ut scilicet doctrina ab ipso eis tradita in animis eorum confirmetur. *Hujus rei gratiâ*, inquit, ut scilicet vos magis magisq; ædificemini in Christo, superiore capite, ℣. ult. *Ego Paulus captivus seu vinctus ille Christi*, id est propter Christum: ex cujus mandato Gentes per Evangelium voco in communionem populi Dei.

V. 2. Apostolatum suum declarat expositione causæ efficientis, id est, authoris à quo sit vocatus, nempe Dei: & formæ, quum Apostolatum suum vocat dispensationem gratiæ Dei apud Gentes.

V. 3. & 4. commemorat formam vocationis suæ, videlicet revelationem mysterii de vocatione Gentium: hoc autem mysterium sibi esse revelatum, probat ex effecto, videlicet doctrinâ suâ hac de re paulo antè traditâ, nempe capite præcedente à ℣. 11. usque ad fin. cap.

V. 5. mysterium illud amplificat antithesi temporum: quippe quod antea fuerit ignotum, nunc autem sit revelatum Apostolis & Prophetis: ubi nomine Prophetarum intelligendi sunt non veteres illi qui de Christo

venturo prophetarunt: neque enim sententia præsens id patitur: sed interpretes prophetiarum ab illis conscriptarum. In qua significatione hoc nomine etiam utitur Apostolus 1. Corinth. 14. & inf. c. 4. ℣. 11. sicut & capite præcedente ℣. 20.

V. 6. mysterium illud de vocatione Gentium exponit, innuens eas vocandas esse per Evangelium, absque obligatione scil. ad ceremonias Legis, ac proinde absq; circumcisione. hoc enim erat quo Judæi offendebantur: qui putabant, Gentes non esse admittendas ad societatem populi Dei, nisi circumciderentur. *Gentes esse coharedes.* scilicet unâ cum Judæis credentibus, hæredes vitæ æternæ. *Concorpores.*] id est, in unum idemque quasi corpus cum Judæis credentibus collectos. *Consortes promissionis ejus.*] nempe promissionis, quâ Deus Judæis credentibus promisit remissionem peccatorum & vitam æternam. *In Christo.*] id est, per fidem in Christum. *Per Evangelium.*] quasi dicat, non autem per circumcisionem & alias ceremonias Legis.

V. 7. apostolatum suum describit à genere, quum se factum dicit ministrum Evangelii: item ex causa efficiente, videlicet gratia Dei: & ex adjuncta prædicandi facultate, quam vocat donum sibi datum secundùm efficaciam potentiæ Dei.

V. 8. per quandam prolepsin & antithesin suæ parvitatis, magnitudinem gratiæ Dei in mandato sibi apostolatu amplificat: vocans se minimum omnium sanctorum. Similes locos vide 1. Cor. 15. ℣. 8. & 9. item 1. Tim. 1. ℣. 15. Apostolatum verò suũ nominat gratiam, per metonymiam efficientis: quia eum ex gratia Dei acceperat. Tum eundem declarat ex objecto duplici: videlicet auditoribus quos debuit docere: illi sunt Gentes: nam his peculiariter destinatus erat: deinde ipsius doctrinæ argumento sive summa seu denique iis rebus quas debuit docere: eæ sunt, remissio peccatorum & vita æterna per Christum parta, quas vocat imperveſtigabiles opes Christi.

Versu 9. amplificat suum apostolatum ab adjuncto mysterio, admonens vocationem Gentium sibi mandatam,

tam, hactenus rem arcanam fuisse: item ab adjuncto decreto Dei æterno, quum ait, mysterium illud absconditum fuisse à seculis in Deo. tum annectit argumentum à pari: ut admoneat, vocationem Gentium non debere videri absurdam; ubi ait, Deum omnia condidisse per Jesum Christum. quasi dicat, Si Deus tam Gentes quàm Judæos per Christum condidit: quid miri aut absurdi, si tam illas quàm istos per eundem Christum instauret? Sic Rom. 3. quum generatim concluisset, hominem justificari fide absque operibus Legis: mox subjungit, An Judæorum Deus solùm? annon & Gentium? Certè & Gentium.

V. 10. mysterium illud de vocatione Gentium amplificat collatione majorum, affirmans, illud nunc patefieri ipsis quoque Angelis. Nominat autem vocationem Gentium, multiformem illam sapientiam Dei, per metonymiam efficientis, quia Deus pro sua sapientia aliter tunc vocabat Gentes quàm olim circumcisos. Circumcisos erudiebat de Christo vēturo per varias ceremonias & umbras: Gentes erudiebat de Christo exhibito per clarum testimonium, adhibitis pauciſſimis iisdemq; significantissimis ceremoniis, Baptismo scil. & sacra Cœna.

V. 11. repetit adjunctum illud Dei decretum sive propositū de Gentibus vocandis & per Christum servandis.

V. 12. exponit quædam vocationis effecta: nempe fidem, fiduciam filialem & invocationem ex fiducia: Sed Apostolus hæc tria ordine retrogrado commemorat.

V. 13. ex narratione de suo apostolatu deducit exhortationem ad constantiam in fide: ac removet scandalum vinculorum suorum per inversionem; admonens, Ephesios non solùm nō debere moveri ipsius vinculis, ut de ipsius apostolatu aut doctrina ab ipso eis tradita dubitent: sed potiùs in illa debere hoc ipso cōfirmari: quippe quam tanti faciat Apostolus ut etiam non recuset propter illam sustinere afflictiones; ac nominatim quòd doceret, Gentes ad populum Dei vocandas esse absque obligatione ad ceremonias Legis. Hoc sibi vult quod dicit, hanc esse Ephesiorum gloriam: id est, has suas afflictiones pertinere ad ipsorum gloriam.

V. 14. & deinceps pergit eos hortari ad perseverantiam & profectum in fide, sed obliquè & per ratiocinationem: dum scilicet narrat, se Deum pro ipsis orare, ut eis fidem confirmet & augeat. quo ipso innuit, multò magis ipsosmet hac de re sollicitos esse debere, quippe quorum res agatur.

V. 15. obiter amplificat beneficium vocationis seu adoptionis per Christum: à multitudine vocatorum sive adoptatorum, per distributionem è subjectis locis: quippe quòd pars eorum jam in cælum recepta sit, pars adhuc in terris degat.

V. 16. & deinceps 17. 18. 19. exponit, quidnam eis à Deo exoptet, nempe confirmationem in fide & charitate. Hanc confirmationem primùm declarat ex causis, videlicet causa antecedente, quæ est immensa Dei gratia, quam vocat divitias gloriæ ipsius: tum ex causa efficiente socia, & quasi instrumentali seu administra respectu Patris mittentis, qui est Spiritus sanctus. Deinde duo illa uno nomine generali complectitur, videlicet hominis interioris, ℣. 16. Tum 17. illius totius partem primam exponit, nempe fidem. Postea ℣. 18. addit ejusdem totius partem alteram, nempe charitatem: ibidemque redit ad partem priorem, & fidem seu cognitionem charitatis Dei erga nos in Christo, amplificat à charitatis illius perfectione & excellētia, atq; etiam à perfectione ipsius hujus cognitionis. Non quòd charitatem Dei erga nos perfectè in hac vita possimus cognoscere: sed quòd qui illam pro modulo fidei sibi à Deo donatæ cognovit, is perfectam salutis suæ notitiam habeat, ita ut nihil ei desit ad salutem per Christum consequendam.

V. 20. & 21. concludit hunc locum gratiarum actione seu δοξολογία, quâ potentiam & bonitatem DEI erga Ecclesiam celebrat.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Hujus rei gratiâ ego Paulus &c. τούτου χάριν ἐγὼ Παῦλος &c. *Hîc iterum occurrit hyperbaton. Etenim enuntiatum quod hîc inchoatur, mox versu sequente interrumpitur, & absolvitur demum v. 14. ubi per epanalepsin repetuntur illa*

illa verba τέτυ χάριν. Quapropter perspicuitatis causâ versus interpositos omnes notis παρενθέσεως inclusimus.

2 Quæ data est mihi erga vos. τῆς δοθείσης μοι εἰς ὑμᾶς. hoc est, Quæ data est mihi utenda erga vos.

3 Mysterium illud. τὸ μυστήριον. nempe τὸ τὸ χριστὸ. ut ipse nominat v. seq. Itaq; articulus bene expressus est. Sicut ante-scripsi. nempe in hac ipsa epistola, capite scil. primo.

5 Non patefactum fuit. οὐκ ἐγνωρίσθη. Ad verb. Non notificatum fuit. nempe à Deo.

6 Esse. εἶναι pro ὅτι ἐστὶ. Promissionis ejus τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ. Nempe Dei. Græcum clarius est propter discrimen generum in vocibus ἐπαγγελίας αὐτοῦ.

9 A seculis. ἀπὸ τῶν αἰώνων. Eadem vis est præpositionis ἀπὸ in illo Rom. 1. 20. ἀπὸ κτίσεως κόσμου, à creatione mundi. Omnia hæc. τὰ πάντα. id est, omnes hos populos qui jam in Christum credunt: ut rectè interpretatur D. Beza.

11 Propositum. προθέσιν, nempe vocandi & salvandi electos omnium populorum.

13 Ob. ὃν. Hebraïs. Præpositio Beth valet Bahabur. Pro vobis. id est, Quas sustineo vestrâ causâ, ut nimirum vos meâ constantiâ confirmemini in fide Christi. Nam sanguine martyrum Ecclesia veluti rigatur: ut scitè veteres dixerunt.

14 Hujus inquam rei gratiâ. τέτυ χάριν. Particulam Inquam inseruimus: quia judicamus hic per epanalepsin repeti ista verba ex v. 1.

14 Familia. πατριά. Seu parentela. Sic Luc. 2. v. 4. Germanicè Geschlecht. Nominatur. nempe nomine filiorũ Dei.

18 Dum in charitate fueritis radicati & fundati. ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι. Sic puto hæc vertenda, tanquam posita absolutè per Hebraïsmum. Et sic accepisse apparet Syrum interpretem: quasi scriptũ esset, ὑμῶν ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένων καὶ τεθεμελιωμένων. Nam trajectio conjunctionis ἵνα quam alii hic instituunt, mihi hoc loco durior atque insolentior videtur. Et dissimilia videntur exempla quæ D. Beza hîc tanquam similia annotavit: ut in quibus non tot verba ante conjunctionem ἵνα, post illam trajicienda præcedunt: sed tantùm unũ aliquod nomen. Vult autem his verbis Apostolus meo quidem judicio significare, eam demũ veram esse fidem quæ cum vera dilectione tũ Dei tum proximi con-

juncta est: ac proinde fide eis exoptatâ, simul exoptat ut in eis radices agat ac veluti fundetur charitas.

21 Ei *inquam sit* gloria. ὦ ἡ δόξα. *Tales epanalepses, per pronomen relativum factæ, occurrunt crebræ apud Evangelistam Johannem: ut cap. 1. v. 33. cap. 3. v. 26. cap. 5. v. 11.*

OBSERVATIONES EX CAP. III.

παιδ. Ex ℣. 1. Persecutione fidelium Ecclesiæ doctorum non solùm non debemus offendi, ut à veritate Evangelii deficiamus, sed potiùs debemus confirmari in doctrina per martyres testata.

παιδ. Ex ℣. 2. Ministerium Evangelii in maximo pretio habendum, cum per illud nobis dispensetur gratia Dei.

παιδ. Ex ℣. 3. 4. 5. 6. discamus, quò maiorem gratiam nobis Gentibus exhibuit Deus, eò studiosiùs ei serviēdum esse. quippe non multis ceremoniis nos onerat, & tamen consortes facit populi sui.

παιδ. διδ. Ex ℣. 7. discamus, ministerium Evangelii magnificiendum esse, cùm sit donum gratiæ Dei. Deinde, adjunctam habere efficaciam Spiritus sancti. Deus enim non frustra Evangelium annuntiari sinit, sed semper adest suo spiritu ad efficaciter vocandum electos.

παιδ. παιδ. Ex ℣. 8. Primò, unumquemque Evangelii ministrum indignum se judicare debere tanto officio, idq; exemplo Pauli. Deinde, Evangelium sedulò ac studiosè nobis audiendum esse, quia communicat nobis opes Christi, quę opes anteferendæ sunt omnibus terrenis opibus.

διδ. Ex ℣. 9. Christum esse mediatorem illum inter Deum & homines: per quem sicut omnia condidit, sic quoque per illum instaurat quæcunq; vult.

παιδ. Ex ℣. 10. Cùm etiam Angeli admirentur sapientiam Dei in Evangelio patefactam: multo magis nos eandem debere admirari. Similis locus est 1. Pet. 1. ℣. 12.

διδ. παιδ. Ex ℣. 11. Salutem nostram esse certam, quia fundata est in æterno Dei decreto & proposito. Dona enim Dei & vocatio sunt ἀμεταμέλητα: Rom. 11. Et quos prædestinavit, eos etiam vocavit: quos vocavit, etiam justificavit: quos justificavit, etiam glorificavit. Rom. 8.

Ex

Ex ℣.12. Quænam sit vera fides: quæ nimirum ex se parit fiduciam filialem in favore Dei acquiescentem, & quæ deinde ex se parit invocationem. Rom.10.℣.13. dict.

Ex ℣.13. Quænam sit ratio afflictionum quas fideles sustinent pro confessione Evangelii; nempe non esse ignominiosas, sed gloriosas. dict. exeg.

Ex ℣.14. Cùm sit fides donum Dei, Deum quotidie orandum esse pro illius incrementis & confirmatione, tum in nobis tum in aliis. Item, quò dirigendæ sint preces nostræ, nempe ad Deum patrem: Quamvis licet etjam distinctè invocare Filium & Spiritum sanctum: sicut Stephanus & Christiani illi Damasceni fecerunt, Act. 7.℣.59. Actor.9.℣.14. exhort. dict.

Ex ℣.15. Quæ sit vis fidei, nempe per illam nos adoptari in filios per Jesum Christum. Confer Johan.1.℣.12. dict.

Ex ℣.16. Quis sit author & effector fidei & pietatis, nempe Spiritus sanctus. Idem est efficiens & conservans. dict.

Ex ℣.17. Quæ sit vis & natura fidei, nempe quòd per illam Christus habitet in cordibus nostris. Quod non est intelligendum de corpore, sed de spiritu Christi: quæ inhabitatio nobis prodest, altera illa nihil habet consolationis. dict.

Ex ℣.18. Fideles ut in charitate, sic in fide radicantur per Spiritum sanctum. Item, Charitas Dei erga nos est perfecta; ac proinde satis nobis erit, dare operam ut illam cognoscamus. dict. exhort.

Ex ℣.19. Etsi mysteria in verbo Dei patefacta captum nostrum superent, tamen elaborare debemus ut in illis proficiamus. exhort.

Ex ℣.21. Quoties de Dei erga nos beneficiis loquimur, erumpendum est in gratiarum actionem, nisi velimus videri ingrati. exhort.

ANALYSIS CAP. IV.

Argumentum trium capitum reliquorum.

Sequitur altera pars epistolæ. nam sicut hactenus per tria capita in hoc elaboravit Apostolus, ut Ephesios confirmaret in fide: ita deinceps per tria capita reliqua omni stu-

dio in hoc incumbit, ut eos confirmet in resipiscentia & in eis formet vitam Christianam. Itaque eos ad varias virtutes hortatur, variáq; eis officia præscribit. Primùm autem tradit præcepta generalia & omnibus fidelibus communia, usq; ad v. 22. capitis quinti: deinde subjungit præcepta specialia de officiis certarum seu certæ conditionis personarum, ut uxorum & maritorum, liberorum & parentum, servorum ac dominorum: inde usque ad v. 10. capitis sexti. Ibi subjungit exhortationem generalem ad constantiam in fide & pietate & precibus, ac nominatim se illorum precibus commendat: usq; ad v. 21. ubi familiariter exponit, cur Tychicum ad eos miserit: ac tandem v. 23. & 24. epistolam salutatione Apostolica concludit.

PRecor itaque vos ego captivus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum est vocatione quâ vocati estis:

2 Cum omni modestia ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alii alios per charitatem:

3 Studentes servare unitatem Spiritus per vinculum pacis.

4 Unum *est* corpus, & unus Spiritus: sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ.

5 Unus Dominus, una fides, unũ Baptisma.

6 Unus Deus & Pater omnium, qũi est super omnes & per omnes & in omnibus vobis.

VErsu primo capitis quarti proponit exhortationem generalem ad studium pietatis.

V. 2. & 3. hortatur ad studium concordiæ & fraternæ charitatis.

V. 4. 5. & 6. varia illius proximæ hortationis argumẽta affert. 1. quòd sint inter se unum corpus 2. quòd regantur ab uno spiritu: nempe Spiritu sancto. 3. quòd habeant unam spem, nempe vitæ æternæ. 4. quòd habeant unum dominum, nempe Christum. 5. quòd habeant unam fidem, nempe Christi. 6. quòd habeant unum baptisma,

baptisma, nempe in nomen Christi. 7. quòd habeant unum Deum & patrem.

7 Sed unicuiq; nostrûm data est gratia pro mensura doni Christi.

8 Quapropter dicit, Quum ascendisset in sublime, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus.

9 Cæterùm illud Ascendit, quid est nisi quòd etiam descenderat priùs in infimas partes terræ?

10 Qui descenderat, is est qui etiam ascendit longè supra omnes cælos, ut impleret omnia.

11 Is igitur dedit alios quidem, Apostolos: alios verò, Prophetas: alios autem, Evangelistas: alios autem, Pastores & Doctores:

12 Ad coagmentationem Sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi:

13 Donec evadamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum adultum ad mensuram staturæ pleni Christi:

14 Ut ne simus ampliùs pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ, per hominum aleam, per veteratoriam ad insidiosè fallendum versutiam.

V. 7. occasione expositorum argumentorum quæ omnia ab unitate ducta sunt, per prolepsin quandam digreditur ad commemorandum discrimina donorum Christi in fidelibus, ac nominatim in Ecclesia doctoribus: quorum finem esse monet unitatem fidei sive Ecclesiæ in fide. Primùm autem proponit, dona illa diversa proficiscià Christo, seu Christum eorum esse authorem: ℣. 7. deinde id probat ex verbis Davidis psal. 68. quæ in-

terpretatur de ascensione Christi in cælum, atque adeò ipsius exaltatione ac triumpho de hostibus (nempe mũdo, diabolo, peccato, morte) devictis: ℣.8. Tum exaltationem illam Christi amplificat antithesi antegressę humiliationis: ℣.9. & 10. Postea eandem exaltationem declarat ex effectis, videlicet donis variis Spiritus sancti quibus Christus instruxit Ecclesiæ doctores: quorum quinque genera & quasi ordines recensetur ℣.11. Illi sunt: 1. *Apostoli*, quorum officium erat passim apud quosvis prædicare Evangelium, & suâ prædicatione Ecclesias plantare. 2. *Prophetæ*, qui poterant ex revelatione Spiritus sancti dextrè interpretari Prophetarum vaticinia de regno Christi. 3. *Evangelistæ*, qui erant apostolorum comites, & unâ cum illis Evangelium passim prædicabant, ecclesiasq; ab apostolis plantatas alebant & conservabant. Talis erat Timotheus: quem Paulus ita affatur, At tu vigila in omnibus, perfer: opus perage evangelistæ, ministerii tui plenam fidem facito: 2. Timoth. 4. 5. Item Philippus ille in Actis, cui erant quatuor filiæ virgines prophetantes: Acto. 21. ℣. 8 9. 4. *Pastores* (qui aliâs presbyteri & episcopi, Tit. 1. ℣. 5. & 7. Item 1. Timoth. 3. 2.) certis ecclesiis præfecti erant: quas ædificarent docendo, admonendo, exhortando, corripiendo, consolando: talia enim officia viro Dei præscribuntur 2. Tim. 3. 16. ac nominatim Timotheo, ibidem cap. 4. versu 2. Tit 1. vers. 9. 5. *Doctores* nominantur qui dextrè possunt tradere fundamenta doctrinæ Christianæ, etsi non possint doctrinam transferre ad praxin exhortando, ut pastores. Nihil tamen vetat, quin unus idemque, & pastor & doctor sit. Confer locum 1. Cor. 12. ℣. 28. & 29. ubi tamen sub nomine doctorum pastores videntur comprehendi: quippe qui illic expressè non nominantur. Veruntamen inter munus docendi & munus exhortandi (quorum hoc pastoris proprium est) distinguit Paulus Rom. 12. ℣. 7. & 8.

V. 12. & 13. Finem illarum Ecclesiasticarum functionum ostendit, qui est unitas fidei; ut scilicet fideles per unam fidem coalescant in unum Christi corpus mysticum, & paulatim adolescant, hoc est, in fide seu cognitione filii Dei proficiant. Quam posteriorem sententiam

℣.14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0132
DFG

℣.14. illustrat antithesi ignorãtiæ & dubitationis. Ignorantiam significat metaphorâ ætatis puerilis: dubitationem verò & errorem metaphorâ naviculæ quæ ventis circumfertur: ubi etiam errorum causam procreantem exponit, videlicet versutiam falsorum doctorum.

15 Sed sincerè nos gerentes in charitate, prorsus adolescamus in eum qui est caput, *nempe* Christum:

16 Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus-agente pro mensura uniuscujusq; membri, incrementum capit corpori conveniens, ad suiipsius exstructionem per charitatem.

V.15. hortatur ad profectum in studio veritatis & charitatis: ubi repetit metaphoram ab adolescentia ductam, item à coalitione membrorum in unum corpus sub uno capite: cui capiti comparat Christum.

V.16. similitudinem illam à corpore humano ductam pluribus verbis exponit.

17 Hoc itaque dico, & obtestor per Dominum, ne amplius ambuletis, sicut reliqui Gentes ambulant in vanitate mentis suæ;

18 Obtenebratam cogitationem habentes, abalienati à vita Dei propter ignorantiam quæ est in ipsis per obdurationem cordis ipsorum.

19 Qui posteaquam dedoluerunt, sese dediderunt proteruiæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem.

20 Vos autem non ita didicistis Christum;

21 Si modò eum audistis, & de eo edocti estis, quomodo sit veritas in Jesu.

22 *Nempe* deponere vos *debere*, quod ad pristinam conversationem attinet, veterem illum

hominem qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur:

23 Renovari verò spiritu mentis vestræ,

24 Et induere novum illum hominem, qui secundùm Deum conditus est in justitia & sanctimonia vera.

V.17 & deinceps dehortatur Ephesios à pristinis ipsorum moribus, & contrà hortatur ad vitæ novitatem. Simul autem causas procreantes utriusq; vitæ exponit: ut ex contrariis causis contraria effecta concludat. quasi dicat: Sicut olim ignorātia Dei & obduratio cordis in vobis effecerūt omnis generis pravitatem & impuritatem: ita nunc cognitio Dei & regeneratio in vobis debent párere justitiam & sanctitatem.

25 Quapropter depositio mendacio, loquimini veritatem quisque proximo suo. nam sumus alii aliorum membra.

26 Irascimini, & ne peccate: sol ne occidat super exacerbatione vestra:

27 Neque date locum diabolo.

28 Qui furabatur, non ampliùs furetur: sed potiùs laboret, operando manibus quod bonum sit, ut possit impertiri cui opus fuerit.

29 Nullus sermo putris ex ore vestro egreditor: sed si quis est commodus ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus adferat.

30 Et ne tristitiâ afficite Spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemtionis:

31 Omnis amaritudo, & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia, tollatur ex vobis, cum omni malitia.

32 Sed estote alii in alios benigni, misericordes,

cordes, condonantes vobis mutuò *offensas*, sicut & Deus in Christo condonavit vobis.

V. 25. à generali illa exhortatione ad speciales descendit: ac primùm hortatur ad veritatē, id est, integritatem sive sinceritatem & candorem.

V. 26 dehortatur ab immoderata ira, atque ita hortatur ad facilitatem ignoscendi: ejusque hortationis ℣. 27. argumentum affert ab adjuncto periculo, seu ab eventu pernicioso.

V. 28. dehortatur à furando, & contrà hortatur ad laborandum & inopiæ proximi succurrendum.

V. 29. dehortatur à spurcitie seu obscœnitate sermonis, & contrà hortatur ad sermones qui serviant proximo ædificando. Tum isti dehortationi versu 30. argumentum annectit ab adjuncto periculo, vel eventu pernicioso.

V. 31. iterum dehortatur à temeraria ira & vitiis illi cognatis: contrà versu 32. hortatur ad facilitatem ignoscendi & virtutes cognatas, annexo argumento ab exemplo DEI.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Qua. ἧς. *pro* οἵας ἧς.

4 In unam spem ἐν μιᾷ ἐλπίδι. *pro* εἰς μίαν ἐλπίδα.

5 Unus dominus. *Subaudi* Est: *& similiter in seqq.*

6 Qui est super omnes &c. ὁ ἐπὶ πάντων. *Sic malò quàm, Qui est super omnia & per omnia. ut pronomen ὑμῖν in tertio membro appositum, per zeugma ad priora quoque membra accommodetur.*

8 Dedit dona hominib. ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. *Verba Hebræa psalmi 86 v. 19. sunt,* לקחת מתנות באדם *Accepisti dona in hominibus, id est, Accepisti dona & posuisti ea in hominibus. Ellipsis verbi conjugati: qualis Exodi 25. vers. 2. & cap. 27. versu 20.*

9 Quid est nisi. τί ἐστιν εἰ μὴ. *id est, Quidnam aliud innuit, vel, Quid aliud sibi vult, nisi.* Longè supra omnes cælos. *In annotationibus D Bezæ meritò sophistas vocat eos, qui negant supra cælos esse locum. quippe nituntur illi*

sophisticâ, nempe falsa, (quam ab Aristotele didicerunt) loc. definitione: quasi scilicet locus sit interior superficies corporis continentis. At si hoc esset: sequeretur, unum idemq; corpus uno eodemq; tempore, & in eodem loco permanere, & locum mutare: id quod est ἀδύνατον τῷ ἄτοπον. Ponamus nobis ob oculos arborem robustam in medio campo sitam, & undiq; ventis expositam. Sit aër circa illam tranquillus: tum locus illius arboris erit superficies interior aëris tranquilli ambientis. Oriatur ventus qui aërem illum ab arbore depellat, & alium appellat. Tum ex definitione proposita, arbor illa mutaverit locum: quippe unâ cum aëre sua interior superficies amota est per ventum: At qui certum est, arborem illam in eodem loco permansisse: quippe quum immota perstiterit, nec de loco in locum translata sit. Sic igitur simul & locum mutaverit & non mutaverit: quod manifestè absurdum est. Absurda ergo est definitio illa loci Aristotelica, unde istud absurdum consequitur. Quid igitur est locus? (dicat aliquis) quomodo definis? Locus, inquam, est spatium corporis contenti: quo nimirum corpus continetur, seu in quo est. Sic arbor manet in suo loco quum immota perstat, nec è suo spatio dimovetur: etiamsi aër circumfusus perpetuo fluxu superficiem suam interiorem mutet. Hanc loci definitionem tradit clarissimus vir & acutissimus philosophus, Jul. Cæsar Scaliger de subtilitat. ad Cardan. Exercit 5. sect 2 & 3.

ἐνδίκ. Ut impleret omnia. ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Hoc Sophistæ Ubiquitarii sic exponunt, quasi diceret Paulus: Ut impleret omnia loca suo corpore. Sed Apostolus se ipse declarat duobus versibus sequentibus. Ex quorum collatione perspicitur, Apostolum hoc velle dicere; Christum ascendisse in cælum, ut inde misso Spiritu sancto impleret illius donis omnia Ecclesiæ membra.

11 Is igitur dedit. ᾧ αὐτὸς ἔδωκε. Rectè hic exponitur ᾧ per ἕν. Planum est enim, declarationem subjungi præcedentis sententiæ.

14 Per hominum aleam. ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων. Hoc puto exponendum de aleatorum astutiis ac fraudibus: quum quod sequitur ἐν πανουργίᾳ &c. planum sit per appositionem adjungi, ad metaphoram nominis κυβεία explicandum.

15 Sin-

15 Sincerè nos gerentes in charitate. ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ. *vel, Sincerè colentes charitatem.* In eum qui est caput, *nempe* Christum. εἰς αὐτὸν ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ, ὁ χριστὸς. *Pro,* τὸν χριστόν. *Antiptosis, qualis supra cap. 2. v. 2.*

18 Abalienati. ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι. *nempe homines Gentiles, nondum ad Christum conversi. Præcessit enim* τὰ λοιπὰ ἔθνη, *quò referuntur participia* ἐσκοτισμένοι & ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι, *sensus, non vocis, ratione habitâ.* Per obdurationem. διὰ τὴν πώρωσιν. *vel, Propter obdurationem. ut sit appositio qualis sup. 14. in verbis* ἐν τῇ κυβείᾳ, ἐν πανουργίᾳ.

20 Vos autem non ita didicistis Christum. *Scilicet ut certatim patretis impuritatem.* Didicistis Christum. *id est, doctrinam de Christo.*

21 Eum. *id est, doctrinam de eo.* De eo. ἐν αὐτῷ. *Hebraismus: pro* ὡς ἐν αὐτῷ. *Sic infr. cap. 6. v. 20.* Sicut est veritas. καθώς ἐστιν ἀλήθεια. *Ego puto concinniorem esse verborum consequentiam & sententiarum connexionem, si adverbium* καθὼς *jungatur cum proximè præcedente verbo* ἐδιδάχθητε, *& notæ parentheseos tollantur. Sic enim videtur hic locus exponendus: Si modò edocti estis, quomodo sit veritas in Jesu (hoc est, quanam sit vera ratio vivendi in Jesu tanquam in capite, vel in fide Jesu) nempe deponere vos debere &c.*

22 Deponere vos *debere.* ἀποθέσθαι ὑμᾶς. *Subaudi* δεῖν. Qui corrumpitur. τὸν φθειρόμενον. *Notari videtur continuus actus.*

24 In justitia & sanctimonia vera ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. *Vel, Cum justitiâ &c. hoc est, ita ut præditus sit justitiâ & sanctimoniâ vera. In Græco est phrasis Hebræa, Sanctimonia veritatis.*

26 Irascimini & ne peccate. *id est, si contingat vos irasci, nolite iræ indulgere, ut aliquod gravius peccatum committatis. quanquam hoc ipsum satis grave peccatum est, iram alere ac simultates gerere. nam, ut Johannes ait, qui odit fratrem suum, homicida est.* Sol ne occidat &c. *id est, Nolite iram retinere usq; ad solis occasum, sed eam mox ex animo expellite.*

27 Diabolo. τῷ διαβόλῳ. *Hoc de Satana, quàm de ho-*

minibus calumniatoribus, intelligere malo. Diabolus enim iratorum & simultates gerentium animos veluti possidet, ad homicidium perpetrandum.

29 Putris. σαπρός. *Metaphora. Sicut enim gustatus abhorret à putribus cibis: sic aures atq; animus abhorrere debent à turpibus sermonibus.*

30 In diem redemtionis. εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. *Intelligat diem adventus Domini ad judicium: quo die credentes plenè liberabuntur. Confer Rom.8.v.23. Luc.21.v.28.*

OBSERVATIONES EX CAP. IV.

παιδ. Ex ℣.1. Officium fidelium esse, sanctè vivere. ad quod eos impellere debet consideratio vocationis gratuitæ. Scopus verò esse debet gloria Dei.

παιδ. Ex ℣.2.3.4.5.6. Officium fidelium est, ut inter se colant concordiam sanctam.

παιδ. Ex ℣.8.9.10. Admonemur hîc de recto usu donorum spiritualium. Illi qui parciùs donantur illis donis, non debent invidere cæteris, qui acceperunt largiùs. Nam Christus horum donorum author est. Contrà qui plura acceperunt, non contemnant alios; sed cogitent unde dona illa acceperint.

διδ. Ex ℣.11. In Ecclesia debet esse ordo distinctus ministrorum: Ergo fuerunt Anabaptistæ, qui prorumpunt in
ἑλ. munus docendi sine vocatione DEI.
ἐπ.

παιδ. Ex ℣.12.13. Doctores Verbi semper in conspectu habere debent scopum officii sui: qui est, ut omnia referant
παιδ. ad ædificationem Ecclesiæ. Deinde proficiendum est fidelibus semper in cognitione CHRISTI.

παιδ. Ex ℣.14. Magna solicitudine cavenda sunt sophismata falsorum doctorum.

παιδ. Ex ℣.15. Proficiendum nobis est non tantùm in fide, sed etiam in charitate.

παιδ. Ex ℣.17.18.19. Observemus primò qua causa moveri debeamus ad vitæ novitatem, nempe cōsideratione pristinæ miseriæ ex qua liberati sumus per Christum. Secūdò, qualis homo sit à natura, nempe corruptus à peccato; mens ejus est cæca, nihil rectè intelligit de Deo: cogitationes sunt obcæcatæ, ut non capiat & cernat lucem illam

διδ.

lam Dei. Tertiò, quid statuendum sit de ignorantia Dei quæ est in non-renatis. An ignorantia illa eos excusat? Non. quia tantùm norunt naturâ, ut Deum aliquo modo cognoscere possint; sed homines petulanter exstirguunt illam lucem, nihil quicquam sciunt de pietate, tantummodo volunt indulgere suis libidinibus. ἀπ. λύσ.

Præterea de gradibus quoque peccatorum hîc observandum est. Primus gradus est in indulgentia, cùm homines indulgent suis cupiditatibus & illis frena laxant, quæ illos in omne genus scelerum alliciunt. Deinde admoniti de turpitudine suarum actionum, admonitiones illas contemnunt, Postremò cùm ipsa conscientia illos pungit, Vide quid agis; nihilominus pergunt, nec unquam à peccatis desistunt. διδ.

Ex ℣. 22. 23. 24. Observa primùm partes pœnitentiæ seu conversionis ad Deum: quæ duæ sunt, depositio veteris hominis, & indutio novi, ut Paulus hic loquitur, Deinde cùm Paulus vocet cupiditates deceptrices, demus operam ut illis resistamus. Præterea cùm Paulus dicit, novum hominem conditum esse secundùm Deum in justitia & sanctitate veræ: notetur ibi prima pars imaginis Dei, nempe ut tota voluntas sit conformis voluntati Dei: altera, naturâ prior, est cognitio voluntatis Dei: de qua Coloss. 3. ℣. 10. διδ. παιδ. διδ.

Ex ℣. 25. Sicut unius ejusdemque corporis membra non cupiunt se mutuò fallere aut lædere, sed potiùs fideliter se mutuò juvant: sic Christiani quum sint unius corporis mystici membra, non debent se mutuò fallere aut lædere mendaciis. ἐπ.

Ex ℣. 26. & 27. Quum ea sit nostra infirmitas atque fragilitas, ut facilè nos ira occuper; cavere sedulò debemus ne iræ indulgeamus, aut iram retineamus. nam ira est pessimus consiliarius: & Diabolus incendium iræ inflat ad homicidia perpetrandum. Simile: Nemo potest impedire quo minùs aves caput suum transvolent: sed possumus eas abigere, ne in capite nostro nidulentur. Sic non possumus sæpe impedire quo minùs irritemur: sed per gratiam Dei possumus iræ resistere, ne radices in cordibus nostris agat. ἐπ.

διδ. Ex ℣.28. Labor est optimum adversus paupertatem, & proinde occasionem furandi, remedium.

παιδ. Ex ℣. 29. Qualis esse debeat sermo Christianorum. Confer Coloss. 4. ℣.6.

ἐπ. Ex ℣.30.31. Quum affectus & actiones charitati repugnantes tristitia afficiant Spiritum sanctum, sedulò igitur cavendi sunt.

παιδ. Ex ℣.32. Ad condonandum offensas proximo, moveri debemus exemplo Dei. Vide parabolam de servo debitore, Matth. 18. ℣.21. &c.

ANALYSIS CAP. V.

ESTOTE igitur imitatores Dei, ut filii dilecti:
2 Et ambulate in dilectione; sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.

VErsu 1. concludit argumentum in fine superioris capitis propositum: eique ℣.2. alterum ejusdem generis annectit, videlicet ab exemplo Christi: cujus erga nos dilectionem summam ostendit & amplificat ex effectis: simulq; mortem illius commendat ex utili effectu, videlicet reconciliatione Patris, ut ita obiter fidem Ephesiorum confirmet.

3 Scortatio verò & omnis impuritas aut avaritia ne nominator quidem inter vos, sicut decet sanctos:

4 Et obscœnitas, & stultiloquium, & scurrilitas: quæ non conveniunt; sed potiùs gratiarum actio.

5 Nam hoc nostis; nullum scortatorem, aut impurum, aut avarum (qui est idololatra) habere hæreditatem in regno Christi & Dei.

6 Nemo vos seducat inanibus sermonibus.

Pro-

Propter hæc enim venit ira Dei in filios contumaciæ.

7 Ne igitur estote consortes eorum.

8 Eratis enim olim tenebræ, nunc autem *estis* lux in Domino: ut filii lucis incedite:

9 (Porrò fructus Spiritus *situs* est in omni bonitate & justitia & veritate)

10 Probantes, quid sit acceptum Domino.

11 Et ne commercium habete cum operibus illis infrugiferis tenebrarum, sed potiùs etiam arguite.

12 Nam quæ occultè fiunt ab istis, turpe est vel dicere.

13 Sed omnia illa, dum à luce arguuntur, manifesta fiunt. quicquid enim manifestum fit, lux est.

14 Quapropter dicit *Scriptura*, Excitare qui dormis, & surge à mortuis; & illucescet tibi Christus.

15 Videte igitur quomodo accuratè ambuletis; non ut insipientes, sed ut sapientes:

16 Redimentes occasionem, quoniam dies mali sunt.

17 Propterea ne estote imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.

V. 3. & 4. dehortatur à fœdis libidinibus & vitiis cognatis, itemque ab avaritia & dicacitate: contraque hortatur ad gratiarum actionem.

V. 5. præcedentis dehortationis argumentum adjungit à pernicioso eventu. Avaritiæ etiam turpitudinem amplificat ab adjuncta idololatria.

V. 6. per prolepsin contrariæ opinioni occurrit, & argumentum propositum asseverat.

V.7. dehortationem institutam concludit: Contrà ℣. 8.9. & 10. hortatur eos ad studium pietatis, allato argumento à præsenti eorum statu tanquam causa impellente: quam ipsam amplificat antithesi pristini status. Olim, inquit, eratis tenebræ: at nunc estis lux in Domino. quasi dicat, Hoc tempus alios mores postulat.

V.11. rursum dehortatur à fœdis libidinibus: quas vocat opera tenebrarum: & contrà hortatur ad istiusmodi opera arguendum.

V.12. turpitudinem istorum operum amplificat collatione imparium: Turpe est, inquit, vel dicere quæ occultè fiunt à non regeneratis: quasi dicat, Quanto igitur turpius est illa facere?

V.13. utilitatem redargutionum ostēdit, atq; ita hortationem præcedentem ab effectu utili confirmat. nam luce verbi Dei detegitur istorum operum fœditas, ut pudor incutiatur iis qui ea perpetrant: qui pudor primus est ad emendationem ac resipiscentiam gradus.

V.14. institutam hortationem confirmat testimonio Prophetico; quod videtur sumtum, licet nō ad verbum, ex Esa. 60. ℣. 1. & 2.

V.15. ex testimonio illo prophetico hortationem deducit, quam jam antè proposuerat ℣. 9.

V.16. hortationi argumentum annectit à circumstantia temporum seu ab adjuncto periculo temporum: quia dies mali sint, hoc est, quia periculum immineat piis à corruptelis mundi.

V.17. ipsam hortationem ex argumento allato deducit; & simul regulam vitæ ostendit, nempe voluntatem Dei in Lege patefactam.

18 Et ne inebriamini vino (in quo luxus est) sed implemini Spiritu:

19 Loquentes inter vos mutuò psalmis & hymnis & cantionibus spiritualibus, canentes ac psallentes in corde vestro, Domino:

20 Gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.

V.18.

V.18.19.20. dehortatur ab ebrietate: & contrà hortatur ad lætitiam spiritualem & cantiones ad laudem DEI pertinentes.

21 Subjicientes vos alii aliis, in timore Dei.

Hoc versu hortatur ad mutuam subjectionem: quæ videtur esse propositio generalis sequentium hortationum. nam deinceps in specie ad debitam subjectionem hortabitur primùm uxores, deinde liberos, postremò servos. Sed hanc subjectionem erga homines circumscribit & limitat timore Dei: à quo si homines nobis ꝑfecti abducere nos velint, tunc usurpandum erit illud Petri in Actis, Oportet obedire Deo potiùs quàm hominibus.

22 Uxores, propriis viris subjicite vos, ut Domino:

23 Quoniã vir est caput uxoris, ut & Christus est caput Ecclesiæ: & is est qui salutem dat corpori.

24 Itaque sicut Ecclesia sese subjicit Christo, ita & uxores suis viris *sese subjiciunto* in omnibus.

Hic incipiunt hortationes speciales. Ac primùm hortatur uxores ad subjectionem erga maritos: cui hortationi argumentum annexit ab exemplo subjectionis Ecclesiæ erga Christum: quod exemplum ℣.23. declarat, quatenus similitudinem inter maritum & Christum apertè exponit. Ubi simul continetur argumentum à relatis: Nam si maritus uxori præest tanquam caput: consequens est, uxorem marito debere esse subjectam instar corporis. Deinde addit alterum argumentum, quod sumtum est ab effectu utili: quia sicut Christus salutem dat Ecclesiæ tanquam corpori sibi subjecto: ita etiam maritus suo modo salutem dat sibi subjectæ uxori, quatenus eam tuetur ac defendit.

V.24. ex isto argumento ab exemplo Ecclesiæ sumto institutam hortationem concludit, annexâ amplificatione ab adjuncto numero earum rerum in quibus uxores maritis subjectæ esse debeant, nempe IN OMNIBUS

nimirum licitis & à Deo concessis rebus. Semper enim tenenda est illa exceptio in generali hortatione præmissa, ut alii aliis subjecti sint in timore Dei, hoc est, quatenus per Dei mandatum licet.

25 Viri, diligite uxores vestras; sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea:

26 Ut eam sanctificaret, postquam *eam* purgasset lavacro aquæ per verbum:

27 Ut sisteret eam sibi gloriosam, *id est*, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi; sed ut esset sancta & vitii expers.

28 Ita debent viri diligere suas uxores, ut sua ipsorum corpora. qui diligit suam uxorem, seipsum diligit.

29 Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit; imò enutrit ac fovet eam, sicut & Dominus Ecclesiam:

30 Quoniam membra sumus corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus.

31 Propterea derelinquet homo patrem suum ac matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & qui duo *erant*, fient una caro.

32 Mysterium hoc magnum est: loquor autem de Christo & de Ecclesia.

33 Veruntamen & vos singuli, suam quisq; uxorem ita diligito ut seipsum: uxor autem *videto* ut revereatur virum.

Deinceps usque ad finem capitis continetur secunda specialis exhortatio, quâ vicissim maritos hortatur ut uxores suas diligant. Quam hortationem primùm proponit versu 25. deinde argumentum adjungit ab exemplo,

plo, videlicet ab exemplo dilectionis Christi erga Ecclesiam: quam dilectionem amplificat & probat ex effectis, nempe ex factis Christi quæ in gratiam Ecclesiæ perfecit, videlicet quòd se pro ea exposuit in mortem, ut peccatis pollutam purgaret. Purgat autem duobus modis: primùm impetrando remissionem peccatorum merito suæ mortis: quam remissionem credentibus testatur per Verbum & Sacramenta: de hac purgatione loquitur Apostolus ℣.26. Deinde purgat eam efficaciâ sui Spiritus, sanctificando seu renovando corda credentium indies magis ac magis, donec aliquando penitus perpurget, id quod fiet die resurrectionis: & de hac purgatione loquitur partim ℣.26. partim ℣.27.

V.28. & deinceps addit alterum argumentum institutæ hortationis, quod & ipsum à comparatis sumtum est: uxorem enim comparat mariti corpori seu carni: & inde sic argumentatur:

Si unusquisque diligit suum ipsius corpus sive carnem seu denique seipsum, debet etiam diligere uxorem suam, v. 28. Ratio: Nam uxor est una caro cum marito, ut testatur Moses. v. 31.

At unusquisque diligit suam ipsius carnem. v. 29.

Ergo unusquisque etiam diligat suam uxorem. v. 33.

Assumtionem illustrat exemplo dilectionis Christi erga Ecclesiam ℣.29. Et mox ℣.30. rationem illius exempli declarat: quoniam scilicet Ecclesia sit una caro cum Christo, sicut nimirum uxor est una caro cum marito. Quam Christi cum Ecclesia arctissimam conjunctionem amplificat ab adjuncto mysterio per exclamationem: admonens, conjunctionem illam esse arcanam, id est, rationi humanæ ignotam, sed solummodo notam fidei, quippe quâ conjunctio illa constat: fide enim Christo tanquam membra capiti, tanquam palmites viti inserimur, & tanquam sponsa sponso adhæremus. Postremò conclusionem amplificat à comparatione parium in relatis, quatenus vicissim hortatur uxores ut revereantur maritos. vers. ultimo.

* * *

SCHOLIA IN CAP. V.

2 Ambulate in dilectione. περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ. *Sic malo, quàm, Ambulate in charitate, quia mox sequitur verbum ἠγάπησε, dilexit. Apparet autem, Apostolum delectatum fuisse istâ vocum assonantiâ, quam παρήχησιν & παρονομασίαν Graci Rhetores appellitant.*

5 Nullum scortatorem habere. ὅτι πᾶς πόρνος οὐκ ἔχει. *Ad verb. Omnem scortatorem non habere. Hebraïs.*

6 In filios contumaciæ. ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. *Id est, in homines contumaces. Hebraïsmus: qualis suprà 2 v. 2.*

8 Ut filii lucis *Id est, Ergo ut filii lucis, &c. Ellipsis conjunctionis illativæ. Porrò* Filii lucis *per Hebraïsmum dicuntur homines fruentes luce: hoc est, præditi cognitione Dei & destinati ad fruendum gloriâ cœlesti.*

9 Porrò fructus. ὁ δὲ καρπὸς. *Videtur δὲ positum pro δὲ. nam obiter declarat, quomodo ambulaturi sint ut filii lucis: nempe si proferant fructus Spiritus.*

12 Ab istis. *Nempe ethnicis, Spiritu Dei carentibus.* Vel dicere. καὶ λέγειν. *quasi dicat,* Quanto magis, *facere?*

13 Sed omnia illa. τὰ δὲ πάντα. *Nempe opera illa infrugifera tenebrarum, sup. v 11.* Dum à luce arguuntur, manifesta fiunt. ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται. *Sic puto distinguendum: nempe ut hæc verba ὑπὸ τοῦ φωτὸς, connectantur cum participio ἐλεγχόμενα, & post φωτὸς apponatur incisi nota. Hanc verborum collocationem & præcedens sententia & sequens confirmat. Dixerat, homines profanos occulta quædam scelera committere: nunc per antithesin monet, quomodo illa reddantur manifesta: nempe dum arguuntur à luce verbi Dei. Quam sententiam confirmat sententiâ generali de natura lucis, inquiens: Quicquid enim manifestum fit, lux est. id est, à luce manifestum fit. Nam πᾶν cohærere cum φανερούμενον, tanquam adjectivum cum substantivo, planum est ex collocatione. Deinde quum verbum φανερῶται præcesserit in voce passiva, non est probabile, continenter repeti in voce media & significatione activa. Deniq; Lux est, pro A luce fit: metonymia est non adeò insolens, saltem apud Paulum, qui dicit Rom. 7. v. 7. Lex peccatum est? Pro, Peccatúmne gignit Lex? & alia id genus.*

14 Di-

14 Dicit Scriptura. λέγει. *Scil.* ἡ γραφὴ. *Similis ellipsis est Jac. 4. 6.*

16 Redimentes. ἐξαγοραζόμενοι. *Metaphora à mercatoribus: qui diligenter observatâ occasione, emunt dum forum est.* Occasionem. *nempe bene agendi.*

18 In quo. ἐν ᾧ. *Vel, Qua in re. nempe* ἐν τῷ μεθύσκεσθε: *In eo quòd quis inebriatur.* Luxus. ἀσωτία. *Videtur vertendum,* Mores dissoluti. *nam asoti sunt qui vulgò dissoluti nominantur. Et in hunc sensum Lutherus vertit,* ein unordig wesen, *quasi dicas, inordinata conversatio: quod ipsum adjectâ glossâ de dissolutis ebriosorum moribus exponit.* Spiritu ἐν πνεύματι. *Praepositio redundat ex consuetudine Hebraeorum.*

19 Domino. *Id est, ad laudem Domini.*

22 Ut Domino. *Sic infr. c. 6. v. 5.*

23 Est caput. *Id est, veluti caput. Enuntiatum metaphoricum. Sic mox.* Et is est. καὶ αὐτός ἐστι. *Videtur vertendum,* Nam is est. *ut conjunctio copulativa more Hebraeorum posita sit pro rationali. His enim verbis ratio exponitur, cur Christus dicatur caput Ecclesiae: quia scilicet et salutem dat, sicut caput corpori. Caput enim pro reliquo corpore tuendo sollicitum est.*

26 Sanctificaret. ἁγιάσῃ. *Id est, renovaret ad studium sanctitatis.* Postquam purgasset lavacro aquae per Verbum. καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι. *Id est, sanguine suo in cruce effuso, de quo testantur Baptismus & Evangelium. nam sanguis Christi purgat nos ab omni peccato: 1. Johan. 1.*

27 Ut sisteret. ἵνα παραστήσῃ. *Scilicet olim in caelo, ubi peragentur nuptiae Agni. Cant. 2. v. 17 & c. 4. v. 6. Apoc. 19. v. 6. 7.* Non habentē maculam, &c. μὴ ἔχουσαν σπίλον, &c. *Videtur Apostolus haec verba mutuari à Salomone è Cant. 4. v. 7. ubi Christus sponsus Ecclesiam sponsam affatur his verbis: Tota pulcra es amica mea, & vitiū nullum est in te.* Vitii expers. ἄμωμος. *Sic malo quàm, Inculpata. quia judico, Apostolum respicere ad locum modo citatum è Cantico, ubi exstat nomen* מום *mûm, id est, vitium: unde ortū Graecorum nomen* μῶμος, *idem significans: atque hinc nomen compositum* ἄμωμος, *vitii expers. Similiter accipitur hac*

vox 1. Pet. 1. v. 19. ubi nominatur Christus ἀμνὸς ἄμωμος καὶ ἄσπιλος, agnus vitio carens & macula. Nomen autem μῶμος, tanquam idem significans, cum nomine σπῖλος conjunctum exstat 2. Pet. 2. 13.

30 Corporis ejus. *Nempe mystici corporis Christi: ex collatione v. 23.*

32 De Christo. *εἰς Χριστὸν. vel, Loquor autem hoc, respiciens ad Christum, &c.*

33 Veruntamen. *πλὴν. quasi dicat, Verùm ut ad institutam exhortationem revertar.*

OBSERVATIONES EX CAP. V.

πανδ. Ex ℣. 1. & 2. Quibus causis moveri debeamus ad diligendum proximos, nempe exemplo dilectionis Dei Patris & Christi erga nos. Confer Matth. 5. ℣. 45.

διδ. Ex ℣. 2. Quomodo peccata nostra expiata sint, nosque Deo reconciliati, videlicet sacrificio mortis Christi.

πανδ. Ex ℣. 3. Sancti sumus, videlicet sanctificati sanguine & Spiritu Christi: Ergo ab omni impuritate tum corporis tum animi sedulò nobis caveamus.

πανδ. Ex ℣. 4. Qualis esse debeat sermo Christianorum. Confer suprà cap. 4. ℣. 29.

διδ. Ex ℣. 5. Duplicē esse idololatriam, aliam interiorem, quæ est cordis, & vetatur primo præcepto: aliam exteriorem, & est corporis, quæ vetatur secundo præcepto.

ἐπ. Ex ℣. 6. Caveamus sedulò, ne seducamur sermonibus Epicuræorum irridētium comminationes Verbi Dei, ut quum dicunt: Der Teufel ist nicht so schwartz wie man jhn mahlet. item, Die Hell ist nicht so heiß/wie die Pfaffen sagē. item, Der himel ist nicht für die gänse gemacht. Antwort: Er ist auch nicht für die verächter des Worts Gottes gemacht/sonder die Hell ist für dieselbē gemacht. Tales sermones vocantur hîc inanes, quia impii per illos sibi falsò promittunt gratiam Dei. His opponit Apostolus certissimum eventum comminationum divinarum.

διδ. Ex ℣. 8. Qualis sit homo à natura: nempe mentem habet tenebris involutam, imò homo est ipsæ tenebræ. Johan. 1. ℣. 5.

πανδ. Ex ℣. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Quum simus filii lucis,

lucis, hoc est, divinitus illustrati vera & salvifica cognitione Dei; vivamus igitur ut filii lucis, studendo scilicet perficere voluntatem Dei, quam ex verbo ipsius per gratiam Spiritus sancti cognovimus.

Ex ℣.19. Qualis esse debeat cantus Ecclesiasticus. πανδ.

1. Debet concinere tota Ecclesia, ita ut res habeat speciem alicujus colloquii: Hinc apparet, malè agi in Papatu, ubi cantus ab illis quos vocāt clericos peragitur, non autem concentu plebis. ἐπ.

2. Cantus debet proficisci ex affectu cordis. Non n. satis est ore canere, sicut in Papatu boant potiùs quàm canūt. πνευθ. ἐπ.

3. Præterea finis cantus est, non ut aures nostræ oblectentur: sed gloria Dei, & proximi ac nostri ipsorum ædificatio spectanda est. ἐπ. πανθ.

Ex ℣.20. Quicquid nobis accidat, sive bonum, sive malum sit, semper Deo gratias agere debemus. Sic Job: Sit nomen Domini benedictum. πανδ.

Ex ℣.21.22.23.24.33. Ordo œconomicus & politicus, ubi alii aliis subjecti sunt, non est violandus. Sed obedientia superioribus præstanda est cum timore Dei, hoc est ita ut timeamus offendere Deum in illorum gratiam. ἐπ. πανδ.

Ex ℣.23.30.32. Unio inter Ecclesiam & Christum arctissima est, sed spiritualis: qua scilicet virtute Spiritus sancti per fidem cohærent fideles cum Christo ut membra cum capite, ut uxor cum marito. Sicut caput communicat membris per nervos sensum ac motum, & sicut maritus uxori communicat sua bona: ita Christus fidelibus per Spiritum sanctum communicat cognitionem & timorem Dei. Simile: Eva orta fuit ex latere Adæ: sic Ecclesia quasi orta fuit ex latere Christi pendentis in cruce: quum ex illo lanceâ perfosso effluxit aqua & sanguis ad plenè testandum ipsius mortem. Morte autem suâ Christus Ecclesiam sibi acquisivit. Dissimile: Eva orta fuit ex corpore Adæ: fideles autem inseruntur corpori Christi, vel potiùs ipsi Christo. διοθ.

Ex ℣.26. Cur tribuitur Baptismo & verbo Evangelii, quod proprium est sanguinis & spiritus Christi? Quia testimonia illa certa & infallibilia sunt: ita ut qui illis credit, res testatas certò possideat. ἀπ. λύσ.

Ex ℣.32. Inepti sunt Papistæ, qui hinc cudunt Sacramentum. Quippe nomen μυστήριον hic non significat Sacramentum, id est, signum gratiæ Dei, à Deo mandatum Ecclesiæ: quo sensu Sacramenta nominantur Baptismus & sacra Cœna: sed significat rem arcanam seu rationi humanæ ignotam. Deinde non est hîc sermo de conjugio carnali seu corporali, sed de spirituali quod est inter Christum & Ecclesiam: sicut Apostolus apertè affirmat. Adhæc iidem inconstantes sunt: ut qui conjugium aliàs vocant statum carnalem, in quo nemo possit Deo placere, juxta illud Pauli scilicet ad Romanos: Qui sunt in carne, Deo placere non possunt: cap. 8. ℣. 8. At quomodo DEO displiceat conjugium, si est Sacramentum, hoc est, gratiæ Dei sacrum signum?

ANALYSIS CAP. VI.

LIberi, auscultate in Domino parentibus vestris: id enim est justum:

2 Honora patrem tuum & matrem: quod est præceptum primum cum promissione, *nempe*

3 Ut bene tibi sit, & sis longævus super terram.

HActenus uno quasi jugo personarum ad vitam œconomicam pertinentium officia præscripsit, nempe uxoribus & maritis: deinceps sequuntur duo alia juga, videlicet liberorum & parentum, servorum & dominorum: quibus & ipsis officia præscribit. Ac primùm liberos hortatur ut parentibus obediant. Hanc tamen obedientiam limitat certâ exceptione, quatenus nimirum liceat per timorem Domini: cui plus obediendum est. Argumentum hortationis primum est ab adjuncta justitia, quòd obedientia hæc justa sit: ℣.1 Porrò hanc obedientiam esse justam, probat ab adjuncto Dei mandato: quippe quòd hanc obedientiam DEUS mandaverit. Istud mandatum recitat ℣.2. Tum annectit argumẽtum secundum, quod sumtum est ab effectu utili: quo-

quoniam ista obedientia secum afferat benedictionem Dei seu felicitatem, ac nominatim vitam longævam. quod ipsum probat testimonio promissionis Dei, quæ isti mandato est annexa: quo ipso nomine istud mandatum cæteris anteponit. ℣. 2. & 3. Quòd autem dicit, hoc esse præceptum primum cum promissione, ad secundam Legis tabulam referendum est. nam primæ tabulæ præceptum secundum, ipsam quoq; promissionem adjunctam habet. quam tamen nonnulli ad universam Legem extendunt. sed in promtu est ratio cur illam promissionem Deus secundo præcepto peculiariter adiecerit, sicut & oppositam comminationem: nimirum ad detestabilem reddendam idololatriam, ut quæ sit apostasia à Deo.

4 Et *vos* patres, ne provocate ad iram liberos vestros, sed enutrite eos cum institutione & commonefactione Domini.

Hoc versu dehortatur patres ab immoderato rigore erga liberos, ac nominatim ne eos ad iram provocent: & contrà hortatur ut eos educẽt cum institutione & commonefactione Domini. hoc est, ut eos instituant atque eruditant in doctrina Christiana, & subinde piis commonefactionibus ad officia pietatis forment.

5 Servi, auscultate iis qui *vestri* domini sunt secundùm carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, ut Christo.

6 Non ad oculum servientes, ut qui hominibus placere student: sed ut servi Christi, facientes ex animo quæ vult Deus.

7 Cum benevolentia servientes ut Domino, & non hominibus.

8 Ut qui illud sciatis, unumquemque, quicquid fecerit boni, hoc reportaturum à Domino; sive servus fuerit, sive liber.

V. 5. hortatur servos ad obedientiam erga dominos: quam obedientiam declarat ex adjunctis, ut sunt 1. timor ac tremor, ut scilicet sollicitè caveant ne domi-

nos suos offendant. 2. simplicitas cordis, id est, sinceritas, aliena ab omni simulatione & adulatione: quam sinceritatem ℣. 6. illustrat à contrario, dehortans eos ne ad oculum serviant, ut qui hominibus placere studeant: deinde adjunctum illud sinceritatis repetit, hortans eos ut officium faciant ex animo. Tum ℣. 7. annectit tertium adjunctum, videlicet benevolentiam erga dominos. Cæterùm argumenta hortationis passim inserit: ac primò omnium removet obstaculum seu causam corrumpentem ejus quam postulat obedientiæ. Poterant enim cogitare, se per Christum esse liberatos, ac proinde iniquum esse ut adhuc serviant. Huic cogitationi occurrit Apostolus, quum dominos vocat dominos secundùm carnem. ubi est tacita antithesis. quasi dicat, Liberati quidem estis per Christum, sed secundùm spiritum tantùm, hoc est, secundùm animam, à servitute scilicet peccati & mortis. At non estis liberati secundùm corpus, quātum quidem ad servitutem illam humanam in hac vita attinet. Primum argumentum hortationis sumit ab adjuncta voluntate Dei patris & Christi, ℣. 5. 6. 7. Alterum argumentum sumit ab eventu utili: quia reportaturi sint à Domino obedientiæ suæ præmium. Pro hoc argumento ponit ejus probationem, sumtam à genere, inquiens: Unusquisque sive servus sive liber, quicquid fecerit boni, reportaturus est à Domino, versu 8. Hinc jam efficitur: Ergo & servi obedientiæ suæ erga dominos præmium reportaturi sunt.

9 Et vos domini eadem facite erga illos, remissis minis: scientes, vestrum etiam ipsorum dominum esse in cælis, nec personæ respectum esse apud eum.

Hoc versu hortatur dominos ad æquitatem & humanitatem erga servos, & contrà dehortatur à minis & austeritate sive asperitate ac duritie. Quum autem ait, *Eadem facite erga illos*, non vult ut domini servis obediant: hoc enim esset naturam rerum & ordinationem Dei invertere: sed pronomen illud refert ad id quod proximè dixerat, *Unusquisq; quicquid fecerit boni.* Hoc ergo dicit:

Facite

Facite eadem erga illos, scilicet quæ bona, id est, recta & justa sunt. Justum est autem, quum servi homines sint æquè ac domini, ut domini eos humaniter tractent, non autem ut bestias: sicuti tunc apud ethnicos moris erat. Argumentum hujus hortationis affert à comparatis, videlicet à pari: cujus hæc est vis atque sententia. Velletis Deum erga vos se præbere clementem, mitem ac benignum: Ergo vos quoque erga servos vestros vos præbete clementes, mites ac benignos. Ratio à pari: quia DEUS tam est vester dominus, quàm vos estis domini vestrorum servorum. Conclusionem amplificat prolepsi. nam poterant cogitare domini, se esse conditione excellentiore quàm sint ipsorum servi: ac proinde licere sibi servos tractare pro suo arbitrio ac libitu. Huic cogitationi occurrit Apostolus, quum negat apud DEUM esse προσωπολημψιαν, id est, personæ vel potiùs faciei acceptionem. quibus verbis significat, Deum nihil morari istam dominorum præ servis excellentiam: ut scilicet propterea eis permittat injustitiam erga servos: sed tam puniturum eos propter injustitiam quàm servos, itemque servos pios non minùs ei charos esse quàm dominos.

10 Quod superest, fratres mei, corroborate vos per Dominum, & per forte ipsius robur.

11 Induite universam illam armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

12 Quoniam non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi principes, *id est*, tenebrarum seculi hujus, adversus spiritales malitias *quæ sunt* in sublimi.

13 Propterea assumite universam illam armaturam Dei, ut possitis resistere tempore adverso, & omnibus confectis stare.

14 State igitur lumbis circumcinctis veritate, & induti thorace justitiæ:

15 Calceatis pedibus præparatione Evangelii pacis.

16 Insuper assumto scuto fidei, quo possitis omnia jacula Mali illius ignita exstinguere.

17 Galeam etiam salutis recipite, & gladium Spiritus, hoc est verbum Dei.

18 Omni prece & supplicatione precantes omni tempore per Spiritum, & illi ipsi rei invigilantes cum omni perseverantia & supplicatione pro omnibus sanctis.

Ver. 10. transit ad aliud exhortationis genus, quâ Ephesios hortatur ad constãtiam in fide. Argumentum affert ab adjuncta necessitate, itemque ab adjuncto periculo: quia scilicet constantia fidei necessaria sit ad vincendum diabolum: & quia periculum à diabolo gravissimum fidelibus immineat, quod non nisi fide superari possit. Simul autem docet, quibus adminiculis seu mediis uti debeant ad fidem alendam atq; conservandam, & diabolum per illam vincendum. Primò omnium ipsam exhortationem proponit ℣. 10. deinde adminicula illa sive arma indicat ℣. 11. ibidemque argumentum hortationis ab adjuncta necessitate, itemque ab adjuncto periculo, annectit. Tum ℣. 12. periculum illud amplificat descriptione hostium, nempe diabolorum: quos describit partim antithesi hominum tanquam minus potentium, unde eos vocat carnem & sanguinem: partim ab adjuncta maxima potentia & malitia.

V. 13. ex illa periculi commemoratione ipsam exhortationem deducit, & simul docet, quibus armis contra diabolos sit pugnandum. Quæ arma deinceps speciatim enumerat per quinq; versus, quibus totam armaturam (πανοπλίαν) militis Christiani, id est hominis fidelis, admodum graphicè depingit. Ubi notandum, non esse ita scrupulosè aut curiosè similitudinis rationem in singulis partibus investigandã: verbi gratiâ, cur veritatem cingulo militari seu baltheo comparet, justitiam thoraci, & non contrà. Neque enim Apostolo propositum fuit, ista

ita

ita subtiliter inter se accõmodare & ad vivum (ut ajunt) resecare: sed in genere docere voluit, quibusnam virtutibus vel potiùs donis Spiritus S. opus habeant Christiani, ut contra insidias diaboli firmi perstent, & in tentationibus victoriam obtineant. Sed cõsideremus arma ista singula ordine, sicut ab Apostolo enumerantur. Ea sunt:

1	Veritas	4	Fides.
2	Justitia	5	Verbum Dei.
3	Evangelium	6	Preces.

1. Veritatis vocabulo intelligit conscientiæ integritatem: & hanc comparat cingulo militari seu baltheo.

2. Justitiæ nomine intelligit piam & sanctam vitam: & hanc comparat thoraci.

3. Evangelium (quod vel ab objecto vel ab effectu vocat Evangelium pacis: quia scilicet de pace seu reconciliatione nostra cum Deo testatur, & quia Spiritus sanctus per ipsum pacatas reddit nostras conscientias) hoc igitur comparat calceis.

4. Fidem, nempe quâ credimus in Christum, comparat scuto: & hoc illustrat à relatis. Scutum enim refertur ad jacula quæ scuto excipiũtur. Jacula autem illa quæ excipiẽda sunt fide, sunt tentationes diaboli: quas vocat jacula ignita τοῦ πονηροῦ, mali seu nequam ac veteratoris illius: & in metaphora manens, illa non excipi, sed (quod plus est) exstingui fide dicit, ne scilicet fidelem lædant.

5. Verbum Dei (quo nomine & promissiones & mãdata omnis generis complectitur) comparat partim galeæ, partim gladio: innuens, verbum Dei utile esse tum ad nos muniendum, tum ad hostem diabolum propulsandum. unde vocat galeam salutaris sive salutis, τοῦ σωτηρίου, eò quòd salutem nobis præstet: & gladium spiritus, hoc est, quo spiritus sive animus noster utitur ad diabolum propulsandum. Hoc genere armorum quàm dextrè usus sit antesignanus & dux noster Christus, vide Matth. 4. Quippe contra primam diaboli tentationem protulit promissionem; Scriptum est, inquiens, Non è solo pane vivet homo &c. Contra secundam vero & tertiam tentationem protulit mandata Dei: nempe, Non tentabis Dominum Deum tuum: item Dominum De-

um tuum adorabis. Et his quidem armis non solùm se defendit, sed etiam Satanam propulsavit.

6. Postremum genus armorum facit preces: & has nudè absque comparatione proponit: amplificatas tamen partim ex adjuncto tempore, partim ex causa procreante Spiritu sancto, partim ex adjuncta vigilantia & perseverantia, partim deniq; à subjecto occupante; ubi hortatur ut precentur non solùm pro seipsis, sed etiam pro omnibus sanctis, id est, fidelibus.

18 Et pro me, ut mihi detur sermo ad apertionem oris mei cum libertate, ut notum faciam mysterium Evangelii:

20 Cujus causâ legatione fungor in catena: ut, *inquam*, de eo liberè loquar, sicut oportet me loqui.

V. 19. à genere ad speciem transiens, petit nominatim ut precentur pro ipso, ut possit liberè & perspicuè & convenienter prædicare Evangelium: quod ipsum V. 20. eis commendat à suo testimonio & præclaro judicio, quippe quod tanti faciat ut ejus causâ nõ recuset catenâ vinciri, atq; adeò in ipsa catena illud prædicet. Commendat etiam idem ab adjuncta dignitate; quum ait se illud prædicando legatione fungi, nempe legatione sibi à Deo ipso commissa. Videri autem possit in fine versiculi 19 expunctum esse nomen τοῦ χριστοῦ: quod si adesset, tũc commodiùs cohæreret initium versiculi 20. ὑπὲρ ᾧ, sc. χριστοῦ. Sic enim loquitur 2. Cor. 5. 20. ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύομεν, Pro Christo sive nomine Christi legatione fungimur.

21 Ut autem sciatis & vos res meas, & quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charus frater & fidus minister in Domino:

22 Quem misi ad vos ob id ipsum, ut cognoscatis res nostras, & consoletur corda vestra.

Causam indicat cur miserit ad eos Tychicũ: fines autem hujus missionis duos exponit: 1. ut ex illo cognoscãt statum rerũ ipsius. 2. ut ab eo confirmentur in fide. Quo nomi-

nomine etiam Tychicum eis commendat, à sua erga ipsum charitate, & ipsius fidelitate in ministerio obeũdo. Videtur autẽ de ministerio Verbi loqui: quia mox testatur se illum misisse ad consolandum corda Ephesiorum.

23 Pax *sit vobis* fratribus & charitas cum fide à Deo Patre & Domino Jesu Christo.

24 Gratia *sit* cum omnibus qui diligũt Dominum nostrum Jesum Christum, cum incorruptione, Amen.

Epistolam salutatione Apostolica concludit: quâ eis optat primùm pacem, id est, omne genus prosperitatis: deinde charitatem & fidem, id est incrementum in charitate & fide: tum gratiam, id est favorem ac benevolentiam Dei: postremò incorruptibilitatem, id est, immortalitatem & gloriam cælestem in vita æterna.

SCHOLIA IN CAP. VI.

4 Ne provocate ad iram. μὴ παροργίζετε. *vel, ne irritate.* Cum institutione. ἐν παιδείᾳ. *Id est, adhibitâ institutione.* ἐν *pro* σὺν *vel* μετὰ *Nomen autem* παιδεία *est Latinis educatio, institutio, castigatio. Germanicè* zucht.

8 Unumquemque quicquid fecerit. ὃ ἐάν τι ἕκαστος ποιήσῃ. *pro* ὃ ἕκαστος ἂν ποιήσῃ *vel,* ποιήσῃ ἄν. *Posito* ἐὰν *pro* ἄν, *& trajecto: & redundante* τι.

9 Personæ respectum. προσωπολημψία. *vel, Faciei acceptionem. de qua phrasi alibi copiosè diximus.*

12 Mundi principes, *id est,* tenebrarum seculi hujus. τὰς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους αἰῶνος τούτου. *Videtur vertendum, Principes tenebrosos seculi hujus.* Spiritales malitias. τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας. *Suspicor* πνεύματικὰ *falsò scriptum esse pro* πνεύματα, *ac proinde vertendum, Spiritus malignos,* qui sunt, &c. In sublimi. ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *Fortasse legendum* ὑπουρανίοις. *Subaudi,* τόποις: *id est, in cælestibus vel subcælestibus locis. Intelligit aërem. Confer suprà cap. 2. versu 2.*

17 Galeam salutis & gladium Spiritus. τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος. *Sicut antea vocavit thoracem justitiæ & scutum fidei.* Ut *genitivi*

non habeant vim epithetorum Hebraicam; sed vim appositionis, quâ nomen metaphoricum per proprium declaratur. quasi dicat, Thorax qui est justitia: scutum quod est fides: galea qua est salus. Gladius tamen Spiritus paulò aliter dici videtur, nempe quo utitur Spiritus, id est, animus hominis, vel per quem efficax est Spiritus sanctus. Hoc est, ὃ ἐστι. *Quod est. nempe, Qui gladius est. Pro,* ἥτις ἐστι. *Relativum pronomen genere consentit cum consequente nomine, non cum antecedente.*

18 Per spiritum. ἐν πνεύματι. *vel, In spiritu. ut* Joan. 4. 23. *Illi ipsi rei. nempe precibus. nam ut ad verbum Dei sup. v. referatur, mihi quidem contortiùs videtur. Nam quod additur* cum omni supplicatione, *non est* ἀδολεχία *putanda: quoniam non simpliciter dicitur, supplicatione: sed, supplicatione pro omnibus sanctis.*

20 De eo. ἐν αὐτῷ. *pro* ἐπ' αὐτῷ. *Sic supr. c. 4. v. 21.*

24 Cum incorruptione. ἐν ἀφθαρσίᾳ. *Ev pro* σύν.

OBSERVATIONES EX CAP. VI.

παιδ. Ex ℣. 1. Quatenus liberi obedire debeant parentibus, nempe in Domino, hoc est, quatenus obediendo non offendunt Deum: offendunt autem, quum obediunt mandatis cum verbo Dei pugnantibus.

παιδ. Ex ℣. 1. 2. 3. Quibus causis liberi moveri debeant ad convenientem obedientiam parentibus præstandam.

παιδ. Ex ℣. 4. Quomodo parentes debeant educare liberos.

παιδ. Ex ℣. 5. 6. 7. 8. Quomodo servi debeant servire, & quibus causis ad fideliter serviendum debeant moveri.

παιδ. Ex ℣. 9. Quomodo domini seu heri debeant tractare servos: & quibus causis debeant ab iniqua eorum tractatione revocari ac deterreri.

διαβ. Ex ℣. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Quibus armis adversus Diabolum pugnandum sit.

παιδ. Ex ℣. 19. 20. 1. Quo animo aggredienda explicatio doctrinæ cælestis, nempe humili: ne fidamus nostro ingenio: sed petamus facultatem à DEO.

παιδ. 2. Quomodo versandum in explicatione doctrinæ cælestis. Liberè: ne dissimuletur veritas, aut misceantur mendacia ex metu hominum vel in gratiam hominum.

3. Cu-

3. Cujusmodi sit doctrina cælestis. Est mysterium, id est, doctrina rationi humanæ ignota: Nō igitur mirum, si eam odit ac persequitur mundus. διδ. παρ.

4. Quantum munus sit mysterium Evangelii. Est legatio. Legati autem habentur in honore. διδ. παιδ.

5. Quis status ministrorum verbi. Sunt expositi odio & persecutioni mundi. διδ.

6. Etiam in mediis persequutionibus faciendum officium: & contrà opponenda dignitas legationis. παιδ. παρ.

FINIS.



ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI AD PHILIPPENSES.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PAulus in hac epistola Philippenses primò in fide confirmat variis modis: ut promittendo efficaciam Dei, laudando ipsorum zelum, testificando suum erga eos amorem, removendo scandalum crucis, significando suum studium in ipsis confirmandis. Hæc ait usque ad ℣. 27. capitis primi. Secundò hortatur eos ad studium pietatis: ac nominatim ad tolerantiam crucis, ad concordiam, ad humilitatem seu animi demissionem, ad vitæ puritatem. Hæc agit à versu 27. capitis primi usque ad vers. 19. capitis secundi. Tertiò commendat eis fideles Evangelii doctores, Timotheum & Epaphroditum: inde usque ad finem capitis secundi. Quartò monet eos ut sibi caveant à falsa doctrina pseudapostolorum, qui justitiam Legis cum justitia fidei pernicioso errore miscebant: quibus suum ipsius exemplum tanquam veri ac sinceri apostoli opponit, & ad illud imitandum hortatur, toto capite tertio. Quintò nominatim ad concordiam hortatur duas mulieres, Evodiam & Syntychen, & viros quosdam ut illam concordiam concilient: in principio capitis quarti. Sextò redit ad exhortationes generales omnibusque communes: & hortatur ad moderationem, ad preces, ad virtutes omnes Christianas: à ℣. 5. capitis quarti usque ad ℣. 10. Septimò laudat ipsorum erga se beneficentiam in communicanda pecunia ad ipsius necessitatem: usque ad ℣. 21. Octavò & postremò concludit epistolam salutationibus.

ANA-

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Versu 1. continetur subscriptio & inscriptio: v. 2. salutatio. Deinde à v. 3. usque ad 12. narrat de suis precibus pro ipsis. Tertiò à v. 12. usq; ad 27. narrat de suis vinculis & de animi sui affectu tum ad moriendum tum ad diutius vivendum. Quartò hortari eos incipit ad studium pietatis, ac nominatim ad concordiam & ad tolerantiam.

DE PRIMA PARTE.

1 PAulus & Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, unà cum episcopis & diaconis:

2 Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

TImotheum sibi adjungit, ad consensum illius testandum; ac proinde ad Philippenses magis movendos, ut exhortationibus & admonitionibus suis locum dent. Erat enim Timotheus fidelis minister Evangelii: cujus in Evangelio prædicando fides Philippēsibus jam erat perspecta, ut testatur Apostolus cap. 2. versu 22. Fideles Philippenses vocat sanctos in Christo Jesu: ut qui sanctificati essent sanguine & spiritu Christi. Nominatim exprimit episcopos & diaconos: qui cæteris ministerio suo serviebant: episcopi quidem Evangelio prædicando & Sacramentis administrandis; diaconi verò eleemosynis curandis. Optat eis primùm gratiam, id est, favorem ac benevolentiam Dei; deinde pacem, id est, felicitatem tum corporis tum animæ, ex gratia illa manantem.

DE SECUNDA PARTE.

3 Gratias ago Deo meo in omni mentione vestri,

4 Semper in omni precatione mea pro omnibus vobis cum gaudio preces faciens,

5 Super vestri in Evangelio communione, à primo die usque ad hoc tempus:

6 Persuasum habens hoc ipsum, fore ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Jesu Christi:

7 Sicut justum est ut ego id sentiam de omnibus vobis; propterea quòd animo teneam, vos & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Evangelii, vos, *inquam*, omnes unâ mecum fuisse gratiæ meæ participes.

8 Testis enim mihi est Deus, quàm propensè amem vos omnes in visceribus Jesu Christi:

9 Et hoc precor, ut charitas vestra adhuc magis ac magis redundet in cognitione & omni sensu:

10 Ut probetis ea quæ excellunt: ut sitis sinceri & sine offendiculo, ad diem usque Christi:

11 Pleni fructibus justitiæ, qui *sunt* per Jesum Christum, ad gloriam & laudem Dei.

Primùm narrat, se in suis precibus gratias agere Deo pro ipsorum in Evangelio participatione, hoc est, pro efficaci eorum vocatione, quâ per fidem participes facti sint beneficiorum morte Christi partorum, nempe remissionis peccatorum, donationis Spiritus sancti & vitæ æternæ: V. 3. 4. 5. Deinde exponit suam spem de ipsorum in fide perseverantia: ejusque spei causas procreantes exponit duas: primùm naturam Dei qui bonum istud opus, nempe fidem, in ipsis cœperit: hoc est qui eos efficaciter vocarit: Vocatio enim Dei (ut ait Rom. 11.) est ἀμεταμέλητος, id est talis ut illius nunquam DEUM pœniteat, sed ut opus inchoatum perficiat & absolvat. Atque ita eos in fide confirmat, promittendo efficaciam Dei. Alteram verò causam procreantem suæ de ipsis spei facit ipsorum zelum in negotio Evangelii: quem ostendit

dit ex effectis, nempe factis ipsorum, quòd scilicet sese Paulo propter Evangelium captivo socios addiderant; dolentes nimirum, Evangelii prædicationem impediri, & fidelissimum ejus doctorem affligi. Atque ita fidem ipsorum confirmat, laudando zelum ipsorum. Vocat autem Paulus illam suam captivitatem *gratiam*, id est, beneficium Dei ex gratia ipsius profectum. Sic Actor 5. ℣.41. gaudebāt apostoli, quòd digni habiti essent (nempe ex gratia Dei, rem illam ita gubernantis) ut pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur, nempe ut virgis cæderentur. Atque hæc secunda institutæ narrationis particula est, quam spem Paulus de Philippensibus habeat: ℣.6. & 7. Tertiò testatur suum erga eos summum amorem, quo eos intimè amet propter Christum, hoc est, propterea quòd persuasus sit eos constanter credere in Christum, ipsumque diligere: ℣.8. quo ipso quoq; fidem eorum confirmat: Crescit enim laudata virtus.

Sed ne suis ipsorum viribus virtutes istas adscribant; subjungit quartò, quid pro eis precetur, seu quidnam eis à Deo in suis precibus exoptet; nempe ut in cognitione Dei & studio pietatis crescant & pergant ad finem usque: quo ipso significat, fidem & profectum atq; perseverantiam in fide, donum DEI esse: versu 9. 10. 11. Nomine αἰσθήσεως, id est, sensus, intelligit aut certam discretionem doctrinarum, aut gustum illum bonorum cælestium quę per Evangelium sunt cognita. Per τὰ διαφέροντα D. Beza intelligit doctrinas falsas à sana doctrina salutis discrepantes: sed alii (quibus assentior) interpretantur præstantia, ut scilicet intelligamus præstantia illa bona quæ per Evangelium patefiunt. Sic Rom. 2. ℣.18. Finem seu scopum pietatis facit *gloriam* DEI: sicut & Christus quum dicit discipulis, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona vestra opera, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.

DE TERTIA PARTE.

12 Velim autem vos scire, fratres, quæ mihi *acciderunt*, magis ad profectum Evangelii evenisse:

13 Adeò ut vincula mea innotuerint in CHRISTO, in toto prætorio, ac reliquis omnibus:

14 Et plerique ex fratribus in Domino, freti vinculis meis, magis audeant impavidè sermonem loqui.

15 Ac nonnulli quidem per invidiam & cõtentionem, nonnulli verò etiam propensâ voluntate Christum prædicant:

16 Alii quidem, *inquam*, per contentionem Christum annuntiant non purè, quòd existiment sese afflictionem addere vinculis meis:

17 Alii verò ex charitate, quòd sciant me ad defensionem Evangelii constitutum esse.

18 Quid igitur? attamen quovis modo (sive in speciem, sive sincerè) Christus annuntiatur: & de hoc gaudeo, atque etiam gaudebo.

19 Novi enim, fore ut hoc mihi cedat saluti per vestras preces, & suppeditationem spiritus Jesu Christi;

20 Secundùm intentam exspectationem & spem meam, quòd nulla in re pudefiam; sed cum omni libertate, ut semper, *ita* nunc quoq; magnificabitur Christus in corpore meo; sive per vitam, sive per mortem.

21 Mihi enim vivere, *est* Christus: & mori, lucrum.

22 Si verò *contingat* vivere in carne, hoc mihi *erit* fructus operis: & quid eligam, ignoro.

23 Coarctor enim utrinque, desiderio tendens ad remigrationem, & ut cum Christo sim: nam *id* valde multò melius.

24 Sed

24 Sed permanere in carne, magis necessarium *est* propter vos.

25 Et hoc confisus novi, me mansurum esse, & permansurum cum vobis omnibus, ad vestrum profectum & gaudium fidei:

26 Ut abundet gloriatio vestra in Christo Jesu de me, per meam rursus apud vos præsentiam.

Narrat eventum suorum vinculorum, quæ jam quarta ratio est quâ confirmat Philippensium fidem, nempe removendo scandalum crucis. Metuebant Philippenses, ne Evangelii cursus per vincula Pauli impediretur: sed Paulus narrat eventum prorsus contrarium, nempe vincula sua sibi evenisse ad Evangelii profectum. quod ipsum distributione bimembri declarat: primùm enim significat, causam vinculorum suorum innotuisse & aulicis Cæsaris Neronis & reliquis civibus Romanis: scilicet in vincula conjectum propter Christum, nempe quòd Christum prædicaret esse servatorem mundi. deinde multos ex fratribus (quo nomine intelligit Ecclesiæ doctores) constantiâ ipsius confirmatos, eò liberiùs Evangelium prædicare. Tum per prolepsin quandam eos qui tunc Evangelium Romæ prædicabant, distinguit in duas classes, ex adjuncto animi effectu. Alii inquit, ex odio mei Christum prædicant, ut afflictionem addant vinculis meis: alii ex dilectione mei, ut unâ mecum Evangelium defendant ac promoveant. Ubi difficile explicatu est, quomodo isti qui Paulum oderant, existimarint se prædicando Evangelio afflictionem addere vinculis ipsius. Sunt qui putant, illos doctrinam Evangelii adulterasse & falsâ doctrinâ admixtâ corrupisse: & in hunc sensum exponenda censent verba illa, *Christum annuntiant* ἐχ ἁγνῶς, *non castè, seu non purè*. Sed Paulum id intelligere non de doctrinæ puritate, se de sinceritate animorum: liquet primùm ex antithesi: opponit enim Apostolus inter se 1. φθόνον καὶ ἔριν & εὐδοκίαν. 2. ἐριθείαν καὶ ἐχ ἁγνῶς & ἀγάπην. 3. προφάσει & ἀληθείαν. Quo

quidem tertio membro duo priora quasi colligit & κατ' ἐπίλογον repetit: ac rursum ἀληθείας, id est veritatis nomine non veritatem doctrinæ intelligit, sed animi sinceritatem atq; integritatem; ut ex antithesi manifestum est. Deinde testatur ℣.18. se gaudere quòd Christus annuntiatur sive προφάσει sive ἀληθείᾳ: at nisi pura de Christo doctrina proposita ab illis utrisque fuisset, Apostolus certè gavisus non esset: qui infra c.3. (sicut & alibi) falsos doctores tam seriò caveri jubet. Jam quum utriq; puram de Christo doctrinam tradiderint; quomodo igitur insinceri isti existimarunt, se vinculis Pauli afflictionem addere? Respondet doctissimus interpres, plurimas occasiones nobis esse incognitas, qui temporum circumstantias non tenemus. In quo responso & ingenua ignorantiæ confessione equidem acquiescere malo, quàm temere incertum quid confingere. *Calvinus.*

Paulus igitur expositâ illâ doctorum Evangelii distributione, adversus insinceros istos sese consolatur duplici ratione: primùm quòd per istos nihilo minùs quam per sinceros Christus annuntiatur: quâ scilicet annuntiatione & gloria Christi innotescit, & salus electorum promovetur, ℣.18. deinde quòd ista afflictio, quam insinceri illi vinculis suis addant, sibi cessura sit in salutem. nam ut ait Rom.8.28. iis qui diligunt Deum, omnia simul cõferunt ad bonum. Quum autem afflictio per se & suâ naturâ salutem nemini afferat: simul exponit illius salutaris eventus causas procreantes per se: nempe preces Philippensium & subministrationem spiritus Christi. Quæ duo inter se videntur cohærere per figuram loquendi quæ dicitur ἐνδιαδύς (pro ἓν διὰ δύο) quasi dicat: *Per subministrationem Spiritus, precibus vestris impetratam.* Vult dicere, Spiritum sanctum subministraturũ sibi vires ad afflictionem istam tolerandum ac vincendum: & hoc Spiritus sancti beneficium precibus Philippensium impetratum iri. Atque hæc jam duo argumenta sunt certæ persuasionis Pauli de salutari afflictionum suarum eventu. His alia duo addit versu sequente vicesimo, videlicet spem suam & temporis anteacti experientiam. Spem suam amplificat vocabulo synonymo emphatico, vocans

vocans eam ἀπο καραδοκίαν, qua voce significatur exspectatio intenta & vehemens desiderium, quum toto animo quippiam exspectatur: à gestu vehementer inhiantium, totoque capite inflexo. nam κάρα caput significat. **Wañ einer den kopf außstreckt/vnd sicht/ob sein freund/ auf den er mit verlangen wartet/ komme.** Deinde ipsum eventum quem speret, declarat antithesi: nempe se non pudefactum iri, sed Christum constanti suâ confessione glorificatum iri. *Nulla in re*, inquit, *pudefiam*. Sic Rom. 5. ait, Spes non confundit. Nomine παῤῥησίας (ut & alibi passim) intelligit libertatem ac fiduciam non solùm in dicendo, sed generaliter in agendo: cui metus opponitur. Porrò ab anteacti temporis experientia argumentatur tanquam à pari: *Ut semper*, inquit, *ita etiam nunc magnificabitur Christus in corpore meo*. quasi dicat, Hactenus semper afflictiones quas pro Christo perpessus sum, cesserunt in ejus gloriam: quare posthac quoque idem eveniet. Christus, inquit, μεγαλυνθήσεται, magnificabitur, id est magnus atque illustris reddetur, gloria ejus inclarescet seu innotescet: quippe quem tanti faciunt fideles, ut propter eum atrocissima quæque forti animo sustineant, idque per spiritum ipsius. Sic Johannes de Petri supplicio loquens ait, Dominum voluisse significare, quo mortis genere Petrus ipsum esset glorificaturus: Joh. 21. 19. Corporis præcipuè mentionem facit: quia de afflictionibus loquitur quæ corpori infliguntur ab hostibus Evangelii, & in eodem etiam conspicuæ sunt. Glorificationem autem Christi in corpore suo, distributione amplificat: Sive per vitam, inquit, sive per mortem.

Versu 21. distributionis propositæ rationem subjungit. q.d. Christus glorificabitur in meo corpore, si in vivis mansero: *nam mihi vivere est Christus*. hoc est, omnes vitæ meæ actiones ac perpessiones ad Christi gloriam tendunt & directæ sunt. Sin verò moriar & supplicio propter Christum afficiar; id non solùm ad gloriam Christi faciet, sed etiam mihi erit lucrum, hoc est, promovebit meam salutem. nam per mortem liberantur fideles ab hujus seculi molestiis, & transferũtur in sinum Abrahæ, in locum quietis, ubi quiescunt à laboribus suis; deniq;

in cælum ubi Christus est, ubi vident gloriam ipsius. Alii verba hujus versiculi aliter construunt & exponunt: ita scilicet, ut sit enuntiatum unicum, cujus antecedens sit χρεισόσ, consequens κέρδοσ: consequentis appendix τὸ ζῆν γὰρ τὸ ἀποθανεῖν, subauditâ præpositione κ. At quanquam in hac eadem epistola occurrunt exempla istius ἐλλείψεως: tamen trajectio isthæc verborum mihi quidem admodum dura, & à simplicitate stili Paulini aliena videtur. Sic enim potiùs verba collocassèt, ἐμοὶ γὰρ χρεισὸς ἐν τὸ ζῆν ἐν τὸ ἀποθανεῖν κέρδοσ. id est, mihi enim Christus & in vita & in morte lucrum est. Huc accedit & illud, quòd sic ista sententia non cohærebit ut ratio cum præcedente: quod tamen postulat conjunctio γὰρ. nam aliud est gloria Christi, aliud salus Pauli: quam lucri nomine intelligit. Vult autem ostendere, Christum glorificatum iri & per vitam & per mortem suam: quorum illud expressè declarat, hoc verò ita innuit, ut alium præterea suæ mortis effectum exponat, nempe salutem suam.

V. 22. animi sui effectum exponit tum ad moriendum, tum ad diutiùs vivendum. Puto autem, versiculum hunc sic exponendum: *Si verò* (contingat) *vivere, in carne, hoc mihi* (erit) *fructus operis: & quid eligam, ignoro.* Dixerat, mori sibi esse lucrum: nunc opponit, si contingat se diutiùs vivere, id fore fructuosum Philippensibus, quatenus nimirum eos prædicatione sua confirmabit in fide, atque ita laboris sui fructum referet. Tum inde infert: se dubitare utrum horum eligat: quippe quum alterum, nempe mori, lucrosum sit ipsi: alterum verò, videlicet diutiùs vivere, fructuosum sit Philippensibus. Quod utrumque verbis sequentibus expressè declarat: illud quidem ν. 23. istud verò ν. 24. Verbum ἀναλῦσαι (quòd hîc commodè exponitur *Migrare*) propriè significat solvere. quo sensu dicuntur solvere nautæ: quum migraturi solvunt rudentes: in qua significatione usus est hoc verbo Homerus Odyss. o. ubi ait,

——ἀμβαίνειν ἀνὰ τε πρυμνήσια λῦσαι.

id est, conscendere (scilicet navem) & rudentes solvere.

In annotat. Erasmus testatur, Chrysostomum hîc ἀναλύειν vertisse μεθί-

μεθίστημι, id est commutare sedem seu emigrare. Similibus loquendi formis utitur Paulus 2. Cor. 5. videlicet ἐνδημῆσαι ἐν τῷ σώματι, id est peregrè abesse à corpore. item, Exui tabernaculo corporis.

V. 25. & 26. prædicit, se hac vice in vivis mansurum atque adeò è vinculis liberatum iri: quam prædictionem illustrat expositione finis & causarum efficientium. Finis est, profectus fidei Philippensium, videlicet per Pauli prædicationem. Efficiens principalis est Christus, qui suâ potentiâ flexurus erat corda hostium Pauli ad ipsum dimittendum: instrumentalis est precatio Philippensium pro liberatione Pauli. Hanc utramq; notat his verbis, *Ut abundet gloriatio vestra in Christo Jesu de me*. Gloriationem intelligit, quòd preces ipsorum à Christo exauditæ sint.

DE QUARTA PARTE.

27 Tantùm ut dignum est Evangelio Christi, vos gerite; ut sive venero & videro vos, sive absens fuero; audiam de rebus vestris, vos perstare in uno Spiritu, uno animo unâ certantes cum fide Evangelii:

28 Nec ulla in re territos ab iis qui se opponunt: quod illis quidem est exitii indicium, vobis autem salutis; idq; à Deo:

29 Quia vobis donatum est in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo pati:

30 Idem certamen sustinendo quale vidistis in me, & nunc auditis de me.

Hîc incipit eos hortari ad studium pietatis seu ad vitam Evangelio dignam, & nominatim ad concordiam & tolerantiam persecutionis. Exhortationis ad tolerantiam argumentum affert ab eventu utili, videlicet salute ipsorum. Simul etiam addit doctrinam de causa efficiente tolerantiæ: atque etiam salutaris eventus illius: quæ

causa est Deus. Particula μόνον est correctiva & transitiva. quasi dicat, Sed quicquid de me fiet: sive in vivis mansero & ad vos venero, sive non: hoc tantùm à vobis postulo, ut piè vivatis. Verbum πολιτεύεσθε significat conversationem in societate civili hominum. Sic infrà cap. 3. dicit, Nostrum πολίτευμα, id est nostra conversatio, est in cælo. *Vivite*, inquit, *dignè Evangelio Christi*. hoc est, ita ut Evangelii doctrina postulat: ut vestra vita professioni doctrinæ respondeat, & cum illa quasi in æquilibrio posita sit. nam ἄγειν (unde ἄξιος) etiam pendere significat. *Standi* verbo significat constantiam in confitenda doctrina Evangelii, metaphorâ sumtâ ab athletis, quos decet stare & persistere contra adversarium. *Spiritus* & *anima* hîc idem videntur significare: quanquam nonnulli sic discernunt, ut πνεῦμα ad mentium atque judiciorum consensum, ψυχὴ verò ad voluntatum conspirationem referatur. Jubet eos συναθλεῖν τῇ πίστει. *una certare cum fide*, id est, adjuvare decertantem fidem, hoc est doctrinam Evangelii: quæ quidem tum certare intelligitur: quum pro ea certant fideles doctores, constanter illam annuntiando. Cæterùm verbo συναθλεῖν inest argumentum ab eventu utili: videlicet à præmio quod athletis dari solet, si fortiter pugnaverint. nam verbum ἀθλεῖν à nomine ἆθλον deductum est, quod præmium significat, sed propriè illud præmium quod in medium proponitur athletis, hoc est, certatoribus; ut luctatoribus, cursoribus: quod aliàs βραβεῖον dicitur: quo vocabulo & similitudine utitur Apostolus 1. Cor. 9. circa finem. Similis locus est 2. Tim. 4. ubi de se ait Paulus: Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi: quod superest, reposita est mihi justitiæ corona. Corona autem pro præmio dari solet certatoribus.

V. 28. quod modò dixerat in genere, ut Philippenses pro Evangelio certent, illustrat indicatione cujusdam speciei, *Ut ne turbentur aut expaveſcant insultibus antagonistarum*, id est persecutione tyrannorum & aliorum adversariorum. Continuat autem cœptam metaphoram, cùm ait, μὴ πτυρόμενοι: alludit enim ad morem gladiatorum, qui adversarium terribili insultu & gestu ad terren-

terrendum illum planè composito aggrediuntur. **Die sich so grausam stellen/als weñ sie den** adversarium **fressen wolten.** ὥσπερ αὐτοῖς] Argumentum ab eventu utili illustrat antithesi. Similis locus exstat 2. Thess. 1. ℣. 4. 5. 6. 7. ubi ait; ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ θεοῦ.

Idque à Deo] Digreditur in doctrinam. docet enim, quæ sit causa efficiens, quisve author illius salutaris eventus, qui tolerantiam fidelium excipit & consequitur, videlicet Deus. Et hoc illustrat partim notatione causæ impulsivæ, partim collatione imparium. Causam impulsivam notat verbo ἐχαρίσθη: quo significat, Deum nō meritis Philippensium, sed suâ gratia moveri ad salutem illis conferendum. Collationem autem instituit inter *Credere in Christum*, & *Pro illo pati*, id est, ob illius confessionem. Plus autem est ita in Christum credere, ut fidem illam etiam cum capitis periculo confiteamur, quàm simpliciter in Christum credere. Sic fidem & confessionem conjungit Apostolus Rom. 10. ℣. 10.

V. 30. illustrat afflictiones Philippensium collatione similis exempli, nempe sui ipsius: ubi rursum superiori metaphora utitur, afflictionem suam ἀγῶνα id est certamen vocans.

SCHOLIA IN CAP. I.

3 In omni mentione vestri. ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν. *h. e. quoties mentionem vestri facio. vel certè, In omni recordatione vestri: i. e. quoties vestri recordor: sicut amplius declaratur v. seq. qui idcirco nō est per parēthesin ab hoc divellendus: quū sententia prorsus cohaereāt, sicut Rom. 1. v. 9. 10.*

4 Semper, &c. preces faciens. *Vel, Quum scilicet semper &c. preces facio. Declarat enim verba proxime-præcedentia,* ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν.

5 Super vestri, &c. ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν. *Hæc verba pendent à verbo* εὐχαριστῶ, *id est gratias ago. indicat enim beneficium pro quo gratias agat.* A primo die &c. *Hæc cohærent non cum sententia proxime-præcedente, sed cum superiore. His enim verbis declarat & amplificat illud* πάντοτε, *semper, v. 4. Hæc cohærentia percipitur ex v. seq.* A primo die. *Scilicet quo participes facti estis Evangelii.*

6 Opus bonum. *nempe fidem in Christum, seu communionem Christi per Evangelium.*

Ut id sentiam. τοῦτο φρονεῖν. *Nota verbum φρονεῖν usurpatum de judicio mentis, non autem de animi affectu, ut plerunque aliàs.*

10 Ut probetis ea quæ excellunt. εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα. *id est, probando cognoscatis. nempe qua sit illa latitudo & longitudo & profunditas & sublimitas, ut ait Ephes. 3. v. 18.* Et sine offendiculo. καὶ ἀπρόσκοποι. *id est, Ut non solùm sitis sinceri in animis vestris, sed etiam actionibus vestris nemini sitis offendiculo. Sic accipitur hoc nomen 1. Cor. 10. v. 32. Vel,* Et inoffensi. *Scil.* τῷ συνειδήσιν: *conscientiâ: hoc est, habentes conscientiam inoffensam,* ἔχοντες ἀπρόσκοπον συνείδησιν: *ut loquitur noster Apostolus Act. 24. v. 16.*

11 Fructibus justitiæ. καρπῶν δικαιοσύνης. *Ego non puto Apostolum hic intelligere eam justitiam quâ coram Deo justi sumus, sed justitiam operum. quasi dicat, Pleni operibus justis quæ sunt veluti fructus suavissimi Deoq; gratissimi. Modus loquendi qualis ille, Vestigia fidei, Rom. 4. v. 12.* Qui sunt per Jesum Christum. *id est, Qui fructus nascuntur vi spiritus Christi. Sicut ipse Christus copiosè docet Joh. 15.*

12 Magis ad profectum. μᾶλλον εἰς προκοπὴν. *quasi dicat, Tantum abest ut mea vincula Evangelii cursum impedierint, ut eundem magis promoverint.*

13 Adeò ut vincula mea innotuerint in Christo. ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανερούς ἐν χριστῷ γενέσθ. *hoc est, ut innotuerit me in vincula conjectum propter Christum, nempe propter Evangelium quod annuntio de Christo & ex mandato Christi.* Ac reliquis omnibus. καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι. *Ego puto præpositionem ἐν non esse ἀπὸ κοινοῦ repetendam ex inciso præcedente: sed τοῖς λοιποῖς respondere casui dativo Latinorum, & subintelligi Ῥωμαίοις, vel τοῖς ἔσιν ἐν Ῥώμῃ. Quod enim dixit, vincula sua innotuisse in prætorio, perinde est ac si dixisset, innotuisse iis qui sunt in prætorio, id est, aulicis Cæsaris. nunc addit, non iis solùm innotuisse, sed etiam cæteris, qui Romæ versentur, omnibus. Sunt autem ad finem hujus versus adscribenda duo puncta: ut intelligatur, periodum nondum absolutam esse. Coharet enim sequens versiculus.*

16 Alii

16 Alii quidem, *inquam*, &c. οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας &c. *Perspicuitatis gratiâ inserta est particula epanaleptica, Inquam. Et particulæ* οἱ μὲν, οἱ δὲ, *idem hîc valent quod sup. v.* τινὲς μὲν, τινὲς δὲ. *Illa autem verba,* ἐξ ἐριθείας & ἐξ ἀγάπης, *pendēt à verbo* καταγγέλλουσιν. *Nam quo minùs construatur sic,* οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας, *scilicet* ὄντες (*qua phrasi utitur Apostolus Rom. 2. v. 8.*) *item,* οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης, *scil.* ὄντες; *obstat hoc, quòd ex illa syntaxi exsisteret* ἀναντιπόδοτον, *seu sententia imperfecta in membro illo antitheto,* οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης.

17 Constitutum esse. κεῖμαι. *Fortasse rectiùs*, In vinculis *jacêre*.

18 De hoc. ἐν τούτῳ. *id est,* περὶ τούτου. *Hebraismus.*

20 Sive per vitam sive per mortem. εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου. *q. d. Sive contingat me ex vinculis dimitti ac diutiùs vivere: sive contingat me in vinculis mori aut supplicio affici.*

21 Mihi enim vivere *est* Christus. ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, χριστὸς. *Id est, Vita mea est occupata in promovenda gloria Christi. Prædicatio metonymica: Est enim metonymia subjecti in enuntiati parte consequente. De syntaxi istorum verborum vide Analysin.*

22 Quid eligam. *nempe vitámne an mortem.*

23 Desiderio tendens ad remigrationem. ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι. *Ad verb. Cupiditatem habens ad migrandum: ut si Germanicè dicas,* Ich hab ein lust zu wandern/*vel* außzuziehen. *Vide plura in Analysi.*

24 Propter vos. *nempe ut vos pleniùs doceam de Christo.*

26 Gloriatio vestra in Christo. *quâ gloriabimini, animis occupati in consideratione Christi, cujus beneficio vinculis fuero liberatus.* De me. ἐν ἐμοὶ. *id est,* περὶ ἐμοῦ. *Sic suprà v. 18.* Per meam rursus apud vos præsentiam. διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας. *h. e. quum vobis fuero restitutus.*

27 Tantùm. μόνον. *Hoc ipse mox exponit ibi,* Sive venero &c. *Vide Analysin.* Vos gerite. πολιτεύεσθε. *Vide Analysin.*

28 Territos. πτυρόμενοι. *Vide Analysin.*

29 In Christi negotio. τὸ ὑπὲρ χριστοῦ. *Id est,* κατὰ τὸ περὶ χριστοῦ πράγμα. *Ellipsis gemina: & heterosis præpositionis.*

In eum credere. εἰς ὡ τὸν πεποθεν. *id est, In eo confidere, quemadmodum dicitur, Maledictus qui confidit in principibus. ubi Hebraicè est, Qui credit in principes. Ita in symbolo, Credo in Deum, id est, Confido in Deo.*

OBSERVATIONES EX CAP. I.

παιδ. Ex ℣. 1. *Paulus & Timotheus.*] Exemplum humilitatis in Paulo, qui socium sibi adjũgit Timotheum, senex juvenem, clarissimus Apostolus hominem non ita clarum, deniq; author præclari operis, eum qui nihil operæ contulit. Sed cavendum ne humilitas sit ficta, quæ duntaxat in ore & gestu consistit, cum interim animus magnificè de se sentit. Oritur autem vera humilitas tum ex agnitione propriæ infirmitatis, tum ex consideratione alienæ præstantiæ. Ad hanc virtutem hortatur Apostolus infr. cap. 2. exemplo Christi.

παιδ. 2. Ex iisdem verbis. Est hîc etiam exemplum curæ pro Ecclesia, in Paulo. Nam ideo authoritatem conciliat Timotheo apud Philippenses, ut & ipsi & posteri ipsorum doctrinam religionis Christianæ ex illo discerent.

ὑλ. 3. *Servi Jesu Christi.*] Hinc discimus, quòd Papa falsò jactet se esse successorem Apostolorum Petri & Pauli: quippe qui non est contentus iisdem honoris titulis, sed seipse vicariũ Christi & caput Ecclesiæ in terris vocat.

διδ. 4. Ex iisdem verbis discimus, eximiam esse dignitatem ministrorum Ecclesiæ; quippe qui sunt servi Jesu Christi, regis regum, domini dominantium. Huc facit, quod ait Paulus 2. Corinth. 5. Legatione fungimur pro Christo. Item 1. Cor. 3. Sumus Dei cooperarii. Hæc doπαρ. ctrina facit ad consolationem ministrorum contra odium & contemtum mundi.

παιδ. 5. Ministri Ecclesiæ officii sui se commonefacere debent, ut scilicet Christo serviãt fideliter. 1. Cor. 4. Sumus dispensatores mysteriorum DEI. Requiritur autem in dispensatore ut fidus reperiatur.

ὑλ. 6. *Sanctis qui sunt Philippis.*] Falsam esse opinionem vulgi, præsertim Papistici, quod putat nomen *Sancti* cõpetere tantùm pie-defunctis & mortuis in Christo.

διδ. 7. *Sanctis in Christo Jesu*] Quis sit author sanctitatis Chri-

Christianorum, videlicet Christus, 1. Cor. 1. ℣. 30. Qui factus est nobis sapientia à Deo & sanctificatio, &c.

8. *Unâ cum Episcopis*] Docemur hìc, quòd Episcopi Pontificii Romanenses illi indignè & præter jus nomen hoc seu titulum usurpent. Siquidem nomini huic non respondent. Nam vocabulum *Episcopi*, officii nomen est, & Paulo nihil aliud significat quàm doctorē & gubernatorem Ecclesiæ, quem Petrus Pastorem vocat, quippe qui pascat gregem Domini sanâ doctrinâ, eumq; gubernet & regat verbo Dei in via pietatis. ἐλ.

9. *Una cum Episcopis & Diaconis.*] Nominatim mentionem facit Episcoporum & Diaconorum, honoris causâ: quod exemplum nobis imitandum est. Sic inf. cap. 2. circa finem: Tales in honore habete, &c. πανδ.

Ex ℣. 2. Est formula pii voti seu piæ optationis, quæ admonet partim de præcipuis adeoque veris bonis quæ cõtingere homini possunt, partim de bonorum illorum origine & authore. διδ.

Ex ℣. 3. *Gratias ago Deo*] Quòd Paulus quoties de rebus lætis facit mentionem, protinus in gratiarum actionem erumpit, exemplum est Christianis omnibus imitãdum propositum. Et sanè officium hoc postulat à nobis Deus in tertio præcepto: Non accipies nomen Domini in vanum. Intelligendum enim in contrarium est, nomen Domini honorificè & cum veneratione usurpandum, id quod fit, cùm ei aguntur gratię. Tribuitur enim ei laus bonitatis ac beneficentiæ; cùm gratiarum actio nihil aliud sit quàm beneficii accepti testificatio. Hortatur etiam Christianos ad hoc officium Paulus Eph. 5. ℣. 18. 20. Implemini spiritu, gratias agentes semper. Et 1. ad Thessal. 5. Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. ℣. 16, 17, 18. πανδ.

2. *Deo meo*] Quòd Paulus Deum vocat *Deum suum*, argumentum est plenæ in Deum fiduciæ: quæ nobis in exemplum proposita esse debet. Similiter loquitur ad Gal. 2. ℣. penult. Qui dilexit *me*, & semetipsum tradidit *pro me*. Sic Job: Scio quòd redemtor *meus* vivit. πανδ.

Ex ℣. 5. Maximum Dei donũ est participatio in Evangelio, q.ppe pro qua Apostolus tã seriò gratias Deo agit. διδ.

παιδ. 2. *A primo die.*] Exemplum duplicis virtutis, videlicet docilitatis ac promtitudinis in Evangelio amplectendo, & deinde perseverantiæ in ejusdem confessione retinenda.

ἀπολύσ. Ex ℣.6. Quæstio, Quomodo quis sperare possit salutem proximi? Resp. Spe charitatis, non autem spe fidei. De illa testatur Paulus 1. Cor. 13. ℣.17. de hac Rom. 8. ℣. 38. qua scilicet sperat unusquisque suam ipsius salutem. Illa ratiocinatur è signis externis: hæc acquiescit in testimonio Spiritus sancti.

διδ. 2. Fidei efficiens, procreans & conservans causa, est Deus. Sic ad Ephes. 2. ℣.8. Dei donum est. Matth. 16. Caro & sanguis non revelavit tibi. Johan. 6. ℣. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. ℣. 45. Et erunt omnes (nempe omnes filii Ecclesiæ) à Deo docti. 1. Corint. 2. ℣. 14. Animalis homo non capit ea quæ sunt

ἅγ. Spiritus Dei. Hinc coarguitur opinio de libero arbitrio & συνεργείᾳ.

διδ. Ex ℣.7. Crux confessorum, est indicium gratiæ Dei:

παρ. & est illis honorifica, cùm sit ἀπολογία Evangelii. Hinc Christus Matth. 5. ℣. 11. 12. Beati qui persecutionem patiuntur justitiæ causâ. Actor. 5. ℣. 41. Ibant gaudentes, &c. Adde quòd talis crux facit ad gloriam Dei, Johan. 21. ℣. 19. Significans, qua morte glorificaturus esset Deum.

διδ. Ex ℣.8. Jurare licet, cum postulat gloria Dei aut salus proximi. Deut. 6. ℣. 13. & cap. 10. ℣. 20. Per nomen meum jurabis.

διδ. Ex ℣.11. Descriptio bonorum operum à causis. Forma, est cōformitas cum Lege. Justum enim est quod Legi conforme est. Efficiens, est gratia Christi sanctificantis per Spiritum sanctum. Finis, gloria DEI.

διδ. Ex ℣.12. Exemplum mirabilis eventus crucis piorum

παρ. quam pro Evangelio sustinent. Diabolus per tyrannos conatur Evangelium opprimere, aut saltem cursum ejus impedire: Sed per Dei providētiam Evangelium sic magis promovetur.

διδ. Ex ℣.13. Crux propter confessionem Evangelii illata,

παρ. facit ad gloriam Dei & ipsorum martyrum atque confessorum.

Ex ℣.

Ex ℣.15. Etiam hodie sunt duo genera doctorum verbi: Nam alii pio studio prædicant Evangelium, ut gloriam Christi & salutem electorum promoveant: alii verò sua tantùm quærunt. διαλ.

Ex ℣.19. Iis qui Deum diligunt, omnia simul adjumento sunt ad bonum, Rom. 8. Similes promissiones de salutari eventu crucis fidelium sunt istæ: 1. Cor. 10. ℣.13. Præstabit cum tentatione τὴν ἔκβασιν. Johan. 16. ℣. 20. Tristitia vestra vertetur in gaudium. Sic Psal. 34. Multæ sunt tribulationes justo, sed ex his omnibus liberat eum Dominus. Considerentur & hîc exempla Josephi, Davidis, Hannæ, Jobi, & denique ipsius Christi. παρ.

2. Preces piorum sunt efficaces. Oremus igitur pro fratribus afflictis. Vide Jacob. 5. ℣. 14. 15. 16. 17. 18. διδ. παιδ.

Ex ℣. 20. Spes fidelium certa & indubitata est; quia nititur promissionibus verbi Dei. Rom. 5. Spes non confundit. Et hîc, *Scio.* Huic spei dissimilis est spes vulgaris; quia nititur vel ordine naturę, qui potest mutari: vel fide & integritate hominis, qui mendax est. Consideretur etjam discrimen inter fidem & spem. Fides intuetur promissionem gratiæ tanquam veram; Spes exspectat promissa bona ex gratia, tanquam certò eventura. διδ.

2. Scopus vitæ nostræ debet esse gloria Christi, ac proinde Dei patris. Nam qui honorat filium, honorat & patrem, Joh. 5. Sic Christus hortatur discipulos Matth. 5. Sic luceat lux vestra &c. Sic Paulus 1. Cor. 10. Omnia ad Dei gloriam facite. παιδ.

Ex ℣.21. Mors corporis piis lucrosa est; quia sic commigrant ad Christum, ut cum ipso vitâ beatâ & gloria cæleśti fruantur. Usus doctrinæ est consolatio in morte. διαλ. παρ.

Ex ℣.22. Charitas non quærit quæ sua sunt, 1. Cor. 13. Ut Paulus hîc non quærit suam felicitatem, sed Philippensium. διαλ.

Ex ℣.23. Etsi mors suâ naturâ terribilis est etiam piis (2. Cor. 5. ℣. 4. Non cupimus exui, &c.) tamen pii mortem exoptant ob duas causas, 1. ut liberentur à servitute peccati. Rom. 7. ℣. 24. Miser ego homo, quis me eripiet, &c. 2. ut commigrent ad Christum, cumque eo cæleśti beatitate fruantur. Dissimile: Non est justa causa exo- διαλ.

ptandi mortem tædio vitæ aut impatientiâ, ut cùm Job malediceret diem nativitatis suæ.

Dicl. 2. Paulus in terris constitutus, optabat esse cum Christo, nimirum in cælo. Ergo sensit, Christum ita esse in cælis, ut non sit in terra secundùm humanitatem; Nam eum secundùm divinitatem ubique esse non negat Apostolus. Sic Col. 3. Quærite quæ sursum sunt, &c. Item inf. cap. 3. Nostra conversatio in cælis est, unde exspectamus CHRISTUM JESUM.

Dicl. Ex ℣. 24. Ministerium Verbi necessarium est etiam apud eos qui jam de Christo sunt edocti, & in eum credunt; ut scilicet eorum fides alatur & augeatur.

Exhort. Ex ℣. 27. Opera danda est omnibus illis qui se Christianos & Evangelicos profitentur, ut vitam Evangelio Christi dignam agãt: ne doctrina malè audiat & nomen Dei blasphemetur ꝓpter mores auditorum. Vide Rom. 2. ℣. 24. Ezech. 36. ℣. 20. ad Tit. 2. ℣. 5. & 10.

Exhort. Ex ℣. 28. Qui propter confessionem Evangelii persecutionem patiuntur, consolari se debent hac cogitatione, quòd hæc persecutio certissimum argumentum atq; indicium sit, tum interitus persecutorum, tum verò suæ ipsorum salutis. Vide 2. ad Thess. 1. ℣. 4. 5. 6. 7. Rom. 8. ℣. 17. 18. Item 1. Pet. 1. ℣. 6. & 7.

Dicl. Exhort. Ex ℣. 28. & 29. Et fides & tolerantia crucis, atque perseverantia in fide, donum Dei est. Quare utrumq; à Deo precibus impetrandum, exemplo Apostolorum Luc. 17. ℣. 5. vide Jacob. 1. ℣. 5.

Exhort. Ex ℣. 29. & 30. Officium Christiani hominis est: pro fide decertare, & pro Christo, id est, propter confessionem Christi persecutionem pati. Quæ quidem confessio ad salutem necessaria est. Vide Rom. 10. ℣. 10. Matth. 10. ℣. 32. & 33.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Caput hoc in quatuor partes distingui potest. Primùm enim hortatur eos ad concordiam & modestiam, ab initio capitis usque ad v. 15. Deinde hortatur eos ad vitam inculpa-

culpatam, usque ad v. 19. Tum commendat eis Timotheum, usque ad v. 25. Postremò commendat eis Epaphroditum, usq; ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

SI qua igitur cõsolatio *est* in Christo, si quod solatium charitatis, si qua communio spiritus, si quæ viscera ac miserationes;

2 Explete meum gaudium, ut eodem animo sitis affecti, eandem charitatem habentes, unanimes, & idem sentientes.

3 Nihil agentes per contentionem aut per inanem gloriam; sed ex modestia alius alium se præstantiorem existimans.

4 Ne sua quisque spectate, sed unusquisq; etiam quæ sunt aliorum.

5 Itaque is sit affectus in vobis qui fuit & in Christo Jesu:

6 Qui quum esset in forma Dei; non duxit rapinam esse *se* æqualem DEO:

7 Sed se ipse inanivit, formâ servi acceptâ, similis hominibus factus:

8 Et habitu compertus ut homo, ipse se summisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

9 Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen:

10 Ut ad nomen Jesu omne genu *se* flectat cælestium ac terrestrium & subterraneorum:

11 Omnisque lingua confiteatur, Jesum Christum *esse* Dominum, ad gloriam Dei Patris.

12 Proinde, dilecti mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mea solùm, sed nunc multo magis in absentia mea, cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite.

13 Deus enim is est qui efficit in vobis & ut velitis & ut efficiatis, pro *suo* beneplacito.

14 Omnia facite absque murmurationibus ac disceptationibus.

APostolus exhortaturus Philippenses ad concordiam, præmittit argumentum ab effectu utili: quia eorum cõcordia faciat ad explendum ipsius gaudium. Hoc argumentum amplificat expositione causæ procreantis, per quandam exclamationem & copiam verborum idem significantium. Sententia est: Si me amatis, studete explere meum gaudium. hoc est, studete cõcordiæ ut ita expleatis meum gaudium: ℣.1.& 2. Deinde hortationem propositam illustrat antithesi, dehortando scilicet à contentione: cui dehortationi alteram cognatam annectit, qua dehortatur à κενοδοξίᾳ, id est, inani gloria, tanquam contentionis matre & causâ procreante. Tum mox opponit hortationem ad modestiam seu animi demissionem, vers. 3. & 4. Tertiò, hortationem ad modestiam confirmat ab exemplo Christi: cujus modestiam declarat per antithesin præstantiæ ipsius naturalis & humilitatis seu infirmitatis voluntariæ ac sponte susceptæ nostrâ causâ: ℣.6.7.8. Quartò exponit modestiæ Christi utilem atque honorificum eventum, videlicet præmium ei à Patre tributum, quatenus eum pater in cælestem gloriam exaltavit: ℣ 9.10.11. Porrò hîc continetur argumentum ab utili eventu, per ratiocinationem à pari. nam similium causarum sunt similia effecta. Sicut ergo Christi modestia præmium gloriæ cælestis adepta est: ita etiam modestia Christianorum simile præmium consequetur. Discrimen tamen erit in quantitate: nam prout Christi modestia fuit perfectissima, ita etiam gloria ejus cælestis est summa. at Christianorum gloria suis gradibus erit minor, prout &

modestia

modestia ipsorum ac omnino pietas minor fuerit. Christus solus præcellit ut caput, & solus sedet ad dextram Patris: at Christiani tanquam membra hujus capitis, ornabuntur & ipsi quidem cælesti gloriâ, sed pro certa portione, nempe pro mensura donationis Christi. Quintò, concludit hortationem propositam; eamque conclusionem amplificat collatione imparium, & antithesi adversorum. Comparat enim obedientiam Philippensium præsentem cum præterita tanquam majorem: & suæ præsentiæ absentiam suam opponit: ℣.12. Sextò annectit quartum institutæ & jam conclusæ hortationis argumentum: quod sumtum est à causa procreante bonorum nostrorum, ob quæ nonnulli superbire solent: ea est donatio Dei gratuita: ℣.13. Sic 1. Cor. 4. ℣.7. Quid habes, inquit, quod non acceperis? quod si accepisti: cur gloriaris, tanquam non acceperis? Septimò, repetit dehortationem à discordia: ℣.14.

DE SECUNDA PARTE.

15 Ut sitis irreprehensibiles & sinceri filii Dei, inculpabiles in medio nationis pravæ ac perversæ: inter quos splendetis ut luminaria in mundo,

16 Sermonem vitæ prætendentes ut gloriari possim in die Christi, me non frustra cucurrisse, nec frustra laborasse.

17 Quin etiamsi pro libamento offerar super hostia sacrificioque fidei vestræ: gaudeo *tamen* & gratulor omnibus vobis.

18 Itidem autem & vos gaudete, & gratulamini mihi.

Ad vitam inculpatam hortatur primùm ab adjuncta dignitate, quia sint filii Dei. deinde à circumstante periculo: quia vivant in medio nationis pravæ: sollicitè igitur cavēdum ne mores filiorum hujus seculi imitentur. Tum rursus ab adjuncta dignitate: quia inter filios

hujus seculi splendeant ut luminaria: decet igitur ut luceat lux ipsorum, ut homines videant bona ipsorum opera: ℣. 15. Quartò à subjecto occupante: quia profiteantur sermonem vitæ, id est Evangelium: ergo æquum est ut quemadmodum Evangelio dignum est vivant, & quemadmodum eos decet qui ex Evangelio vitam æternam exspectant. Quintò ab effectu utili: quia sic futurum sit ut ipse possit gloriari in Domino de fructu laboris sui in ipsis ad pietatem informandis: ℣. 16. Postremò per prolepsin consolatur eos contra metum supplicii sui pro Evangelio sustinendi. Argumenta consolationis ducit ex effectis utilibus: quia supplicium illud suum facturum sit & ad gloriam Dei, tanquam sacrificium; & ad ipsorum salutem, quatenus eo confirmabuntur in fide. Quin & tertium consolationis argumentum addit à pari, nempe à suo ipsius exemplo. Tantum abest, inquit, ut ego metu supplicii pro Evangelio sustinendi contrister, ut potiùs eo nomine gaudeam & vobis gratuler: ergo decet ut & vos non contristemini, sed gaudeatis mihique vicissim gratulemini: ℣. 17. & 18.

DE TERTIA PARTE.

19 Spero autem in Domino Jesu, me Timotheum brevi missurum vobis; ut & ego bono sum animo, cognito statu vestro.

20 Neminem enim habeo pari animo præditum, qui germanè res vestras curaturus sit.

21 Nam omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Jesu.

22 Experimentum autem ejus nostis, quòd *videlicet* tanquam cum patre filius, mecum servierit *Deo* in Evangelio.

23 Hunc igitur spero me missurum, simulatque videro rerum mearum statum.

24 Confido autem in Domino, me quoq; citò venturum ad vos.

Timo-

Timotheum commendaturus, primùm promittit, se eum brevi missurum: eamque promissionem temperat conditione voluntatis Domini, & confirmat expositione finis, nempe ut per illum cognito statu ipsorum, bono sit animo: ℣.19. Deinde & alterum finem exponit, ut scilicet Timotheus curet res ipsorum, id est, in ipsis confirmandis fideliter laboret suâ institutione ad salutem ipsorum. Et hac jam occasione Timotheum commendat à sinceritate ipsius, quam collatione sui exempli tanquam paris amplificat: ℣.20. Tum sinceritatem illam Timothei amplificat antithesi reliquorum suorum sociorum & asseclarum, tanquam dissimilium. ubi observanda est hyperbolica synecdoche integri, quum dicit OMNES, & intelligit maximam partem: ℣. 21. Postea commendationem Timothei confirmat testimonio experientiæ ipsorum, simulque illustrat expositione causæ sociæ, nempe suiipsius: eamque expositionem similibus illustrat, quatenus seipsum patri, Timotheum filio cõparat: ℣. 22. Postremò promissionem de mittendo Timotheo repetit, ℣.23. eamque simili promissione de suo ipsius adventu amplificat, ℣.24.

DE QUARTA PARTE.

25 Sed necessarium duxi, Epaphroditum fratrem & collegam ac commilitonem meum, vestrum autem legatum, quique mihi submini-stravit quibus mihi opus erat, ad vos mittere.

26 Quoniam desiderabat omnes vos, & gravissimè angebatur propterea quòd audissetis eum ægrotasse.

27 Et certè ægrotavit proximè mortem: sed DEUS misertus est ejus, nec ejus solùm, sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem.

28 Eò studiosiùs itaq; eum misi: ut eo rursus viso, gaudeatis, & ego eò minùs doleam.

29 Excipite igitur eum in Domino cum omni gaudio: & tales in pretio habete.

30 Nam propter opus Christi accessit ad mortem usq;, non habitâ vitæ ratione, ut suppleret defectum vestri erga me officii.

Epaphroditum commendat partim ex adjunctis, partim ex effectis. Ex adjunctis: 1. quòd sit frater, nempe in CHRISTO. 2. quòd sit suus collega seu cooperarius, συνεργὸς, nempe in prædicando Evangelio: quam muneris seu officii societatem illustrat similitudine, quatenus Epaphroditum vocat suũ commilitonem, συστρατιώτην. 3. quòd sit ipsorum ἀπόστολος, id est legatus: nempe ab ipsis missus ad Paulum cum subsidio: ut sequentia declarant. quanquam alii nomen Apostoli hîc interpretantur pro doctore Evangelii, per synecdochen speciei κατηχητικὸν. nam propriè Apostoli dicebãtur, qui ab ipso Christo immediatè ad Evangelium docendum vocati atque emissi erant ad quosvis. Porrò ex effectis Epaphroditum commẽdat, quòd sibi submiñistraverit pecuniam à Philippensibus missam: quodque eos expetiverit; nimirum redire ad ipsos cupiens. Significat igitur, se illum ad ipsos mittere, ℣.25. & hujus sui facti causam exponit vers.26. nempe illud ipsum Epaphroditi desiderium. ubi simul narrat de ipsius ægrotatione & valetudine divinitus restituta, ℣.27. Tũ causas missionis rursum exponit ℣.28. Postremò commendationem institutam cõcludit, quatenus eos hortatur ad Epaphroditum cum gaudio excipiendum & in pretio habendum: ℣.29. quam exhortationem additâ ratione confirmat ℣.30. qua ratione Epaphroditum ex alio quodam facto commendat, nempe quòd sibi in vinculis fideliter ministraverit: quod ministerium amplificat ex eventu, nempe ægrotatione lethali: ex qua tamen divinitus liberatus fuit.

SCHOLIA IN CAP. II.

2 Ut eodem animo sitis affecti ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε. *Vel, ut eundem geratis affectum. Sic Rom.12. v 16.* Idem sentientes. τὸ ἓν φρονοῦντες. *In hac significatione usus est verbo φρονεῖν etiam sup.c.1.v.7.*

3 Nihil *agentes.* μηδὲν. *Subaudiendum* πράττοντες: *ut percipitur*

percipitur ex membro antitheto. Opponitur enim, ἀλλὰ ἑαυτὸν, &c.

5 Itaque is sit affectus, &c. *Hunc locum plerique exponunt de incarnatione filii Dei, ac proinde per formam Dei intelligunt naturam ipsam divinam: itemq; per formam servi, naturam humanam. Equidem fateor, utramq; Christi naturam ex iis quæ hîc à Paulo dicuntur, firmiter colligi: veruntamen ipsas illas voces de naturis exponendas non censeo, nec Apostolum hîc de filii Dei incarnatione, sed de jam incarnati humiliatione loqui judico. Id quod ex sequente expositione manifestum fiet.*

Itaque is sit affectus in vobis qui fuit & in Christo Jesu. τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *His verbis innuit Apostolus, se hîc considerare filium Dei ut jam manifestatum in carne: Hac enim ratione conveniunt ei hæc duo nomina Christus Jesus. item verbum* φρονεῖν, *affectum esse,* **gesinnet seyn.** *Deinde eandem considerationem videtur postulare Apostoli institutum: Instituit enim imitandum Philippensibus proponere exemplum Christi tanquam vitæ regulam: Ergo considerat facta Christi, quæ in oculis incurrunt: in quorum numero non est incarnatio. Tertiò apparet, Apostolum hîc loqui de ea Christi humiliatione, quæ per exaltationem ejusdem sublata est: at incarnatio (id est, humana natura per incarnationem assumta) sublata non est, quippe quæ in æternum manet.*

6 Qui cùm esset in forma DEI. *Per formam Dei non puto Apostolum intelligere ipsam naturam divinam: sicut Aristoteles in philosophia sua vocabulo* μορφῆς *intelligit naturam atque essentiam rei. neque enim probabile est, Apostolum hac voce in ea significatione uti, quæ solis Philosophis nota erat, populo verò ignota. Deinde apparet ex cohærentia sententiæ v. 7. & 8. Apostolum tribus his vocibus,* μορφὴ, ὁμοίωμα, σχῆμα, *rem unam eandemq; significare. Præterea si per formam Dei intelligit naturam divinam: consequens est ut pari ratione versu seq. per formam servi intelligat naturam humanam: hoc enim postulat antithesis. At per formam servi non videtur intelligere naturã humanam; quippe quum Christus naturam humanam non deposuerit, nec unquam depositurus sit: at formam servi per exaltationem*

sui deposuit. quis enim dicat, eum qui se perpetuò declarat ut dominum dominantium, præditũ esse formâ servi? Quum igitur Apostolus per formam servi non intelligat naturam ipsam humanam, sed statum seu conditionem servilem, sicut per sequentia verba declarat: consequens est ut pari ratione per formam Dei non intelligat naturam ipsam divinam, sed statum divinum seu conditionem divinam, nempe gloriam seu majestatem divinam. Quæ quidem gloria à natura dependet, cumq; ea necessariò cohæret: Veruntamẽ ab ea, ratione distinguitur. Christus igitur quamvis esset in forma Dei, hoc est præditus divinâ gloriâ, quippe Dominus gloria seu Jehova gloriosus: tamen non duxit rapinam, se esse æqualem Deo, nempe Patri: hoc est, non ostẽtavit illam suam gloriam divinam, sicut victores spolia hosti detracta ostentare solent in triumpho; sed gloriam illam occultavit: id quod intelligendum est de maxima vitæ ipsius parte. nam interdum gloriam illam suam manifestavit per miracula; ut per conversionem aquæ in vinum in nuptiis, Johan. 2. v. 11. & alia miracula. Unde & Johannes ait, se cæterosq; Apostolos atque discipulos spectasse gloriam ejus ut unigeniti egressi à Patre, Joh. 1. v. 14. Hæc expositio hujus versiculi confirmatur tum ex ipsa phrasi, quæ metaphoram habet à triumphatoribus deductam; tum ex antithesi quæ habetur versu sequente, ubi ait, Sed se ipse exinanivit, vel (si mavis) inanivit. nam in Græco non est ἐξεκένωσε, sed ἐκένωσε: nempe à κενόω, non ab ἐκκενόω. quanquam istis verbis, & simplici & composito, tum apud Græcos tum apud Latinos idem significatur. Quid autem est, Exinanivit se? Id est, gloriâ illâ suâ divinâ se quasi evacuavit, illam veluti deposuit: quatenus scilicet eam non perpetuò manifestavit atque exseruit. Quod ipsum verbis sequentibus declarat Apostolus, ubi ait, Christum se exinanivisse, quatenus formam servi suscepit, id est, * conditionem servilem, humilem & abjectã: sicut amplius declarat verbis sequentibus, quòd factus fuerit in similitudine hominum, id est, similis vulgaribus hominibus, subjectus nimirum omnis generis infirmitatibus humanis, peccato solo excepto; ut quòd esuriit, sitivit, dormivit, contristatus est &c. Quod ipsum adhuc amplius declarat v. 8. inquiens, Et σχήματι, id est, figurâ seu habitu

* Similiter interpretatur glossa Genevensium ad Esa. 52. 14.

(Luth.

(*Luther.* an geberden) compertus ut homo: *Ubi notandum, Apostolum in eâdem significatione accipere has voces,* μορφὴ, ὁμοίωμα, σχῆμα: *Unde scilicet perspicitur, per* μορφὴν *hîc non intelligendam naturam seu essentiam. Cæterùm pergit Apostolus, & verbum* ἐκένωσε *exponit per* ἐταπείνωσεν, *id est humiliavit se; quam ipsam humiliationem declarat per obedientiam in tolerandis variis afflictionibus, at tandem ipsâ morte, eâq; acerbissimâ & ignominiosissimâ, atque adeò ab ipso Deo maledictâ, videlicet morte crucis. Hunc judico genuinum esse hujus loci sensum: in quem etiam orthodoxi quidam nostræ ætatis Theologi, Calvinus scilicet & VVolf. Musculus, verba Apostoli exposuerunt. Nec verò Ubiquitariorum errori hæc expositio patrocinatur aut favet. Etsi enim illi quoque sentiunt, & rectè quidem,* Formam DEI *denotare hîc non essentiam, sed gloriam & majestatem Dei: falsum tamen & hæreticum est quod de suo assuunt, nempe significari majestatem Dei* in humanam naturam transfusam. *Etsi autem veteres Ecclesiæ doctores, tum Græci, (ut Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus, Damascenus) tum Latini (ut Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Vigilius) istas Apostoli voces de formis substantialibus, hoc est de ipsis naturis, divina & humana, accipiunt: inde tamen non efficitur, eum revera hæreticum esse ac ex Ecclesia exturbandum, qui hasce voces de formis accidentalibus tantùm interpretatur: ut nuper quidam inconsideratè scripsit. Neque enim statim hæreticus est qui in loco aliquo Scripturæ exponendo à sententia veterum orthodoxorum recedit: quum illorum expositio non sit regula fidei, nec illi genuinum Scripturæ sensum semper sint assecuti: quumque unius ejusdemque loci expositiones orthodoxæ diversæ afferri possint, & verò sæpe ab interpretibus afferantur.* Esse *se æqualem Deo.* τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. *Sic rectè vetus interpres, suppleto pronomine reciproco. In nomine autem* ἴσα *pro* ἴσον, *enallage gemina est, videlicet numeri & generis.*

9 Quapropter &c. διὸ &c. *Deinceps humiliationi Christi opponit ejusdem exaltationem, tanquam modestiæ præmium: & ita ad modestiam ab utili eventu hortatur.* Quapropter etiam, *inquit, quia scilicet tam humiliter ac*

modestè se gessit Christus, tantasque afflictiones obedienter sustinuit ac perpessus est, Deus eum ὑπερύψωσε, *quasi dicas, superexaltavit, hoc est, supra modum exaltavit seu in summam extulit sublimitatem:* & donavit ei nomen quod est supra omne nomen, *hoc est, gloriam summam,* ut ad nomen Jesu omne genu se flectat &c. *hoc est, ut omnes creaturæ rationales eum agnoscant pro suo domino, eumq; adorent, idq; ad gloriam Dei patris. nam qui honorat filium, is & patrem honorat: & in hominis hujus exaltatione perspicitur summa Dei erga electos suos gratia.*

10 Ut ad nomen Jesu omne genu se flectat. *Id est, ut Jesum omnes pro domino agnoscant. Metonymia effecti metaphorica.*

11 Jesum Christum *esse* Dominum. ὅτι κύριος Ἰησοῦς Χριστός. *Supple* ἐστὶ. *Caterùm perspicuitatis causâ in versione verba naturali ordine collocata sunt.*

13 Pro suo beneplacito. ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. *nempe* τῆς αὐτοῦ. *pro* τῆ τῶν ἑαυτοῦ εὐδοκίαν.

15 Inter quos. ἐν οἷς. *Subaudi,* ἀνθρώποις. *quod quidem nomen non præcessit, sed illi æquipollens* γενεά, *id est, natio seu genus. Constructio igitur refertur non ad vocem, sed ad sensum.*

16 Sermonem vitæ. λόγον ζωῆς. *Id est, vivificum. Periphrasis Evangelii ab effectu,* Prætendentes. ἐπέχοντες *id est, dum prætenditis: seu, quatenus prætenditis. Regitur enim hoc participium à præcedente verbo,* φαίνεσθε: *& declaratur his verbis similitudo allata qua credentes comparantur luminaribus mundi. Quò minus autem construendum sic hoc participium cum nomine* φωστῆρες, *per synthesin scilicet convenientia: obstat meo judicio quòd nullus intercedit articulus. dicendum enim fuisset,* ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ οἱ λόγον ζωῆς ἐπέχοντες. Ut gloriari possim. εἰς καύχημά μοι. *Hæc verba non pendent à proximè præcedentibus: sed ab illis remotioribus:* Omnia facite, &c. *item,* Ut sitis irreprehensi &c. *Nisi quis censeat, verbum* φαίνεσθε *vertendum per modum imperativum, Splendete.* In die. εἰς ἡμέραν. *Pro,* ἐν ἡμέρᾳ. *Heterosis frequens.*

17 Super hostia sacrificioq; fidei vestræ. ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν. *Sic vocat (ni fallor) prædicationem*

tionem suam, qua Philippenses in obedientiam fidei perduxerat, adeoq; eos quasi obtulerat & sacrificaverat Domino. Confer verba Apostoli Rom. 15 16. Alludit enim ad ministerium sacerdotum Veteris Testamenti, quod in offerendis hostiis & mactandis victimis bonâ ex parte positum erat. Sed Novi Testamenti ministerium praecipuè consistit in praedicatione Evangelii, qua homines per fidem Deo quasi offeruntur, tanquam hostia spirituales. Praepositio ἐπὶ notat objectum, & causam impulsivam connotat; quasi dicat, Quod si etiam contingat ut supplicio afficiar propterea quòd vobis & aliis Evangelium praedico, & quidem dum in ea praedicatione versor eâq; occupatus sum &c.

19 Spero in Domino. *id est, confisus benevolentiâ Domini erga me.*

20 Neminem enim habeo. *Intellige, excepto Timotheo, ut intelligitur ex collatione v. 20 & 22.*

21 Omnes. οἱ πάντες. *nempe* οἱ ἄλλοι πάντες. *cateri omnes praeter Timotheum, qui scilicet mecum sunt.* Quæ sua ipsorum sunt. *id est, sua commoda, suum lucrum & gloriam: non autem gloriam Christi.*

22 Ejus. *nempe Timothei, ex v. 19.*

23 Simulatq; videro. ὡς ἂν ἀπίδω ἐξαυτῆς. *Vel, Quum videro rerum mearum statum, è vestigio. nam* ἐξαυτῆς, *valet* ἐξ αὐτῆς, *scilicet* ὥρας.

24 Confido in Domino. *id est, confido fretus benevolentiâ Domini erga me. Nam illa verba* In Domino *non ita hîc pendent à verbo* Confido, *ut in illo, Maledictus qui confidit in principibus.*

25 Legatum. ἀπόστολον. *Vide Analysin.*

26 Desiderabat omnes vos. ἐπιποθῶν ἦν πάντας ὑμᾶς. *vel, Desiderio vestri omnium tenebatur, seu flagrabat.*

29 Excipite eum in Domino. *id est, tanquam Domini servum, vel, eo animo quo debetis affecti esse erga servos Domini.*

30 Defectum vestri erga me officii. τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρὸς με λειτουργίας. *Adverb. Vestrum defectum officii erga me. Estque catachresis in nomine* λειτουργία: *quod propriè significat administrationem officii publici, putâ magistratus aut sacerdotii: sed hîc usurpatur ad significandum*

officia privata humanitatis ac beneficentiæ erga Paulum vinctum. q.d. Si ipsi mihi adesse potuistis, ministrare etis mihi vincto: nunc quoniam id non potestis, defectum hunc supplevit Epaphroditus.

OBSERVATIONES EX CAP. II.

Dict. Ex ℣.1.2.&3. Concordia Christianorum cõsistit partim in consensu sanæ doctrinæ, partim in conjunctione voluntatum in rebus agendis. Prior illa virtus dependet à fide, posterior à charitate. Utramq; commendat psalmus 133. Ecce quàm bonum &c. Ad utramq; colendam hortatur Paulus passim, ut hîc & ad Rom.14.& 15. cap. Notanda etiam causa procreans seu origo cõcordiæ: quæ est humilitas animi seu modestia. Nam huic contraria κενοδοξία, discordiæ mater est.

Dict. Ex ℣.3.4.&5. Humilitas animi seu modestia est virtus, qua quis alios se ipso præstantiores existimat, ac proinde honorem convenientem eis tribuit. Ei contraria est κενοδοξία, id est, inanis gloriæ cupiditas, cùm quis sibi placet in suis donis, & ob ea se effert, aliosque præ se contemnit. Cæterùm ad humilitatem excitare omnes Christianos debet exemplum Christi, quod hîc apponit Paulus; quod etiam facit ad Rom.15.℣.2. & 3.

Dict. Ex ℣. 6. Notanda hîc sunt argumenta pro utraque Christi natura. Pro divina: 1. CHRISTUS in terris ambulans, fuit in forma Dei, hoc est, præditus fuit divinâ gloriâ seu majestate: Ergo fuit verus Deus. 2. Ad nomen Jesu omne genu se flectit, omnisque lingua confitetur, eum esse Dominum, ℣. 10. & 11. Ergo est verus Deus. Hanc enim gloriam (nempe adorationis) & hoc nomen (nempe Domini seu Jehovæ) Deus alteri non dat: sicut ipse apud Prophetam jurejurando asseverat, Esa. 42.℣.8. & cap. 45.℣.23. Pro natura humana: 1. Christus naturæ humanæ infirmitatibus (excepto quidem peccato) fuit subjectus, ℣. 7. & 8. Ergo fuit verus homo. 2. Christus mortuus est in cruce: Ergo fuit verus homo.

Antix. Ex ℣.7. Notandus error Marcionitarum; qui verbis Pauli, quòd Christus factus seu constitutus fuerit in similitudine hominum, abusi sunt ad negandum veritatem

tem

tem naturæ humanæ Christi. Sed hîc Paulus *Similitudinem* non opponit veritati, sed eam refert ad simile. Non enim propositum ei est docere, qualis fuerit natura humana Christi; sed qualis fuerit Christus in statu humiliationis, videlicet quòd inter alia etiam similes affectiones, quales cæteri homines sustinent, perpessus sit, tum animæ cùm corporis. Et sic veritatem naturæ humanæ Christo potiùs asserit quàm negat ac destruit.

Ex ℣. 9. *Quapropter etiam &c.* Ex his verbis veteres Ecclesiæ doctores (quos Patres nominant) observarunt atq; tradiderunt,* Christum nō solùm nobis, sed etiam sibi vitam æternam seu beatitudinem illam cælestem promeruisse. Id quod mihi quidem & rectè ex his Apostoli verbis colligi & sacris literis nō adversari videtur. Etsi n. non opus fuit, Filium Dei de cælo descendere, ut sibi acquireret quicquam novi: tamen id non videtur obstare, quo minùs posteaquam jam descēdisset, & homo factus esset, sibi quoq; ut homini beatitudinem illam cælestem promeruerit. Nec sequitur, si mortuus est Filius Dei ut vitam æternam promereretur iis qui ipsi dati erāt à Patre: non etiam hoc consilio mortuum esse, ut sibi quòq; tanquam illorum capiti, eandem vitam promereretur. Hoc tamen interest: quòd illis per obedientiam suæ mortis, & quidem solius, promeritus est primò omnium remissionem peccatorum, deinde verò donationem Spiritus sancti, tum deniq; vitam æternam; eamque tum quoad principium in hac vita, videl. gustum illum favoris Dei, tum quoad plenam fruitionem post hāc vitam in cælo: Sibi verò ipsi nō opus habuit promereri vel remissionem peccatorum, quia peccata nulla habuit; vel donationem Spiritus sancti, quia unctus illo fuit inde ab utero: sed tamen promeritus sibi est beatitudinem illam cælestem & gloriam, idq; totâ obedientiâ suâ quam Patri præstitit: sicut hoc loco Apostolus docet.

Ex ℣. 10. De ceremonia genu-flexionis, cùm pronuntiatur nomen Jesus. Videtur hujus ceremoniæ occasio sumta ex hoc loco, ubi dicit Paulus: Christo donatum esse tale nomen, *ut in nomine* Jesu *se flectat omne genu.* Sed mens Pauli non est, quòd quoties pronuntiatur no-

dicta

* *Idem tradit Bullingerus in Apocalyps. serm. 27. & 28. Item Zanchius de Relig. Christ. præfat. ad Lectorem.*

dicta

men Jesu, genu flecti debeat, quasi ipsum illud nomen tantæ sit dignitatis: Sed per NOMEN, intelligit gloriam; cujus gloriæ agnitione vult Christo exhiberi omnem reverentiam & cultum, quem notat per genuflexionem, quo ritu reverentia exhiberi solet. Nam quòd non præcisè genuflexionem postulet: monet ipsa rei natura: vult enim etiam Angelos & Diabolos genu flectere; qui tamen propriè loquendo id facere non possunt; cum sint spiritus, ac proinde incorporei.

ἀπ. λύσ. Ex ℣. 12. Quæri hîc potest, Num Paulus sibi ipse contradicat, qui hîc jubet Philippenses *salutem suam operari*. cùm tamen alibi doceat, Salutem nō operando acquiri, sed donari credentibus? Respondeo: Certum est, Apostolum sibi ipsi non scribere contraria: scripsit enim quæ suggessit Spiritus sanctus; qui labi aut errare non potest; quum sit spiritus veritatis. Deinde certum est, non tantùm ex scriptis Pauli, sed etiam ex totius Scripturæ consensu, salutem non acquiri meritis operum, sed donari per fidem. Notandum igitur, Apostolum hîc verbo *Operandi* uti generaliter, ita ut etiam fidei operationem cōprehendat. Similiter vocabulo *Salutis* totum vocationis cursum comprehendit: Notat enim decursum quasi quendam mediorum eorum, quibus ad salutem tanquam metam tenditur. Monet quippe, ne cursum vocationis impediant contentionibus, pertinaciâ & arrogātiâ, sed ut cum timore & tremore in cœpto cursu ad finem usque pergant. Hanc interpretationem confirmant verba quæ immediatè sequuntur: *Nam Deus est is qui efficit in vobis, & ut velitis & ut efficiatis. Velle* enim est spei, & respicit finem vocationis qui est salus; *efficere* autem est fidei & charitatis seu novæ vitæ: quæ sunt tanquam media, quæ ad hunc finem ducunt. Media autem quum dico, ordinem à Deo institutum indico: meritivim nullam mediis illis adscribo.

ibid. Ex ℣. 13. DEUS, salutis nostræ causa & procreans & conservans est; qui primùm dat ut velimus, hoc est, ut salutem expetamus, ut justitiam esuriamus ac sitiamus, peccata nostra seriò agnoscamus & doleamus: deinde dat etiam ut efficiamus, hoc est, ut credamus in Christum

ſtum ſalutis noſtræ authorem, juſtitiæ donatorem, peccati expiatorem: item ut ex fide per charitatem bene operemur, carnem cum ſuis cõcupiſcentiis mortificemus, in novitate vitæ ambulemus, deniq; ut crucem patiẽter toleremus, donec tandem per tribulationes in regnum Dei intremus & cum Chriſto glorificemur. Porrò ſi ſolus Deus is eſt, qui in nobis hæc omnia efficit; ſequitur nos ex nobis ipſis, hoc eſt, ex naturalibus noſtris viribus nec velle ſalutem nec efficere quæ ad illam pertinent. id quod paſſim confirmat Paulus, ut 2. Cor. 3. Non ſumus idonei cogitare quicquam &c. 1. Cor. 2. Animalis homo non capit ea quæ ſunt ſpiritus &c. Et Chriſtus Johan. 6. Nemo poteſt venire ad me &c. Johan. 16. Sine me nihil poteſtis facere. Uſus hujus doctrinæ eſt, ut humiliter agnoſcamus DEI gratiam, & cũ timore faciamus vocationis officium, nec niſi in DOMINO gloriemur. ἔλ. παιδ.

Ex ℣. 15. Pii bonâ conſcientiâ vivere poſſunt in mundo, etſi is totus in malo eſt poſitus, 1. Joh. 5. ℣. 19. Pii enim ex Deo ſunt, & non ex mundo: Johan. 15. ℣. 19. Sic apud Sodomitas homines nequiſſimos Lot cum ſua familia vixit purus & impollutus, de quo Petrus 2. Petri 2. ℣. 7. 8. Jam verò ſi quis bonâ conſcientia vivere poteſt in medio nationis pravæ; ſequitur, monachos non juſtam prætendere cauſam, ſe ideò in monaſteria concedere, ut relinquant mundum, ne ſcilicet mundi converſatione contaminentur. Quam ob cauſam olim Eremitę in locis deſertis degebant. Sed licitum eſt uti mundo hoc, dummodo non abutamur, ut monet Paulus 1. Cor. 7, ℣. 13. Item Rom. 12. ℣. 2. cavendum monet, ne configuremur ſeculo huic, id eſt, ne nos accommodemus ad conſuetudinem & mores hujus ſeculi. διόλ. ἔλ.

Ex ℣. 16. Inſigne epitheton Evangelii eſt, quod dicitur *Sermo vitæ*, quo notatur ejus vis & efficacia in animis audientium amplectentium q̃; Nam dicitur ſermo vitę, id eſt, vivificus, qui vitam affert credentibus. Vide ſimila loca Johan. 6. ℣. 68. Rom. 1. ℣. 16. διόλ.

2. Exemplum Pauli monet, miniſtris Eccleſiæ in officio ſuo currendum eſſe, hoc eſt, inſtar curſorum conten- παιδ.

dendum & elaborandum; in quo & alacritas & ſtudium atque diligentia requiritur.

διδ. Ex ℣. 17. Sacrificia & victimæ miniſtrorum Eccleſiæ novi Teſtamenti nō ſunt pecudes, ut in V. T. Nec etiam fictitia & idololatrica Pontificiorum Miſſa; ſed hoſtiæ vivæ, nimirum homines fideles. Quod etiā docet Paulus Rom. 15. ℣. 15. & 16. Item 12. cap. ℣. 1. hortatur fideles, ut ipſi præbeant corpora ſua hoſtiam viventem.

διδ. 2. Singularis eſt honor eximiaq; gloria, propter pro-
παρ. feſſionem & confeſſionem doctrinæ cæleſtis ad ſupplicia rapi. Inde enim eſt, quòd Paulus hoc nomine tātopere teſtatur ſuum gaudium, quodq; eandem ob cauſam etiam Eccleſiam gaudere vult, nimirum quòd ipſum tāto honore dignetur Deus, ut velit eum ſuo ſanguine veritatem doctrinæ cæleſtis obſignare. Sic Actor. 5. ℣. 41. Apoſtoli virgis cæſi, gaviſi ſunt. Ad hujuscemodi gaudium hortatur CHRISTUS Matth. 5. ℣. 10 & 11.

παιδ. Ex ℣. 19. Quicquid nobis ad agendum proponimus aut facturos nos ſperamus, id totum à volūtate Dei ſuspendendum eſt; non autem certò nobis promittendum, ac ſi in noſtris viribus poſitum eſſet. Vide Jac. 4. ℣. 13. 14.
παιδ. 15. 16. 2. Chriſtiani pro ſe mutuò ſoliciti eſſe debent, & cum gaudentibus gaudere. Rom. 12. ℣. 15.

ἐπ. Ex ℣. 21. Sua quærere, vitium eſt in miniſtro. Sed ob-
ἀπ. λύσ. jicitur: Ergóne non licet miniſtro acquirere facultates quibus alat familiam, quásve in hæreditate relinquat liberis? Cur ergo alibi dicit Paulus, Qui ſuæ domui præeſſe non novit, quomodo Eccleſiam Dei curabit? 1. Tim. 5. ℣. 5. Reſp. Non reprehēditur hîc ſimpliciter omnis cura rei familiaris, ſed talis quæ animum penitus occupet; quæve tantam, quanta requiritur, Eccleſiæ curam gerere non ſinat. Perſtringit enim Paulus eos qui ita ſua quærunt, ut inſtitutionem Eccleſiæ negligant. Quod autem ad citatum Pauli locum attinet; ſciendum, Paulum ibi non loqui de ſolicitudine acquirendarum facultatum, ſed de ſolicitudine & cura educandæ in honeſta diſciplina familiæ; id quod contextus apertè oſtendit:

παρ. 2. Cùm hodie videmus multos Eccleſiæ miniſtros ſua quærere, hoc eſt, avaros & ambitioſos eſſe, non debemus

mus tantopere offendi: quippe cùm audiamus, etiam ætate Pauli, aureo scilicet illo seculo Ecclesiæ, tam raros fuisse verè cordatos ac fideles Ecclesiæ ministros.

Ex ℣.22. Exemplum Timothei omnibus juvenibus Ecclesiæ ministris ad imitandum propositum esse debet; exemplum, inquam, modestiæ & reverentiæ erga collegas majores natu; ut nimirum eis sese tãquam filios humiliter submittant. Huc pertinet illud Levitici 19. ℣.32. Coram cano capite assurgito. item 1. ad Timoth. 5. ℣.8. Seniorem ne increpato. mod.

Ex ℣.25. Cõditio ministrorum Ecclesiæ ejusmodi est, ut in continua militia versentur: hostem enim habent Satanam, qui ipsos nõ patitur Evangelium absq; pugna promovere. Bellum igitur indictum illis ac paratum, qui ad Ecclesiæ ædificationem se accingunt. Et quanquam merere in Christi castris, omnibus Christianis commune est, quia omnium hostis est Satan: tamen præ aliis speciale est ministris Verbi, qui ordines ducunt & vexillum præferunt. Et quidem præcipuè stipendia sua jactare libuit Paulo, qui omni genere præliorum ad miraculum usque exercitatus fuit, ut videre est 2. Cor. 11. ubi pugnarum suarum prolixum catalogum recitat. mod.

2. Quòd Paulus tantopere commendat Timotheum & Epaphroditũ; docet, fideles Ecclesiæ ministros in pretio & honore habendos; quod etiam hîc expressè dicit. mod.

Ex ℣.27. Quòd Apostoli non sanaverint ægrotos, aliáve miracula ediderint propriâ virtute ac pro suo arbitrio: argumẽto esse potest, quòd Paulus (ut ex hujus versiculi verbis apparet) non potuit sanare Epaphroditum, quem tamen sanatum maximè cupiebat. mod.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Sequitur quarta pars epistolæ, ubi eos monet ut sibi caveant à falsa doctrina pseudapostolorũ, qui justitiam Legis cum justitia fidei pernicioso errore miscebant: quibus suum ipsius exemplum, tanquam veri ac sinceri apostoli, opponit; & ad illud imitandum hortatur.

QUod supereſt, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem ſcribere vobis, me quidem haud piget; vobis autem tutum eſt.

2 Cavete canes, cavete malos operarios, cavete conciſionem.

VErſu 1. præmiſsâ generali exhortatione ut gaudeant in Domino: transit ad ſequentem ſpecialem commonefactionem per prolepſin, qua diluit vitium in docendo, quod vocatur Ἐπιλογία, id eſt vitioſa atq; tædioſa ejusdem doctrinæ iteratio. Oſtendit, hanc iterationem non debere Philippenſibus tædioſam eſſe: 1. quia ſibi ipſi non ſit tædioſa. 2. quia eos reddat tutos.

Verſu 2. proponit ipſam commonefactionem: ubi pſeudapoſtolos primùm nominat *canes*, propter impudentiam, qua falſam doctrinam de juſtitia operum Eccleſiæ Chriſti profano latratu obtrudebant; tum etiam propter caninos morſus, id eſt, convitia quibus Paulum aliosq; ſinceros Evangelii doctores impetebant. Deinde nominat eos *malos operarios*, ut qui infideliter laborarēt in vinea Domini: ubi ipsâ voce ſimul perſtringit falſam eorum doctrinam, quaſi ſcilicet homo operum ſuorum meritis coram Deo juſtificetur. Poſtremò vocat eos *conciſionem*, tanquam vocaret circumciſionem, id eſt, circumciſos: qua appellatione innuit, falſos illos doctores eſſe ex circumciſis, id eſt Judæis: & docere, circumciſionem adhuc eſſe neceſſariam, atque adeò vi circumciſionis ſalutem homini contingere: & hanc doctrinam eſſe & ipſis & Eccleſiæ Chriſti noxiam, quippe qua & ſeſe & alios ab Eccleſia reſcinderent. Ex his jam perſpicitur, nominibus iſtis contineri argumēta dehortationis partim à turpibus adjunctis pſeudapoſtolorum, partim à noxiis effectis. quaſi dicat: Nolite auſcultare pſeudapoſtolis, qui docent, hominem juſtificari circumciſione aliisq; operibus Legis: nolite inquam eis auſcultare; nam ſunt profani latratores & mordaces convitiatores: ſunt mali operarii: deniq; conantur vos ab Eccleſia Chriſti reſcindere.

3 Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus

ſervimus DEO, & gloriamur in Chriſto Jeſu, nec confidimus in carne.

Verſu 3. gloriationi pſeudapoſtolorum, qui gloriabãtur in circumciſione carnis: quaſi propterea placerent Deo, opponit gloriationem in circumciſione cordis, quę nos verè Deo commendat: qua ſcilicet Deus per Spiritum ſanctum propter Chriſtum circumcidit corda fidelium: ſicut promiſit Deut. 30. hoc eſt, reſecat ex cordibus pravos affectus, ut puritate vitæ Deo ſerviant. *Nos*, inquit: nempe qui in Chriſtum credimus, & illius ſolius merito ſervari cupimus. *Sumus circumciſio*, id eſt, verè circumciſi. *Qui Deo ſervimus Spiritu.* Vocabulum *Spiritus* poteſt intelligi vel de animo, ut opponatur carni, in fine verſus: ſicut etiam accipitur in dicto illo Chriſti Johan. 4. Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu. Aut poteſt intelligi de Spiritu ſancto, tanquam circumciſionis iſtius authore atque effectore. *Gloriamur in Chriſto Jeſu.* Scilicet tanquam unico noſtro ſervatore, ſeu ſalutis noſtræ authore. *Nec confidimus in carne.* id eſt in rebus externis: qualis eſt circumciſio carnis.

4 Quanquam ego habeo de quo confidam etiam in carne. Si quisquam alius videtur *ſibi* confidere poſſe in carne, ego maximè *videor.*

5 *Quippe* circumciſus octavo die, ex gente Iſraëlis, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, religione Phariſæus:

6 Quod ad zelum *attinet*, perſequens Eccleſiam: quod ad juſtitiam quæ eſt in Lege, irreprehenſibilis.

Verſu 4. per quandam correctionem inſtituit commendationem ſuiipſius ab adjunctis externis, ubi ſe pſeudapoſtolis illis anteponit. Illa autem adjuncta & tãquam privilegia ſeu prærogativas commemorat ℣. 5. & 6. Talis gloriatio Pauli exſtat etiam 2. Cor. 11. & 12. Ubi notandum, Apoſtolum nõ gloriari de iſtis rebus ex ambitione, ſed quadam neceſſitate retundẽdi ambitionem

pseudapostolorum qui se super eum efferebant: & præterea consilio eximendi Philippensibus falsam opinionem de rebus istis externis, quasi hominem Deo commendarent: quippe quum videant, Paulum eas non curare, quantumvis iis excelleret.

7 Sed quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damnum *esse*.

8 Quinetiam certè duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei: propter quem omnibus istis meipsum multavi, *eaq;* duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam;

9 Et comperiar in eo, non habens meam justitiam, *nempe* quæ est ex Lege; sed eam quæ per fidem est Christi, *id est*, justitiam *quæ est* ex Deo per fidem.

Versu 7. & deinceps gloriationi suæ opponit elevationem, qua prærogativas illas suas, ac nominatim justitiam Legalem elevat, idq; collatione cognitionis Christi & justitiæ fidei, tanquam bonorum longè majorum ac de quibus longè magis glorietur. Porrò hanc imparium collationem amplificat verbis emphaticis per antithesin contrariorum, dum privilegia illa sua vocat damna & stercora: contrà autem cognitionem Christi nominat rem eminentem & lucrum: ℣. 8. Tum ℣. 9. justitiæ Legis opponit justitiam Evangelii seu fidei. Justitia Legis, est qua justus à Deo cēsetur qui ex viribus suis perfectam Legi præstitit ac præstat obedientiam. Hæc homini in hac vita impossibilis est. Itaque de ea falsò gloriabantur pseudapostoli. Justitia fidei, est qua justus à Deo censetur qui credit in Christum: sive qui credit promissioni Evangelii, qua Deus promisit remissionem peccatorum credentibus in Christum, hoc est iis qui Christo confidunt tanquam peccatorum suorum expiatore, qui ea expiaverit sacrificio mortis suæ. Hæc justitia est ex Deo, id est à Deo: quia à Deo donatur credentibus, ac per fidem impu-

imputatur, obedientia illa Christi, mortem pro ipsis gustantis, atque ita pro eis satisfacientis, luendo pœnam ipsis debitam.

10 Ut cognoscam eum, & vim resurrectionis ejus, & communionem perpessionum ejus, dum conformis fio morti ejus:

12 *Experiens* ecquo modo perveniam ad resurrectionem mortuorum.

V. 10. pergit extollere cognitionem Christi: eamq; declarat ex nobili & salutari effectu, videlicet communione cum Christo: quam ipsam communionem per duas partes explicat, nempe cõmunionem cum Christo moriente; & cõmunionem cum Christo excitato: quas partes Apostolus ordine inverso proponit: simulque innuit communionis illius beatæ effectorem, nempe Spiritum sanctum; qui ut corpus Christi ex morte ad vitam cælestem excitavit: sic etiam animas Electorum ex morte spirituali ad vitam spiritualem, seu ex peccato ad studium veræ pietatis, excitat. Hanc vocat vim resurrectionis Christi: de qua vide etiam Ephes. 1. versu 19. & 20. item Roman. 6. ℣. 4. 5. & deinceps. Cæterùm communio credentium cum Christo moriente, cõsistit partim in mortificatione carnis, ut ex locis modò citatis intelligitur; partim in tolerantia crucis, de qua Rom. 8. ℣. 17. Similiter communio cum Christo excitato, consistit partim in vivificatione spiritus, partim in gloria cælesti: ut ex iisdem locis perspicitur. Resurrectionem mortuorum ℣. 11. intelligit gloriam cælestem & vitam æternam, ad quam Christus excitatus est, quæque credentibus ex morte excitatis à Deo continget.

12 Non quòd jam *metam* apprehenderim, aut jam perfectus sim: sed persequor, *experiens* an quoque apprehendam; cujus etiam rei causâ apprehensus fui à Christo Jesu.

13 Fratres, ego meipsum non arbitror *metam* apprehendisse.

14 Unum autem *ago*: ea quidem quæ à tergo sunt obliviscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens, scopum versus feror ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

V. 12. occurrit opinioni perfectionis; ne quis putet, eum sibi attribuisse perfectam cum Christo communionem. Fatetur igitur, se perfectionem nondum adeptum esse: ac interim profitetur, se perfectioni adipiscendæ assiduo conatu studere: facultatem autem adipiscendi non suis viribus vendicat, sed gratiæ & virtuti Christi acceptam fert. Quam sententiam vers. 13. & 14 per ἐπιμονὴν id est commorationem, pluribus verbis declarat: & similitudine eorum qui in stadio currunt, illustrat: Similem locum vide 1. Cor 9. V. 24 & deinceps.

15 Quotquot itaq; perfecti *sumus*, hoc sentiamus: quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus reteget.

16 Attamen *in eo* ad quod pervénimus, eâdem incedamus regulâ, & eodem animo simus affecti.

Hortatur Philippenses ut sententiæ à se expositæ assentiâtur: & per prolepsin locum relinquit ampliori patefactioni Dei.

17 Estote simul imitatores mei, fratres, & eos considerate qui ita incedunt sicut habetis nos pro exemplari.

18 Multi enim incedunt, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes *esse* crucis Christi.

19 Quorum finis *est* exitium: quorum Deus *est* venter, & gloria in confusione ipsorum; qui terrestria curant.

V. 17. hortatur eos ad imitandum suum exemplum, aliorumque sibi similium.

V. 18. & 19. opponit sibi, tanquam valde dissimiles, pseud-

pseudapostolos; atque ita tacitè monet, eos esse cavendos. Vocat eos *hostes crucis Christi:* sive quòd doctrinam Evangelii de Christo crucifixo irriderent: sive quòd crucem fugerent quæ sinceros Evangelii doctores premebat. Ait, *ventrem esse Deum ipsorum*: id est, instar Dei ab ipsis coli, dum scilicet dediti sint voluptatibus quas homines voluptarii ex ventris repletione, seu cibi ac potus ingurgitatione, percipiunt. Ait, *gloriam ipsorũ esse in confusione*, hoc est, ipsos gloriari in malitia sua, propter quam potiùs confundi atque erubescere debebant. Postremò ait; *eos curare terrestria*, id est, nihil aliud spectare quàm vitæ hujus commoda; ut voluptates, honores, opes.

20 Nos autem ut municipes cælorum nos gerimus: unde etiam Servatorem exspectamus Dominum Jesum Christum.

21 Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori ejus glorioso, pro efficacitate qua potest etiam subjicere sibi omnia.

V. 20. pseudapostolis vicissim opponit se omnesque fideles Ecclesiæ doctores; qui neglectis terrestribus, in cælum toti aspirent: cui sententiæ consolationis gratiâ subjungit expositionem læti evẽtus: sicut antea expositerat tristem eventum pseudapostolorum. Illorum finis, inquiebat, est exitium: at fidelium doctorũ finis est gloria cælestis, quâ abundè compensabitur miseria quam nunc in corpore suo sustinent Christi causâ. Gloriam autem istam cælestem declarat ex causa efficiente & forma. Efficiens est Christus: forma, conformitas cum glorioso corpore Christi. Illustrat quoque istam gloriam antithesi præsentis humilitatis, id est, miseriæ atque ignominiæ, cui corpus sanctorum in hac vita subjectum est.

SCHOLIA IN CAP. III.

4 Quanquam ego habeo. καίπερ ἐγὼ ἔχων. *Vel* ἔχων *ponitur pro* ἔχω, *more Hebraorum: vel pro* ἔχοντος ἐμοῦ. *Quan-*

quam equidem non memini exemplū, ubi post καίπερ sequatur & abeo regatur verbū indicativi modi. De quo confidam. πεποίθησιν. *Ad verb. Fiduciam. Metonymia adjuncti.*

5 Circumcisus octavo die. ὀκταήμερος. *Videtur hoc loco vel esse ellipsis horum verborum,* ὃ ἐστιν: *Vel potiùs pro nominativo* περιτομὴ *legendum* περιτομῇ, *casu dativo. tunc enim sequentia enumerationis institutæ membra quàm planissimè cohærent. Sonat autem istud, Circumcisione octiduanus. Apud Syrum est, Circumcisus filius octo dierum, id est, natus octo dies, ut elegãter Tremellius vertit.* περιτμὴ *igitur erit pro* περιτμηθεὶς, *duriusculâ* ἀναλογίᾳ.

12 Non quòd. ἔχω ὅτι. *Est quædam correctio, quasi dicat, Quod dixi, me experiri ecquo modo perveniam ad resurrectionem mortuorum: non dixi, quòd existimem me jam ferè eò pervenisse, &c.* Perfectus sim. τετελείωμαι. *Scilicet in communione cum Christo, cujus mentionem fecit v. 10.* Apprehensus fui. *Præcessit,* Apprehendam. *Est igitur anantaclasis: quali & alibi utitur Apostolus in verbis* γινώσκειν & γνῶσις, *ut 1. Cor. 13. 12.*

14 Unum autem *ago.* ἓν δέ. *Subaudiendum,* πράττω. *ut supra cap. 2. v. 3.* Ad palmam. ἐπὶ τὸ βραβεῖον. *Vel, præmium: ut 1. Corinth. 9. 24. Quanquam & illic potiùs palma vertendum videtur. Nam nomen præmii generale est: at* βραβεῖον (*ait in annotationibus suis Erasmus ad locum citatum*) *propriè est præmium quod datur certantibus ac vincentibus. Existimant enim dictum* βραβεῖον *quasi* ῥαβδεῖον, *commutatis ac translatis duabus literulis: propterea quòd certaminum judices datâ virgâ palmeâ (nam* ῥάβδος *virgam significat) designarent victorem.*

15 Perfecti. τέλειοι. *Id est, adulti in Christianismo. Quibus opponuntur* οἱ νήπιοι, *id est, infantes in Christo; Hebr. 5. v. 13 & 14. 1. Cor. 3. v. 1. item cap. 14. v. 20. Eph. 4. v. 13. & 14.* Aliter. ἑτέρως. *Videtur hoc positum pro* ἕτερον, *id est, aliud. nempe aliquid sublimius quàm ego jam docui. nam v. seq. addit,* πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν: *quo verbo notat aliquid magnum quod jam adepti sint: interim tamen fatetur posse aliquid esse sublimius, quod nondum sint adepti, quodque eis nondum sit revelatum. Porrò istius enallages exemplum reperitur apud Homerum in Margite, ubi ait:*

τὸν

τὸν δ' οὐδ' ἄρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν, οὔτ' ἀροτῆρα,
οὔτ' ἄλλως τι σοφόν.

Quem locum Aristoteles lib. 6. Ethic. Nicomach. cap. 7. allegans, metalepsi utitur, inquiens, ἄλλο τι σοφοὺς.

16 Incedamus. στοιχεῖν. *Pro* στοιχῶμεν. *Est enim phrasis Græca* ἐλλειπτικὴ, *subaudito verbo* δεῖ, *oportet.* Et eodem animo simus affecti. τὸ αὐτὸ φρονεῖν. *Vel, Et eundem geramus affectum: ut sup. cap. 2. v. 2.*

19 Qui terrestria curant. οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, *Qui rebus terrenis dediti sunt.*

20 Nos autem. ἡμῶν γὰρ. *Vel, At nos. Pro,* ἡμῶν δὲ. *Est enim antithesis præcedentium.* Ut municipes cælorum nos gerimus. ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. *Ad verb. Nostra civilis vita in cælis est. Lutherus benè expressit,* Unser wandel ist im himel. *Sic etiã suprà cap. 1. v. 27. verbum* πολιτεύεσθαι *generali sensu accipitur de moribus & actionibus externis.* Unde ἐξ οὗ *scilicet* τόπου. *Secus dicendum fuisset,* ἐξ ὧν. *scilicet* οὐρανῶν. *Hinc perspicitur, nomine cælorum notari certũ locum. Similiter usurpatur particula* οὗ *Matth. 2. v. 9. ubi dicitur de stella quæ apparuit Magis:* ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον. οὗ, *scilicet* τόπου. *id est,* ἐπάνω τοῦ τόπου ἐν ᾧ ἦν τὸ παιδίον: *Supra locum in quo erat puerulus.*

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Ex ℣. 1. Gaudere debemus in Christo, quia noster est; ac proinde nostra est ejus victoria, qua vicit mortem, peccatum & Diabolum. Ad hunc modum consolatur Christus ipse discipulos Joh. 16. ℣. ult. Sic Luc. 10. ℣. 20. Nolite gaudere, &c. Col. 3. ℣. 17. Quicquid egeritis, &c. παρ.

2. Officium doctorum Ecclesiæ est, ut doctrinam necessariam sæpe repetant, quia id utile est auditoribus. παιδ.

3. Agnoscere debemus, mentem nostram adeò esse vanam, ut delectemur varietate & novitate doctrinæ, & res consuetæ quantumvis utiles apud nos vilescant, non secus ac olim Israëlitæ panis illius cælestis in deserto pertæsi fuerunt. Oremus igitur Dominum ut nobis gustandam det suavitatem doctrinæ cælestis, ut dicamus cum Petro, Quò iremus? verba vitæ æternæ habes. Joh. 6. διδ. παιδ.

Ex ℣. 2. Cavendi sunt falsi doctores: quia sunt canibus παιδ.

διαθ. similes. Nam quemadmodum canes sunt voraces, ita isti sunt avari; quippe quorum DEUS est venter. Deinde, quemadmodum canes latrant; ita istorum doctrina nil nisi molestus quidam latratus est, quo aures piorum obtundunt. Tertiò, quemadmodum canes mordent: ita isti non solùm convitiis mordẽt pios doctores, sed etiam falsâ suâ doctrinâ lethales morsus infigunt animis simpliciorũ. Quæ omnia cùm vitiosa sint, cavenda sunt doctori Ecclesiæ. Contrà autem discendum à canibus id quod in eis laudabile est, nimirum quòd adhibentur ad custodiam, ut latratu prodant furem. Sic Dominus per Esaiam 56. cap. exprobrat prophetis & doctoribus populi Israëlitici, quòd sint canes muti, qui non valeant latrare. Doctor igitur Ecclesiæ nõ debet esse canis mutus: sed debet validè latrare, si fures, hoc est, falsi doctores hæreditatem Domini, quæ est Ecclesia, invadunt.

διαθ. 2. Spiritus sanctus in suis organis, Prophetis & Apostolis, non semper refugit lepôrem & facetias, à quibus tamẽ scurrilitas abest indigna ejus majestate. Nam quòd

ἀπ. λύσ. alibi Paulus Christianis interdicit εὐτραπελίαν, urbanitatem & facetias; judicandum est, Paulum de scurrilitate & ineptiis sermonis loqui, quæ facetiarum & lepôris p̃textu sæpe teguntur. Similia exempla vide Galat. 5. ℣. 12. Esa. 5. ℣. 7. Proverb. 25. ℣. penult. Of. 4. ℣. 15.

διαθ. Ex ℣. 3. Circumcisio cordis duas habet partes: Est enim abscissio peccatorum per remissionem & renovationem cordis: quarum illa est perfecta. Nam Christus propter nostra peccata è numero viventium excisus, adduxit nobis justitiam æternam: Danielis 9. Altera est inchoata, quia in regeneratis hærent reliquiæ peccati. Rom. 7. Johan. 15. ℣. 2.

ἀπ. λύσ. 2. Quæstio: Cur circumcisio est abolita, cùm tamen fuerit sigillum justitiæ fidei? Rom. 4. ℣. 11. quæ justitia nobis est cum Israëlitis veteribus communis. Resp. Abolita est, quia erat sigillum justitiæ adducendæ per venturum semen, Abrahæ p̃missum. Justitiâ igitur jam adductâ, circumcisio cessat. Deinde, quia obligavit ad obedientiam totius Legis, atque ita etiam ceremoniarum: quæ erant typi Christi, ac proinde per adventum Christi

sunt

sunt abolitæ. Vide Gal. 3. ℣. 23. 24. 25. & cap. 4. ℣. 1. 2. 3. 4. 5.

3. Nullâ re externâ confidendum, ac ne sacramentis quidem, quatenus nimirum actiones externæ sunt: quia sacramenta non sunt instituta ut nos justificent, sed ut nobis testẽtur, unicam obedientiam mortis Christi nobis ad justitiam per fidem imputari. Abutuntur igitur Sacramentis qui eis remissionem peccatorum affigunt, eamque in ipsis quærunt. Et isti ex Sacramentis idola faciunt, quippe per quæ à Christo abducuntur. πανδ. ἐπ.

Ex ℣. 4. 5. & 6. Piis doctoribus licet commemorare dona Dei externa in se collata, quatenus opus est ad retundendum vanam jactantiam aut calumnias falsorum doctorum. Vide 2. ad Cor. 11. & 12. ἀπ. λύσ.

Ex ℣. 7. 8. & 9. De justitia Legis & Evangelii seu operum & fidei; quam utramque in Analysi explicavimus. διαλ.

Ex ℣. 8. *Domini mei.* Fidei ingenium est, ut sibi privatim applicet promissionem gratiæ omnibus credentibus communem. Sic ad Gal. 2. ℣. 20. Qui dilexit *me*, &c. διαλ.

Ex ℣. 10. & 11. Vera cognitio Christi seu fides Christiana est, quæ ex se parit studium pietatis: cujus partes sunt mortificatio carnis & vivificatio spiritus. Rom. 6. ℣. 4. 5. διδ.

2. Studium pietatis non oritur ex viribus liberi arbitrii, sed ex vi Spiritus sancti eâdem, qua is excitavit corpus Christi, Eph. 1. ℣. 19. & 20. διδ.

3. Cùm propter Christum & confessionem veritatis cælestis affligimur, consolemur nos inter alia his duobus argumentis: uno, quòd ita communionem habemus cum perpessionibus Christi & cõformamur ipsius morti: quæ certè magna est dignitas, Filium Dei socium habere perpessionum suarum: altero, quòd certò perventuri simus ad resurrectionem mortuorum, id est, quòd cõformabimur Christo in resurrectione & gloria. Vide 2. Tim. 2. ℣. 11. 12. Rom. 8. ℣. 17. 1. Pet. 4. ℣. 13. παρ.

4. Qui expetit communionem gloriæ Christi, atque conformari cupit Christo excitato atque glorificato, is non debet recusare, ut priùs habeat communionem perpessionum Christi, & conformetur Christo mortuo & sepulto; quippe cùm Deus ita ordinârit, ut illa hanc an- πανδ.

tecedat. Vide 2. Timoth. 3. ℣. 12. Actor. 14. ℣. 22.

Did. 5. Vera felicitas, ad quam tanquam metam & finem bonorum totâ nostrâ vitâ tendere debemus, est resurrectio mortuorum, hoc est, gloria cælestis & gaudia vitæ æternæ, quibus omnes pii ex perfecta communione cum Deo fruentur.

Did. Ex ℣. 12. 13. 14. 15. & 16. Exempo Pauli docemur, cognitionem CHRISTI quam habent sancti in hac vita, ac proinde communionem cum ipso, imperfectam esse. Unde continuo profectu nobis opus est. Primùm enim quod ad potentiam resurrectionis Christi attinet, superat illa omnem intellectum humanum. Hinc enim est quod Paulus Eph. 1. ℣. 19 & deinceps Ephesiis precatur, ut DEUS eis det spiritum sapientiæ & revelationis, ut hanc possint agnoscere. Deinde verò quod ad communionem afflictionum, hoc est, mortificationem carnis & hominis externi attinet, ea quoque imperfecta est propter inhabitans in nobis peccatum, Rom. 7. De priori imperfectione loquitur etiam Apostolus 1. Corinth. 13. ℣. 9. & deinceps.

mihi. 2. Christianis perpetuo conatu elaborandum est in studio pietatis, ut in ea proficiant quotidie magis ac magis, & tandem ejus perfectionem & fructum consequantur. Quo quidem in conatu ita se gerere debent, ut faciunt cursores qui in stadio currunt: illi enim ubi semel currere cœperint, rectà ad scopum seu metam contendunt, non respectantes quantum spatii jam currendo transmiserint, sed solummodò prospectantes quantum adhuc conficiendum sit reliquum. Ita Christiani ubi semel in carceres Ecclesiæ ingressi, currere cœperint in cognoscendo Christo & piè in Christo vivendo, rectà ad scopum seu metam, nimirum pietatem Deo placentem, contendere debent; non respectare quantum jam in pietate profecerint, sed prospectare tãtùm, quàm longè adhuc à perfectione absint. Porrò ad hoc studium pietatis excitare nos debet præmiũ, quod eos manet qui strenuè cucurrerint, & cursum suum alacriter consummaverint. Illud præmium est vita æterna cũ gloria cælesti conjuncta. Ita hîc Paulus dicit, se cursu suo tendere ad palmam

supernæ

supernæ vocationis Dei, id est, ad gloriam illã cælestem, ad quam Deus vocat omnes electos. Etenim, ut electionis, ita etiam vocationis finis est gloria cælestis. Rom. 8. ℣. 29. & 30. De hoc pręmio vide etiam 1. Cor. 9. ℣. 24. &c. 2. Tim. 4. ℣. 7. & 8. 1. Tim. 4. ℣. 8.

3. Christus solus is est, in quo & propter quem nobis omnia à Deo Patre cælesti beneficia cõtingunt. Nam sicut hoc loco Paulus testatur, Deũ nos vocasse in Christo; ita alibi testatur, in Christo nos elegisse, justificare, glorificare, denique omnis generis beneficiis nos afficere. Eph. 1. ℣. 3. &c. διδ.

4. Quid faciendum sit iis qui in doctrina cælesti aliquid non assequuntur, nempe exspectandum illis esse revelationem Dei: DEUS enim non omnes vocat ad sui agnitionẽ eâdem horâ. Paulus hîc præscripserat certam quandam & ritè sapiendi & bene vivẽdi regulam, nimirum cognitionẽ Christi talem, qua & cognoscatur potentia resurrectionis ejus, & communicetur ejusdem afflictionibus. Hanc regulam dubitat an Philippenses omnes æquè amplexuri sint. Verùm si qui amplexuri forte non sint, monet ut exspectent revelationem Dei. Unde sequitur, pertinaciam in ignorantia & errore vitandam esse. Ubi simul & hoc discendum, tolerandam esse ad tempus ignorantiam in fratribus infirmis, & ignoscendum esse, si non statim datum sit penitus nobis rectè sentientibus subscribere: exemplo Pauli, qui licet certus esset de sua doctrina, tamen qui nondum eam poterant percipere, iis dat proficiendi spatium, nec propterea desinit fratrum loco eos habere. Tantùm cavet, ne sibi in errore blandiantur. παιδ. ἐπ. παιδ.

Ex ℣. 17. 18. 19. 20. & 21. Vita sanctorum, ac præsertim doctorum Ecclesiæ, singulis Christianis ꝓposita esse debet tanquam exemplum quod imitentur. Ita enim Paulus hoc loco suiipsius exemplum imitandum proponit Philippensibus. Sic hortatur in epistola ad Hebr. 13. ℣. 7. Atq; hîc etiam officii sui commonefacere se debent doctores Ecclesiæ, ut videlicet ita sanctè vivãt, ut auditores meritò eorum exemplum imitari debeant. Sicuti Petrus hortatur presbyteros 1. Petr. 5. ℣. 3. ut ita curam agant παιδ. παιδ.

gregis Christi, hoc est Ecclesiæ, ut sint exemplaria, τύποι: quo eodem verbo etiam hîc Paulus utitur. Nec enim satis est ad ædificationem Ecclesiæ, si doctor Ecclesiæ docere possit, sed oportet ut etiam secundùm sanam doctrinam, quam auditoribus proponit, vivat. Nam qui bene docet & malè vivit, is una manu ædificat, alterâ rursum destruit.

παιδ. 2. Exemplum ardentis zeli in asserenda veritate cælesti & salute electorum.

διδ. 3. Scopus vitæ piorum est gloria cælestis; quò etiam hortatur ad Coloss. 3. ℣. 1. & 2.

ἔλ. 4. Cælum hîc appellatur locus: Nam ad pronomen οὗ, subintelligitur τόπου: non igitur est ubique.

διδ. 5. Christus è cælo tanquam loco in terram adventurus exspectatur: ergo nunc est in cælo tanquam loco, ut non simul sit in terra. Etsi enim secundùm deitatem suam ubique est, cælum & terram replens: idque ita ut ne cæli cælorum quidem ipsum capiant: tamen suo corpore, quo in cælum profectus est, & quo è cælo rediturus est, jam tantùm est in cælo & nusquam alibi. Vide Act. 4. ℣. 9. item cap. 3. ℣. 21. Coloss. 3. ℣. 10.

διδ. 6. De glorificatione corporum vide 1. Cor. 15. ℣. 22. & deinceps. item Danielis 12. ℣. 3.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Hoc caput primò continet varias exhortationes, usque ad v. 10. Deinde à v 10. usque ad v. 21. habetur quædam gratiarum actio: postremò adduntur salutationes.

ITaque, fratres mei chari & exoptati, gaudium & corona mea, ita state in Domino, dilecti.

2 Evodiam precor, & Syntychen precor, ut sint eodem animo affectæ in Domino.

3 Et rogo te quoq;, socie germane, opitulare ipsis; ut quæ in Evangelio unâ mecum certarunt,

runt, unâ cum Clemente quoque & reliquis adjutoribus meis; quorum nomina *sunt* in libro vitæ.

4 Gaudete in Domino semper: rursum inquam, gaudete.

5 Moderatio vestra innotescat omnibus hominibus. Dominus propè *est*.

6 De nulla re solliciti estote: sed omni in re precibus & supplicatione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

7 Et pax Dei quæ superat omnem intellectum, præsidio erit cordibus vestris, & mentibus vestris in Christo Jesu.

8 Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, siqua virtus, & siqua laus est, hæc cogitate.

9 Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me; hæc, *inquam*, facite; & Deus pacis erit vobiscum.

IN prima capitis parte hortatur ad perseverantiam in fide, ℣. 1. ad concordiam, ℣. 2. & 3. ad gaudium in Domino, ℣. 4 ad moderationem, ℣. 5. ad animi tranquillitatem, & preces & gratias Deo agendas, ℣. 6. & 7. ad veritatem, gravitatem, justitiam, puritatem, amabiles mores, denique omnem virtutem, ℣. 8. & 9. Atque harum exhortationum nonnullis argumenta sua adjecta sunt: sicut mox singulatim annotabimus.

V. 5. *Dominus propè est*] Argumentum ab adjuncta tutela & ope DEI.

V. 7. *Et pax Dei &c.*] Argumentum ab eventu utili.

V. 9. *Quæ & didicistis*] Hic tria continentur argumenta: primum ab effectis destinatis, secundum ab exemplo ipsius Apostoli, tertium ab adjuncta gratia Dei.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0209
DFG

10 Gavisus sum autem in Domino magnopere, quòd jam tandem reviruistis in vestra pro me cura: qua de re tamen soliciti eratis, sed destituebamini opportunitate.

11 Non quòd penuriâ laborem, *hoc* dico: nam ego didici, in quibus sum, iis ipsis contentus esse.

12 Novi autem deprimi, novi etiam abundare: ubique & in omnibus initiatus sum, & ad saturitatem & ad esuritionem, *id est*, tum ad abundantiam, tum ad *inopiam*:

13 Omnia valeo per eum qui me corroborat, *nempe* Christum.

14 Attamen rectè feciſtis quòd unâ communicastis meæ afflictioni.

15 Nostis autem & vos, Philippenses, quum initio Evangelii proficiscerer è Macedonia, nullam mihi Ecclesiam communicasse in ratione dati & accepti, nisi vos solos.

16 Nam etiam Thessalonicæ *cùm essem*, semel & iterum quod opus erat mihi misistis.

17 Non quòd requiram donum: sed requiro fructum exuberantem, *qui* in rationem vestram *inducatur*.

18 Accepi autem omnia, & abundo: expletus sum, *inquam*, acceptis ab Epaphrodito quæ à vobis *allata sunt*, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam acceptam *ac* placentem Deo.

19 Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit vobis, secundùm divitias suas, gloriosè, in Christo Jesu.

20 Deo

20 Deo autem & Patri nostro *sit* gloria in secula seculorum, Amen.

Gratias agit Philippensibus pro pecunia per Epaphroditum missa ad inopiam ipsius sublevandum: atq; interim suspicioni avaritiæ occurrit. Porrò hoc Philippensium beneficium primò amplificat ex effectu, videlicet suo gaudio: simulq; suspicioni avaritiæ occurrit, dum ait, se gavisum esse in Domino: quibus verbis significat, se nō tam suâ causâ gavisum, quàm ipsorum: quippe in quibus animadvertat Dominum esse efficacem suo spiritu, efficiendo nimirum in eis Christianam dilectionem. Deinde amplificat Philippensium beneficium collatione similium, nempe pristinæ ipsorum erga se beneficentiæ: quam declarat infrà ℣. 15. & 16. hîc autem illustrat elegante similitudine, quâ eam comparat virenti herbæ, ac proinde & floribus jucundæ & fructibus utili. Tum per prolepsin excusat beneficentiæ ipsorum intermissionem transferendo causam in ἀκαιρίαν, id est, destitutionem opportunitatis.

V. 11. 12. & 13. occurrit suspicioni avaritiæ seu nimiæ cupiditatis atque intemperantiæ: negans se ipsorum dono tantopere gavisum esse suâ causâ, quòd nimirum per illud subventum esset suæ penuriæ: quippe qui didicerit & penuriam & abundantiam æquo animo ferre; ita nimirum ut nec propter penuriam cōtristetur aut contra Deum murmuret, nec propter abundantiam insolescat & intemperantiæ indulgeat: sed ut in utroque statu gratias Deo agat. Ne autem videatur hanc æquanimitatem suis viribus arrogare, profitetur se illam à Christo habere.

V. 14. ad gratiarum-actionem, id est, ad laudationem beneficentiæ ipsorum redit: eamq; amplificat ex adjuncto animi affectu, tanquam causâ procreante, nempe συμπαθείᾳ, qua doluerunt Pauli afflictionem.

V. 15. & 16. rursum amplificat præsens Philippensium beneficium, collatione similium, nempe pristinæ ipsorum erga se beneficentię: cujus narrationem illustrat expositione temporis & loci: ipsam autem beneficentiam

illam amplificat antithesi privantium, dum negat alias Ecclesias sibi quicquam contribuisse.

V. 17. rursum occurrit suspicioni avaritiæ, expressè negans se sua commoda quærere, & contrà affirmans se spectare salutem ipsorum.

V. 18. demum narrat, se pecuniam ab eis missam accepisse: & beneficium hoc amplificat ex duobus effectis, nempe quòd & ipse inde abundet, & Deo gratum illud sacrificium sit.

V. 19. vicissim eis vel promittit vel optat abundantiam bonorum ex beneficentia Dei.

V. 20. locum hunc laudatione nominis Dei cõcludit.

DE TERTIA PARTE.

21 Salutate omnes sanctos in Christo Jesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres.

22 Salutant vos omnes sancti, maximè verò qui sunt ex Cæsaris domo.

23 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum omnibus vobis. Amen.

Petit alios suis verbis salutari: Salutat eos verbis aliorum: & tandem usitato voto concludit.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Gaudium & corona mea. χαρὰ καὶ στέφανός μου. *Id est, tales ex quorum pietate concipio gaudium, & ut sitis mihi honori. Metonymia effecti, & metaphora ab iis qui currunt in stadio.*

2 Ut sint eodem animo affecti. τὸ αὐτὸ φρονεῖν. *Vide supr. cap. 3. v. 16. & cap. 2. v. 2. Vertendum autem* Affectæ, *genere scilicet fœminino. nam sermonem hic esse de duabus fœminis, planum fit ex collatione versiculi sequentis, ubi duo ista propria nomina referuntur per pronomina generis fœminini,* αὐτὰς & αἵτινες.

3 Socie germane. σύζυγε γνήσιε. *Infirmo argumento utuntur qui hinc colligunt Paulum habuisse uxorem: quia nimirum nomen* σύζυγος *sonat conjugem. At nomen illud in ge-*

in genere socium significat: & Paulum non habuisse uxorem quum scriberet epistolam priorem ad Corinthios, liquet ex illius cap. 7. v. 8. Quòd autem postea duxerit, nuspiam legitur: nec cum iis quæ leguntur de ipsius vita, convenit. Vide annotationes D. Bezæ. Quorum nomina *sunt* in libro vitæ. *ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς. Id est, Qui à Deo electi sunt ad vitam æternam. ἀνθρωποπάθεια, videlicet metaphora à remilitari: ubi dux belli milites delectos in libro consignat, reliquis exauthoratis.*

5 Moderatio vestra. *τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν. Id est, ἡ ἐπιείκεια ὑμῶν. Graecismus. Vox composita ex præpositione ἐπὶ & verbo εἴκειν, quod est cedere. Dicitur enim ἐπιεικὴς, ὁ ἐπὶ τῷ πράγματι εἴκων, qui in negotio cedit, videlicet alteri, idque pacis causâ: non autem rigidè persequitur suum jus. unde ἡ ἐπιείκεια rigori juris opponitur.* Dominus propè *est. ὁ κύριος ἐγγύς. Id est, Christus propediem adveniet ad judicium, ac proinde injurias vobis illatas vindicabit.*

8 Quæcunque sunt vera. *ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, &c. Elegans verborum atque sonorum συμπλοκή. Et ἀσυνδέτου, serviens γοργότητι, id est, celeritati orationis.*

9 Et didicistis & accepistis, &c. *καὶ ἐμάθετε, καὶ παρελάβετε, &c. Iterum συμπλοκή: sed habens πολυσυνδέτου, figuram præcedenti contrariam.* Deus pacis. *id est, qui author est pacis.*

10 Reviruistis in vestra pro me cura. *ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν. Ante articulum τὸ subaudienda præpositio κατὰ, idem valens quod ὅτι. Nisi fortasse verbum ἀναθάλλειν hic usurpatum est transitivè, ut vertendum sit: Revirescere fecistis vestram pro me curam. vel, Fecistis ut reviresceret vestra pro me cura.*

11 Non quòd penuriâ laborem, *hoc* dico. *ἐχ ὅτι καθ' ὑστέρησιν λέγω. Vulgata, Non quasi propter penuriam dico. Videtur ergo pro ὅτι legisse ὡς. quæ quidem lectio videtur commodior. quasi dicat: Non hoc dico quasi respectu penuriæ, hoc est, quasi egeam aut eguerim.*

16 Semel & iterum. *καὶ ἅπαξ καὶ δίς. Pro, ἅπαξ ἢ δίς: ut loquuntur Germani,* ein mal oder zwey. *semel aut bis.*

17 Non quòd requiram. *Id est, Non commemoro hanc vestram erga me beneficentiam ideò, quòd nunc quoque*

donum aliquod à vobis requiram, quodve mei rationem habeam.

18 Quæ à vobis *allata sunt*. *Sic malo quàm*, Missa sunt. *ait enim*, τὰ παρ' ὑμῶν. *scilicet* ἐνεχθέντα. *at verbum* Missa sunt, *postulat potiùs præpositionem* ἀπὸ. τὰ ὑφ' ὑμῶν πεμφθέντα. Odorem, &c. *Hæc cum præcedentibus cohærent per appositionem. quasi dicat*, Quæ sunt odor, *&c.* Placentem. Εὐάρεστον. Wolgefellig. *Sic Rom.12.v.1.*

19 Deus autem meus. ὁ δὲ Θεός μου. *Id est*, *Quem ego vera fide colo, quem pro meo patre agnosco.*

20 Deo autem & Patri. τῷ δὲ Θεῷ καὶ πατρί. *Conjunctio copulativa hîc non copulat res diversas, sed diversas voces idem significantes.*

OBSERVATIONES EX CAP. IV.

παιδ. Ex ℣.1.& 2 Quomodo ministri Ecclesiæ cohortari debeant ad perseverantiam & omnino officii commonefacere auditores, nempe amanter & blandè, cum omni lenitate & mansuetudine: exemplo Pauli, qui blandissimis appellationibus Philippenses alloquitur. Hanc lenitatem Paulus adhiberi etiam vult in reprehensionibus, ut in epistola ad Galat.6.℣.1. item 2. ad Tim.2.℣.24.& 25. Servum Domini non oportet pugnare,

παιδ. Ex ℣.3 Charitas electos judicat omnes, in quibus probabilia Electionis signa conspicit, inter quæ signa etiam est Evangelii professio & propagandi studium: de sua

παρ. autem quisque electione certus est ex effectis, nempe fide & studio pietatis.

διδ. 2. Certus est numerus Electorum: hinc enim Electio vocatur *Liber vitæ*, quòd Deus Electos, quos ad vitam prædestinavit, quasi in libro consignârit. Metaphora à duce belli qui milites delectos in libro consignat, exauthora-

ἀπ.λύσ. tis reliquis. Quæstio, Num quis possit ex illo libro expũgi? Resp. Non potest; nam decretũ Dei immutabile est: & vocatio Dei est ἀμεταμέλητος, Rom.11.℣.29. Objectio. At Moses petit expungi, Exod.32.℣.37. Resp. Etsi zelus Mosis pro gloria Dei & amore erga populum laudem meretur: tamen ista petitio inde profecta, reprehensione digna est; quia pugnat cum voluntate & justitia Dei: sic-

ut &

ut & à Domino ipso reprehenditur; qui negat, se Mosen insontem deleturum, sed sontes; quos quidem tum delere dicitur, cùm eos puniendo, ostendit hypocritas esse, qui visi fuerant in libro vitæ scripti, cùm tamen revera scripti nō essent. Recentiores tamen pro DELEBO verterunt DELEREM: ut intelligatur hic connexum hoc: Si quos ex libro vitæ deleturus essem; delerem eos qui me peccatis offenderunt. Porrò petitioni isti Mosis, similis est optatio Pauli Rom. 9. ℣. 3. ubi optat ἀνάθεμα fieri pro Judæis, quos intelligebat à Deo rejectos esse. Similis quoq; est locutio Psalm. 69. ℣. 29. Ubi David hypocritis imprecatur his verbis: Deleantur è libro vitæ, & in catalogo justorum non scribantur. Quibus verbis optat David, ut hypocritæ qui se jactabant vel præcipuos in Dei populo esse, ac proinde in libro vitæ scriptos, ex Ecclesia ejiciantur, atq; ita reprobi declarentur. Similis est loquēdi ratio Ezech. 13. ℣. 9. Ubi Deus minatur falsis Prophetis, inquiens: In consilio populi mei non erunt; & in descriptione domus Israēlis non scribentur.

Ex ℣. 4. Pii semper, ac proinde etiam in afflictionibus, materiam habent gaudendi in Domino, id est, ob gratiam Domini erga se. διαθ.

Ex ℣. 5. Christianos non decet jus suum stricto rigore persequi, sed pacis causâ de suo jure cedere. At cùm agitur de gloria Dei, moderatio ista locum non habet: neq; enim nobis licet quicquam remittere de jure Dei; quare tunc zelo & fervore opus est in persequēdo jure Dei pro nostra vocatione. Exemplum prioris: Abraham cedens Loto, datâ illi optione, Gen. 13. ℣. 9. Exemplum posterioris: Moses nihil remittens apud Pharaonem de mandato Dei, sed inquiens: Non relinquetur vel ungula. Exod. 10. ℣. 26. Item, idem fregit tabulas, & jussit interfici idololatras, Exod. 32. ℣. 19 & 27. ἐπ. παιδ. ἐπιθυμ.

Ex ℣. 6. Ne simus solliciti de eventu; sed curam eventus permittamus Deo, nosque illi commendemus precibus. Simus autem solliciti de officio rectè faciendo. ἐπ. προσ.

Ex ℣. 7. Cor hominis tum demum verè tranquillum redditur, cùm persuasum est de pace Dei, id est, reconciliatione sui cum Deo propter Christum. διαθ.

παιδ. Ex ℣.8. Christiani in omnium virtutum studium incumbere debent.

παιδ. Ex ℣.9. Christiani fidorum suorum doctorum virtutes imitari debent. Sic Hebr.13.℣.7.

παιδ. Ex ℣.10. Beneficia quæ in nos conferuntur, grato animo accipienda & laudanda sunt; sed interim cavenda suspicio avaritiæ & intemperantiæ, maximè ministris Verbi.

παιδ. Ex ℣.11.& 12. Cùm omnes Christianos, tum inprimis ministros Verbi decet facultatibus suis contentos esse, iisq; rectè uti; ita scilicet ut nec murmurent ob inopiam, nec insolescant propter abundantiam.

παιδ. Ex ℣.13. Christus rogandus ut nos spiritu suo corroboret, ad res tum secundas tum adversas moderatè ferendum.

διδ. Ex ℣.14. Ad communionem sanctorum hoc quoque pertinet, ut alii aliorum communicent afflictionibus. Rom.12.℣.15. Hebr.13.℣.3.

παιδ. Ex ℣.15. Officium cujusq; Ecclesiæ est, ministros suos alere. Vide 1.Cor 9.toto cap. item Gal.6.℣.6.

διδ. Ex ℣.17. Deus nullum beneficium incompensatum relinquit: sed accuratè rationes init, ut singula beneficia remuneretur. Christus dicit, eum qui vel potum aquæ frigidæ alteri dederit, non perditurum mercedem &c. Matth.10.vers.ult. Veruntamen hæc merces datur nobis ex gratia, non ex merito.

διδ. Ex ℣.18. Quæ ex charitate in pios, maximè ministros Verbi, conferuntur beneficia, ea Deus ipsa accepta habet, tanquam gratissima sacrificia.

διδ. παρ. Ex ℣.19. Credentibus nihil deest ad solidam felicitatē, quia Deus eis suppeditat abundè quicquid opus est.

παιδ. Ex ℣.20. Deum laudare debemus, quoties bonitatis ejus mentionem facimus.

διδ. Ex ℣.21. Vera salus, quam in salutando nobis mutuò precamur, in CHRISTO fundata est. Nam extra CHRISTUM nulla est salus.

FINIS.

ANA-

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI AD COLOSSENSES.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

PRÆTER procœmium & epilogum duæ sunt principales hujus epistolę partes; prima agit de doctrina Christiana, altera de vita Christiana. Prima pars continetur duobus primis capitibus: altera duobus reliquis. Prima illa pars de doctrina rursum distinguitur in tres partes. primum enim summam doctrinæ Christianæ exponit à versu 12. capitis 1. usq; ad vers. 23. capitis ejusdem. deinde hortatur Colossenses ad constantiã in doctrinæ expositæ fide, à ℣.23. capitis 1. usq; ad ℣.8. capitis 2. tertiò monet ut sibi à doctrinæ Christianæ corruptelis caveant, à ℣.8. capitis 2. usq; ad illius capitis finem. Atq; hęc de prima epistolæ parte: in altera parte tradit præcepta vitæ Christianæ varia. quædam generalia & omnibus Christianis communia, ab initio capitis 3. usq; ad ℣.18. ejusdem, & rursus à ℣.2. capitis 4. usq; ad ℣.7. ejusdem capitis: alia verò specialia & certis ordinibus propria, ut uxoribus, maritis: liberis, parentibus: servis, dominis: à ℣.18. capitis 3. usque ad ℣.2. capitis 4.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Primum caput distingui potest in quatuor partes. Pars prima continet τὰ πρὸ τῆς ἐπιστολῆς, *i.e. ea quæ epistolis solent præmitti, nempe subscriptionem v.1. inscriptionem & salutationem v.2. Secunda pars continet procœmium, accommodatum ad benevolentiã conciliandum: à v.3. usq; ad 12. Tertia pars continet expositionem doctrinæ Christianæ, à v.12. usq; ad v.23. Quarta pars continet exhortationem ad constantiam in doctrina Christiana fide, à v.23. usq; ad finẽ capitis.*

DE PRIMA PARTE.

PAulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater:

2 Iis qui *sunt* Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Jesu. Gratia *sit* vobis, & pax â Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.

APostolatui suo authoritatem conciliat, mentione voluntatis Dei: ut intelligãt Colossenses, doctrinam Pauli absque controversia sibi esse recipiendam. Timotheum sibi adjungit, ut Colossenses doctrinã hujus epistolæ co libentiùs amplectantur: quippe quum videant, Timotheo quoq;, cujus tum in ecclesiis Christi nota erat pietas & sacrarum literarum peritia, eandem doctrinam probari. Sanctos vocat fideles Colossenses, ut qui sanctificati essent & sanguine & spiritu Christi. Gratiæ nomine intelligit gratuitum favorem ac benevolentiam: pacis vocabulo significat reconciliationem & quæ inde oritur, tranquillitatem conscientiæ.

DE SECUNDA PARTE.

3 Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis precantes:

4 Auditâ fide vestrâ in Christo Jesu, & charitate in omnes sanctos:

5 Propter spem sepositam vobis in cælis: quam priùs audistis per sermonem veritatis, *id est* Evangelii:

6 Quod pervênit ad vos, sicut & in totum mundum; & fructum profert, sicut apud vos quoque; ex quo die verè audistis & cognovistis Dei gratiam.

7 Sicut & didicistis ex Epaphra, dilecto cõservo nostro; qui est fidus pro vobis minister Christi:

8 Qui

8 Qui & declaravit nobis vestram per Spiritum charitatem.

9 Propterea & nos, ex quo die *id* audivimus, non desinimus pro vobis orare, & petere ut impleamini agnitione voluntatis ejus cum omni sapientia & intelligentia spirituali:

10 Ut incedatis sicut Domino dignum est, ut ei per omnia placeatis, omnis operis boni fructum proferentes, & crescentes in agnitione DEI:

11 Omni robore corroborati, secundùm gloriosam potentiam ipsius, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio.

In hoc proœmio primùm gratulatur Colossensibus fidem Evangelii, ℣. 3. 4. 5. deinde Evangelii doctrinam eis commendat, ℣. 5. 6. & 7. postremò ad fidei profectum hortatur, ℣. 8. 9. 10. 11.

V. 4. fidei adjungit charitatem, tanquam necessarium illius effectum, & quasi individuum comitem: sicut alibi ait, fidem efficacem esse per charitatem, Gal. 5. ℣. 6.

V. 5. adjungit etiam spem: quæ alterum fidei effectum est, quanquam ibi per vocabulum spei metonymicè intelligit rem speratam, nempe hæreditatem cælestem. Ubi simul Evangelii doctrinam commendat ab adjuncta veritate.

V. 6. Evangelium commendat à mirabili ejus dilatatione & ab efficacia. Ait, Evangelium perveniisse in totum mundum, id est, ad omnes populos totius mūdi: & ubivis terrarum fructum protulisse, hoc est ex omnibus populis aliquos ad fidem Christi adduxisse. Quę res cùm per se admiranda est propter temporis, quo peracta est, brevitatem: tum eò plus fidem Evangelii confirmat, quòd hoc ipsum per prophetas prædictum erat, apud quos de vocatione Gentium per Evangelium varia vaticinia exstant. Sed præter generalem illam Evangelii efficaciam apud varios populos, specialiter amplificat effi-

caciam Evangelii apud Colossenses à circumstãtia temporis: ut qui statim eo ipso die quo Evangelium audiverunt, ipsum amplexi sint.

V. 7. commendat Colossensibus doctrinam Evangelii à testimonio Epaphræ.

V. 8. hortaturus eos ad profectum in fide, primùm commemorat fidei eorum effectum, nempe charitatem: deinde ℣. 9. & deinceps significat se & Timotheum quotidie Deum orare. ut ipsorum fidem augeat & cõfirmet. Fidem autẽ hîc describit primùm è subiecto in quo cognoscendo & credẽdo ipsa occupatur; illud est voluntas de salute credentium per Christum: deinde ex causa procreante, quæ est Spiritus sanctus: hãc notat, quum fidem nominat sapientiam & intelligẽtiam spiritualem, id est, à Spiritu sancto profectam. tertiò ex effectu generali, videlicet studio pietatis, quod vera fides ex se parit, ℣. 10. quartò rursum ex causa procreante, nempe Spiritu sancto: quem ℣. 11. vocat robur gloriæ, id est robur gloriosum Dei. quintò & postremò ex effectis specialibus tribus; nempe tolerantiâ, animi lenitate & gaudio.

DE TERTIA PARTE.

12 Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participãdum sortem sanctorum in luce:

13 Qui, *inquam*, eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum Filii sui dilecti.

14 In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, *id est* remissionem peccatorum.

15 Qui est imago Dei invisibilis, & primogenitus omnis rei creatæ:

16 Nam per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia; sive throni, sive dominatus, sive imperia, sive potestates; omnia, *inquam*, per eum & ejus respectu condita sunt.

17 Estq;

17 Estq; ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.

18 Estq; caput corporis, *id est*, Ecclesiæ; estq; *etiam* principium & primogenitus ex mortuis, ut primas teneat inter omnes.

19 Quoniam in eo placuit *Patri* omnem plenitudinem inhabitare:

20 Et pace per sanguinem crucis ejus factâ, per eum reconciliare omnia sibi, per eum, *inquam*, tum quæ in terra *sunt*, tum quæ in cælis.

21 Itaq; vos quum essetis quondam abalienati & hostes mente, *videlicet* per opera mala: nunc sanè reconciliavit.

22 In corpore illo carnis suæ, per mortem: ut sistat vos sanctos & vitio expertes & irreprehensibiles coram se.

Deinceps traditurus summam doctrinæ Christianæ, exponit salutis nostræ causas efficientes: & quidem tum ipsas personas agentes, tum earum actiones, quibus illæ nos ad salutem perducunt. Personæ agentes sunt, Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus: ex quibus duas priores expresè nominat, tertiam innuit ex propria ipsius actione: ubi ait, *Qui idoneos nos fecit, &c.* nam Pater per Spiritum sanctum idoneos facit electos ad participandam vitam æternam. Actiones verò quibus tres illæ personæ nos ad vitam æternam perducunt, sunt hæ. Pater reconciliavit nos sibi per Filium, ℣.20. quatenus scilicet eum misit in hunc mundum, ut homo factus in se susciperet, & per mortem suam expiaret, nostra peccata; atque ita nos ex potestate diaboli redimeret. Filius peccatis nostris per sanguinem suum expiatis, nos redemit, ℣.14. nobisq; impetravit remissionem peccatorum, ibid. deniq; recõciliavit nos tum Patri tum sibiipsi per mortem suam, ℣.21. & 22. Deinde Pater misit in corda nostra Spiritum sanctum, dum per prædicationem Evangelii effi-

caciter nos vocavit, illuminando mentes nostras cognitione suæ erga nos dilectionis propter Christum, & fiduciâ ejusdem imbuendo nostra corda, atque ita eripiendo nos è potestate tenebrarum, ac transferendo in regnum Filii sui dilecti, denique idoneos nos faciendo ad participandam sortem Sanctorum in luce, ℣. 12. & 13. Porrò ut ostendat Apostolus, sanguinem Christi satis pretiosum fuisse ad redimendum nos: magnificè asserit deitatem ipsius, ℣. 15. 16. 17. Deinde monet, quinam sint illi quos redemit, nempe Ecclesia, id est homines electi: & quomodo illi redemtionis hujus fiant participes, nempe quatenus Christo tanquam capiti per fidem inseruntur, ℣. 18. & 19. Hæc istius partis summa est.

DE QUARTA PARTE.

23 Si quidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimovemini à spe Evangelii quod audistis, *Evangelii, inquam,* prædicati apud omnẽ creaturam, quæ sub cælo *est*: cujus factus sum ego Paulus minister:

24 Qui nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis, & reliquias afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia:

25 Cujus *Ecclesiæ* factus sum minister ex dispensatione Dei, quæ data est mihi erga vos, ad implendum Dei sermonem:

26 *Nempe* mysterium illud quod absconditum fuit à seculis & ætatibus, nunc autem patefactum est sanctis ejus;

27 Quibus voluit Deus notum facere quæ sint illæ divitiæ glorioſi hujus mysterii inter Gentes; qui est Christus inter vos, spes illa gloriæ:

28 Quem nos annuntiamus, admonentes quem-

quemvis,& quemvis docentes de omni sapientia:ut quemvis sistamus perfectum in Christo Jesu:

29 Ad quod etiã enitor,decertans secundùm efficacitatem ipsius agentem in me potenter.

Ad constantiam in fide Evangelii hortatur eos multis ac variis argumentis: Quorum primum sumtum est ab effectu utili: quia sic, & non aliter, adepturi sint gloriam illam cælestem, ad quam participandam per Christum redemti & per Spiritum sanctum vocati sint: ℣.23.ibi,*Siquidem permanetis in fide &c.* Ubi notãdum, istud argumentum elici ex cohærentia sententiarum. nam hæc sententia cum proxime-præcedente cohæret per enuntiatum connexum,ad hunc modum:Si permanebitis in fide,sistemini coram Christo sancti, i.e. consequemini cælestem illam gloriam: Si verò non permanebitis in fide, non consequemini illam gloriam. Ergo ut illam gloriam consequamini,in fide permanete. Secundum hortationis argumentum ductum est à consensu Electorum per totum terratũ orbem, ut qui doctrinam Evangelii sibi prædicatam amplexi sint, ℣.eodem. Istud significat Apostolus his verbis, *Evangelii prædicati apud omnem creaturam quæ sub cælo.* Intelligit enim, Evangelium ferè omnibus populis prædicatum esse efficaciter,ita scilicet ut Electi illud sint amplexi. Tertium hortationis argumentum sumtum est à ministerio Pauli, atque adeò ab ipsius testimonio: qui nisi doctrinam Evangelii pro salvifica haberet, nequaquam propter illius prædicationem extrema quæque pateretur: versu 23. & 24. Quòd autem dicit, se pati pro Colossensibus, & omnino pro Ecclesia: hoc dicere vult, se pati ad eos in fide Evangelii confirmandum, ut illâ fide salvi fiant. Quartum hortationis argumentum sumtum est à testimonio Dei: quippe qui Paulo mandavit, ut doctrinam Evangelii Gentibus annuntiaret, ℣.25. Quintum argumentum ductum est à doctrinæ Evangelii præstantia: quippe quæ sit mysterium à seculis absconditum, nunc autem demum patefactum sanctis Dei servis, apostolis:

℣.26.& 27. Sextum argumentum ductum est à præstantia subjecti, in quo docendo Evangelium occupatur. Illud est Christus, qui est spes illa gloriæ: h. e. is per quem unum gloriam illam cælestem sperare licet: ℣.27. Septimũ argumentum sumtũ est à doctrinæ Evangelicæ scopo seu fine, atq; adeò effectu utili: qui est perfectio hominis illius qui hanc doctrinã constanter amplectitur. Perfectionis aũt nomine intelligitur perfecta sapiẽtia & virtus, adeoq; perfecta felicitas: ℣.28. Octavũ argumentum sumtum est à factis Pauli, ut qui singulari studio in hoc elaboret & ad hoc enitatur, ut per Evangelii sedulam p̃dicationem homines ad perfectionem illam adducat. Nonum & postremum argumentum ductum est ab efficacia Spiritus sancti, ministerio Pauli adjunctâ: quæ certè veritatem doctrinæ ipsius singulariter cõmendat.

SCHOLIA IN CAP. I.

3 Semper pro vobis precãtes. πάντοτε περὶ ὑμῶν προσεύχόμενοι. *Syrus adverbium* πάντοτε *retulit ad verbum praecedens,* εὐχαριστῶμεν, *& post illud novam sentẽtiam inchoavit, adhibitâ conjunctione copulativa. Qua syntaxis etsi eundem sensum gignit, eò quòd gratiarum actio & preces conjungi solent: tamen Apostolus adverbium* πάντοτε *in hoc sententiæ genere adjungere solet sequentibus: ut videre est Rom.1.versu10. Phil.1.v.4. Et hanc syntaxin confirmat collatio versiculi noni, ubi ista sententia repetitur his verbis, Non desinimus pro vobis orare. Reperitur tamen hoc adverbium etiam adjunctum verbo* εὐχαριστεῖν, *ut 1.Thess.1.2.*

9 Non desinimus orare & petere. οὐ παυόμεθα προσευχόμενοι & αἰτούμενοι. *Pro,* προσευχὰς & αἰτείας. *Hellenismus.*

10 Ut *ei* per omnia placeatis. εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν. *Verbotenus, Ad omnem placentiam; seu, ad omne placitum.*

13 Filii sui dilecti. Τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ. *Pronomen* αὐτοῦ *non pendet ab* ἀγάπης, *sed ab* υἱοῦ: *à quo eodem etiam pendet (sed aliâ ratione) genitivus* ἀγάπης, *nempe habens vim epitheti, more Hebræorum. Sic Psal.15.1. Quis requiesceret in monte sancto tuo? ubi Hebraicè est,* בְּהַר קָדְשֶׁךָ *behár Kodschécha. id est, in monte sanctitatis tuo. pro quo tamen vulgò dicunt, In monte sanctitatis tuæ.*

15 Imago

15 Imago Dei invisibilis. εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου. *Id est, In quo Deus naturâ invisibilis, quasi conspiciendum sese* illum *prabuit: dum per illam opera divina (quæ miracula nominantur) ita edidit, ut appareret Deum in ipso esse, eumque divinâ, eáque propriâ virtute seu potentiâ illa opera facere. Confer Hebr.1.versu 3. 1.Tim.3.versu 16. Johan.1.vers 14.* Primogenitus omnis rei creatæ. πρωτότοκος πάσης κτίσεως. *Hoc exponitur vulgò sic, quasi diceretur: Ante res ullas conditas genitus. Quam expositionem quanquam ut orthodoxam probo: tamen considerandum propono, an non diversa, quam afferam, expositio genuina sit. Nempe ut intelligamus, Christum dici primogenitum omnis rei creatæ, eò quòd sit princeps hæres omnium. Cui expositioni non obstant verba quæ sequuntur,* Nam per eum condita sunt omnia. *Nam hæc ipsa sententia, illi quam exponendi gratiâ attulimus, subjicitur Hebr.1.2. ubi ita ait Apostolus: Quem (scilicet Filium, Christum) constituit (nempe Deus) hæredem omnium: per quem etiam mundum condidit. Quare hoc loco nomine primogeniti puto commodissimè intelligi principalem hæredem, sicut erat primogenitus in veteri Testamento. Nam quò minùs hoc nomen πρωτότοκος de divina Filii Dei ex substantia Patris generatione accipiendum videatur, facit nativa ejus significatio. Propriè enim eum significat qui primo partu in lucem est editus.* τίκτειν *enim parere significat, non gignere; & matri convenit, non patri. Deinde vix reperias exemplum, ubi nomen ex* πρῶτος *& præterito medio compositum, genitivum ita regat, quasi sit participium constans ex præpositione* πρὸ. *Ita enim hîc exponitur,* πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *quasi sit* πρωτοκτισθεὶς πάσης κτίσεως, *id est,* πρὸ πάσης κτίσεως.

16 Nam per eum condita sunt omnia. *His verbis rationem reddit, cur Christus sit primogenitus, id est, princeps hæres omnium: quia nimirum per eum omnia sunt condita. Sic planè in loco citato Hebr.1. v.2. Per quem etiam mundum condidit; ubi conjunctio* καὶ *rationem innuit. quasi dicat: Meritò eum hæredem constituit omnium: quum etiam per eum omnia condiderit* Per eum. δι' αὐτοῦ. *Ex hac epanalepsi intelligitur, illud* ἐν αὐτῷ *in principio versus rectè redditum,* Per eum. *Sic Johan.1. v.3.* Ejus respectu. εἰς αὐτόν.

Ut scilicet ipse sit hæres omnium. Vel, ad ipsius gloriam: ut Rom. 11. versu 36.

17 Per eum. ἐν αὐτῷ. ut v. sup.

18 Caput &c. ἡ κεφαλὴ &c. Confer Ephes. 1. v. 22. & cap. 4. v. 15 16. & cap. 5. v. 23. Principium. ἀρχὴ. Pro hoc dicit 1. Corinth. 15. v. 20 ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο: id est, primitiæ eorum qui obdormierunt, factus est. Primogenitus ex mortuis. id est, primogenitus inter eos qui ex mortuis resurgunt ad hæreditatem cælestem adeundam. Sicut accipitur ex verbis ipsius Apostoli per epexegesin annexis. Ut primas teneat inter omnes. ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων. nempe inter fratres, quorum respectu primogenitus nominatur. Eadem sententia efferitur Roman. 8. v. 29. his verbis: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres. Ex cujus sententia collatione patescit, illud ἐν πᾶσιν. rectè hic redditum esse, Inter omnes. Phrasis Græca est. Ne quis putet, vertendum esse In omnibus. scilicet rebus.

19 Omnem plenitudinem. πᾶν τὸ πλήρωμα. Id est, omnem illam copiam donorum spiritualium, quæ ex ipso tanquam capite in credentes tanquam membra exundant ac manant. Sicut ait Johannes cap. 1. v. 16. Ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & quidem gratiâ pro gratiâ. Quam plenitudinem Johannes Baptista significat his verbis: ἐκ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα: Non enim ex mensura, seu ad mensuram, dat Deus Spiritum scilicet Christo: de eo enim loquitur. Vide annotationes D. Bezæ.

20 Per sanguinem crucis ejus. Ejus, αὐτοῦ nempe Christi. Sanguinem autem crucis vocat, qui in cruce effusus est. Sibi. εἰς αὐτὸν. Pro, εἰς ἑαυτὸν: id est, ἑαυτῷ. ut loquitur 2. Corinth. 5. v. 19. Omnia. τὰ πάντα. Id est, omnes electos: ut percipitur è subjecta distributione. Sic Ephes. 1. versu 10. ubi vide Scholia nostra. Tum quæ in terra, tum quæ in cælis. id est, tum fideles jam in cælum receptos, tum eos qui adhuc degunt in terra.

21 Itaque vos. καὶ ὑμᾶς. Vel, Quare & vos. Hostes mente. ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ. Mihi nomen διανοίᾳ videtur pendêre à nomine ἐχθρούς, tanquam dativus significans instrumentum. Et sic Syrus quoque construit.

22 Vitii

22 Vitii expertes. ἀμώμους. Sic Syrus, דלא מום *delo mûm, id est, sine vitio.*

23 Siquidem &c. εἴγε. ἐπισώρευσις. Apud omnem creaturam. ἐν πάσῃ τῇ κτίσει. *Id est, apud omnes Gentes. Et enim quod dicitur Marc. 16. vers. 15. Prædicate Evangelium omni creaturæ: idem Matth. 28. v. 19. effertur his verbis, Docete omnes gentes. Est igitur syne-doche generis hyperbolica.* Quæ sub cælo est. τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν. Scil. ὄσῃ. *Periphrasis emphatica: qualis Actor. 2. v 5. & cap. 4. v. 12.*

24 Qui nunc gaudeo. νῦν χαίρω. *Legendum* ὃς νῦν χαίρω, *ex codice Claromontano, teste D. Beza. Et sic legisse apparet veterem interpretem. Syrus reddidit,* Et gaudeo, *omisso adverbio temporis: ut videatur legisse,* τῷ χαίρω. *quæ lectio videtur commodissima.*

27 Quæ sint illæ divitiæ glorioſi hujus myſterii. τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυστηρίου τούτου. *Vel, Quanam sint gloriosæ illæ divitiæ mysterii hujus.*

OBSERVATIONES EX CAP. I.

Ex ℣. 1. Nemo ſibi ſumat partes doctoris in Eccleſia, niſi ſit legitimè vocatus; ideo Paulus mentionem facit ſui apoſtolatus. Vide ad Hebr. 5. ℣. 4. παιδ.

2. Doctrina Pauli eſt doctrina cæleſtis, quia immediatè ad docendum vocatus eſt à filio Dei. Ergo teſtimonia inde depromta, omni exceptione majora ſunt. Vide Actor. 9. & 22. 1. Corinth. 11. ℣. 23. 2. Corinth. 12. ℣. 2. 4. διδ.

Ex ℣. 2. Sanctorum nomen non competit in ſolos defunctos, ſed etiam in viventes, nempe omnes fideles. διδ. ἔλλ.

2. Chriſtiani fraterno amore ſe complecti debēt, cùm ſint fratres in Chriſto. παιδ.

3. Chriſtus eſt unus & idem cum patre Deus, quia unâ cum ipſo cæleſtia bona Electis communicat. διδ.

Ex ℣. 3. Officium hominis Chriſtiani eſt, quotidie Deo gratias agere tum ſuo tum aliorum nomine, pro dono fidei. παιδ.

Ex ℣. 4. Vera fides adjunctam habet charitatem. Sic Gal. 5. ℣. 6. Quare qui charitatem non oſtendunt factis, falsò gloriantur de fide. διδ. ἔλλ.

V. 5. Ad charitatem nos excitare debet ſpes hæredita- παιδ.

tis cælestis, quæ non manet nisi filios Dei, fraternâ charitate se mutuò complectentes. Nec tamen putandum, nos charitatis officiis hæreditatem illam mereri. Hæreditas enim non datur ex merito, sed ex gratia.

ϖαιδ. 2. Evangelium citra omnem dubitationem amplectendum est, quum sit sermo veritatis, id est, verissimus ac certissimus: quippe per ipsum filium Dei patefactus. Johan. 1. ℣. 18.

διδ. Ex ℣. 6. Evangelii veritatem commendat mirabilis ejus efficacia: quòd brevissimo tempore in plurimis locis quàm plurimos ad fidem Christi adduxit, quantumvis Satanâ per sua organa reluctante.

διδ. 2. Ex Evangelio cognoscitur Dei gratia, id est, gratuitus ejus favor quo nos complectitur in Christo.

ϖαιδ. Ex ℣. 8. Charitas debet esse sincera. Vide 1. Joh. 3. ℣. 8.

διδ. Ex ℣. 9. Vera sapientia, est sapientia illa spiritualis qua cognoscitur voluntas Dei, patefacta partim in Lege, partim in Evangelio. De Lege ait Moses, Hæc est sapientia vestra &c. Deut. 4. ℣. 6. De Evangelio ait Paulus inf. cap. 2. ℣. 3. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi.

ϖαιδ. Ex ℣. 10. Scopus hominis Christiani esse debet, ut per omnia Deo placeat; id quod fit per studium pietatis.

διδ. 2. Agnitio Dei in hac vita imperfecta est, ac proinde

ϖαιδ. quotidie in ea crescendum ac proficiendum per continentem meditationem verbi ipsius.

διδ. Ex ℣. 11. Spiritus sanctus fideles virtute suâ ita corroborat, ut propter Evangelii professionem omnis generis ærumnas, etiam gravissimas, æquo animo tolerent, nec se ipsos vindicare studeant: quin potiùs ut cum gaudio eas suscipiant; quippe quum certi sint, se, quemadmodum capiti Christo conformes redduntur in cruce, ita eidem quoq; conformes redditū iri in gloria illa cælesti.

διδ. Ex ℣. 12. Nosà natura inepti sumus ad regnum cælorum: alioqui nō esset opus ut Deus nos faceret idoneos: id quod facit per Spiritum suum. Vide 1. Corinth. 2. ℣. 13. Matth. 16. ℣. 17. 2. Cor. 3. ℣. 5. Ephes. 2. ℣. 8.

κλ. 2. Vita æterna est sors sive hæreditas: non igitur obtinetur ex merito. Vide Matth. 25. ℣. 34. Rom. 8. ℣. 17.

3. Si con-

3. Si contingat, nos propter veritatis cælestis confessionem includi tenebroso carceri, consolemur nos hac ratione, Quòd sumus idonei facti ad participādum sortem sanctorum in luce illa cælesti. παρ.

Ex ℣.13. Quomodo simus jam translati in regnum illud cæleste filii Dei? Resp. Partim re, partim spe. Re quidem, quatenus sentimus initia vitæ æternæ; ex gustu nimirum paterni favoris Dei: Spe verò, quia certò speramus plenā cum Deo communionem: Sic ad Eph. 2. ℣. 6. διδ.

2. Causa cur nos diligat Deus, est, Quia sumus mēbra filii ejus dilecti Ephes. 1. ℣. 6. διδ.

Ex ℣.14. Sanguis Christi est λύτρον illud quo redemti sumus, seu quo parta nobis est remissio peccatorum, in Christum tanquam sponsorem conjectorum: atque ita satisfactum est justitiæ Dei. Confer 1. Joh. 1. ℣. 7. & cap. 2. ℣. 2. Rom. 3. ℣. 24. & 25. διοδ.

Ex ℣. 15. Considerandum, quot modis Filius Dei sit imago Dei invisibilis. Resp. Duobus modis. Primùm in seipso consideratus extra incarnationem, nimirum simpliciter, quatenus Deus est. De hac ratione imaginis loquitur Paulus ad Hebræos 1. versu 3. ubi dicitur ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Deinde consideratus in carne assumta: De qua ratione loquitur Paulus hoc loco, & 1. Timoth. 5. vers. 16. Ubi considerandum, Qualem se Deus nobis patefecerit in Filio incarnato. Patefecit se autem summè sapientem, justum & misericordem. Summè sapientem: Quia in Christo erga nos exercuit simul perfectam justitiam & perfectam misericordiam. Perfectam justitiam erga nos in Christo exercuit, atq; ita perfectè justum se patefecit; quia in Christo perfectè punivit omnia nostra peccata, ipsi ut sponsori imposita. Perfectam verò misericordiam in Christo erga nos exercuit, atque ita summè misericordem se patefecit: quia nobis propter satisfactionem illius remisit perfectè omnia nostra peccata, nosq; hæredes regni cælestis effecit. Dissimile: Celebratur sapientia, simulque justitia & misericordia cujusdam regis Zaleuci, qui legem tulerat, ut adultero ambo oculi effoderētur. Cumq; filius ejus adulterium commisisset, & subditi pro illo διοδ.

intercederent, ne cogerentur cæcum regem habere: ut legi à se latæ satisfieret, filio quidem ex misericordia alterum oculum reliquit, sed ex justitia sibiipsi unum oculum erui curavit loco filii. Laudabilis quidem sapientia, justitia & misericordia; veruntamen misericordia imperfecta, quia sic utrumque oculum filio reliquisset. imperfecta item justitia, quia sic filio utrumq; oculum erui curasset. Præterea ipse Filius Dei in carne assumta deitatem suam & virtutes divinas varias demonstravit, ut φιλανθρωπίαν, omniscientiam, omnipotentiam. φιλανθρωπίαν: quòd homo factus est propter nos homines & salutem nostram, quòd misertus est populi famelici in deserto, sollicitus ne fame contabescerent, si jejunos dimitteret. Item quòd populi misertus est, cùm videret eos esse veluti oves absq; pastore. Item quòd tam facilis ac promtus fuit ad opem ferendam afflictis opem ipsius implorantibus. Omniscientiam, quòd vidit cogitationes Judæorum. Omnipotentiam: quòd propria virtute maxima miracula fecit: ac inprimis, quòd se ipse ex morte excitavit, Rom. 1. ℣. 14.

διδ. 2. Christus est filius Dei æternus, quippe genitus ex Patre, antequam ulla res conderetur: contra blasphemias Arii & Serveti.

διδ. Ex ℣. 15. 16 & 17. Christus est verus Deus: Quia genitus est à Deo Patre ante mundum conditum, ac proinde ab æterno. Deinde, quia unâ cum Patre & Spiritu sancto omnia creavit: Tertiò, quia ad ipsius gloriam omnia sunt condita: Quartò, quia est ante omnia, ac proinde æternus: Quintò, quia omnia per eum consistunt, id est, in suo esse & statu conservantur.

ἄλ. Ex ℣. 18. Quum solus Christus sit caput Ecclesiæ: falsò igitur & impiè se caput Ecclesiæ jactat Papa.

διδ. πνευ. 2. Quum primogenitus noster frater Christus, ad beatitudinem illã cælestem resurrexerit; consequens est, nos similiter resurrecturos, & beatitudinis unâ cũ ipso participes fore; singulos quidẽ pro mẽsura donationis Christi.

πνευ. Ex ℣. 19. Quum in Christo omnis plenitudo gratiarũ cælestium inhabitet: Ergo quoties sentimus nos gratiis illis egere, meminerimus ex ista plenitudine hauriendum

dum nobis esse; id quod fit per seriam invocationem, ex vera fide profectam. Vide Joh. 1. ℣. 10. Esa. 11. ℣. 1. 2.

Ex ℣. 20. Quum tentamur metu iræ Dei ex conscientia peccatorum: consolemur nos hac ratione, quòd Christus Deum nobis pacificavit, atque reconciliavit, quum sanguinem suum in cruce effundi passus est ad peccata nostra expiandum. παρ.

Ex ℣. 21. Homo jam post lapsum naturâ sua est hostis Dei, nec quicquam Deo placens agere potest. διαλ.

Ex ℣. 22. Corpus Christi, verum corpus est, nostris corporibus simile, peccato solo excepto. Contra dogma Marcionis, atque etiam Ubiquitariorum. διαλ. ἔλ.

2. Mors Christi, qua nos Deo reconciliavit, non fuit tantùm mors corporis, sed præcipuè sensus iræ Dei adversus nostra peccata. Hanc mortem gustavit Christus pro omnibus Electis: ita ut illi nunquam eam gustaturi sint. Heb. 2. ℣. 9. διαλ. παρ.

3. Sanctitas ad quam renovamur, in hac vita imperfecta est: perficietur autem in altera vita. διαλ.

Ex ℣. 23. In religione Christiana non est satis cœpisse, sed oportet constanter in fide perseverare. Ait enim Paulus, Colossenses tum demum gloriam illam cælestem adepturos, si permanserint in fide fundati & firmi. Similiter ait Christus, Matth. 10. ℣. 22. Luc. 9. ℣. ult. παραδ.

2. Fides Christiana, non est incerta opinio: sed certa & in verbo Dei fundata notitia misericordiæ Dei, nobis præstitæ in Christo. Quum enim Paulus ita loquitur, *Si permanetis in fide ⌣ fundati & firmi:* hoc dicere vult, fidei Christianæ hanc esse naturam, ut qui verè credit, is donum quoq; perseverantiæ habeat. Hinc monet Christus, Impossibile esse ut Electi in errorem seducantur, id est, à fide avertantur, Matth. 24. ℣. 24. Etsi autem perseverantia, Dei donum est, sicut & ipsum fidei initium: nõ tamen ratione caret, quòd Spiritus sanctus nos ad credendum & in fide perseverãdum per ministros Evangelii hortatur. Etenim istis hortationibus utitur ad fidem in Electis efficiendum & confirmandum. Hinc Augustinus scitè dixit: Domine da quod jubes, & jube quod vis. διαλ.

3. Fides spem sibi adjunctam habet: quarum illa in- διαλ.

tuetur in veritatem promissionis Dei: hæc verò bona à Deo promissa exspectat.

διδ. 4. Evangelicæ doctrinæ veritatem & cælestem majestatem arguit mirabilis illa efficacia, prædicationi ejus adjuncta; quòd scilicet brevi temporis spatio, Evangelium per paucos homines in toto penè terrarum orbe prædicatum & fide receptum fuit. Confer ad Rom. 15. ℣. 19. 1. ad Tim. 3. ℣. ult.

παιδ. παρ. Ex ℣. 24. Minister Verbi quum propter Evangelium affligitur, constanter illas afflictiones perferre debet, seq; consolari hoc argumento, quòd illa sua constantia faciat ad Ecclesiam in fide confirmandam. Tertullianus scitè dixit: Sanguine martyrum Ecclesiam rigari.

διδ. 2. Christus adhuc hodie patitur in membris suis, id est, confessoribus ipsius. Unde Paulus hîc dicit, Se reliquias afflictionum Christi vicissim explere in carne sua, & Christus ipse Paulo Christianos persequenti dicebat, Saul Saul quid me persequeris? Hæc doctrina facit ad παρ. nostram consolationem. Nam si Christo capiti conformes reddimur in contumelia: scimus fore, ut eidem conformes reddamur in gloria: Rom. 8. ℣. 29 2. ad Tim. 2. ℣. 11. & 12. Et huc facit quòd Ecclesia hîc dicitur corpus Christi. Hinc enim sequitur, eam cum Christo tanquam capite suo communem habere & crucem & gloriam.

διδ. Ex ℣. 25. Doctrina Pauli citra cõtroversiam, tanquam cælestis & divina recipienda est; quippe cujus prædicandæ mandatum à Deo ipso accepit.

διδ. Ex ℣. 26. & 27. Doctrinam Evangelii cõmendat ipsius sublimitas, quum sit mysterium, id est, doctrina arcana, quæ ex sola Dei patefactione hominibus innotescit.

διδ. Ex ℣. 27. Solus Christus est is, per quem gloriam illam cælestem sperare licet.

διδ. Ex ℣. 28. Vera nostra sapientia & perfectio, in cognitione Christi consistit. Confer cap. seq. ℣. 3.

παιδ. Ex ℣. 29. Piorum ministrorum est, in hominibus per prædicationem Evangelii in cognitionem Christi adducendis strenuè eniti & decertare: sed interim meminisse debent, efficaciam sui ministerii penes spiritum Christi esse; quem proinde ardentibus votis expetere debent.

ANA-

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hìc pergit Apostolus hortari Colossenses ad constantiam in fide doctrinæ Christianæ quam ex Epaphra didicerant, & cujus summam ipse jam in hac epistola exposuerat: usque ad v. 8. Deinde in reliqua capitis parte monet eos ut sibi à doctrinæ Christianæ corruptelis caveant. Sic sunt duæ principales hujus capitis partes.

DE PRIMA PARTE.

VElim enim vos scire, quantum certamen sustineam pro vobis, & iis qui *sunt* Laodiceæ, & quotquot non viderunt faciem meam in carne:

2 Ut consolationem accipiant eorum corda, ipsis charitate compactis, id*que* ad omnem opulentiam certò persuasæ intelligentiæ, ad cognitionem, *inquam*, mysterii Dei ac Patris & Christi:

3 In quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi.

4 Hoc autem *ideo* dico ut néquis vos falsoratiocinando fallat probabilitate sermonis.

5 Etsi enim corpore absum, spiritu tamen sum vobiscum, gaudens ac cernens vestrum ordinem & soliditatem vestræ in Christum fidei.

6 Sicut igitur accepistis Christum Jesum Dominum, *ita* in eo incedite:

7 Radicati & superstructi in eo, ac confirmati fide, sicut edocti estis, abundantes eâ cum gratiarum actione.

QUod ultimo versu capitis præcedētis dixerat generaliter ad apostolatum suum commendādum, se ad hoc eniti ac decertare, ut quosvis homines

institutione sua in Christo perfectos reddat: id hîc specialiter applicat Colossensibus & Laodicensibus cæterisque vicinis in Phrygia ecclesiis, quas nondum coràm inviserat. Profitetur igitur, se maximum pro illis certamẽ sustinere, hoc est, maxima sollicitudine in hoc elaborare ut eas in fide doctrinæ Christianæ quacunq; possit ratione confirmet: ℣. 1. Deinde duplicem doctrinæ Christianæ fructum commemorat, ut eos hac ratione ad constantiam in illius fide hortetur, ab effectu scilicet utili. Unus fructus est consolatio, ut scilicet unusquisque ipsorum solidam habeat contra omnes tentationes consolationem: alter fructus est charitas, ut scil. inter se per charitatem compacti sint, atq; ita Deo placeant. Ac solidam quidem consolationem ex Evangelio corda percipiunt, quia Deus per Evangelium testatur se nos propter Christum in gratiam recepisse, ac proinde nos paterno favore in æternum prosequi: Charitate verò ex Evangelio corda accendũtur, quatenus docet, Deum nos indignos charitate illa ineffabili in Christo complexum esse, ac velle ut nos quoq; tanquam filii Dei & fratres inter nos mutuo nos amore complectamur. Huic Evangelii ab effectis commendationi annectit alteram quæ sumta est ab adjunctis, videlicet partim ab adjuncta Evangelii certitudine, partim ab cælesti ejus sublimitate. Certitudinem notat vocabulo πληροφορίας, quod deductum est à verbo πληροφορεῖσθαι, quod ad verbum significat Plenè ferri, id est (ut mihi quidem exponendum videtur) plenis quasi velis ferri: ut sit metaphora ducta à navibus, quæ plenis velis (vento scilicet secundo) feruntur. Sic Spiritus sanctus veritatem doctrinæ cælestis animis Electorum tam firmiter obsignat, ut de ea certò persuasi, plenis quasi velis ferantur, nec se ullo obstaculo ab ea credenda impediri patiantur: sicut hanc fidei πληροφορίαν Apostolus Paulus ad Romanos octavo circa finem magnificis verbis describit. Sublimitatem verò cælestem doctrinæ de Christo in Evangelio comprehensæ significat nomine Μυστηρίου, id est, rei arcanæ, ejusque talis ut non possit intelligi à quoquam, nisi ab ipso Deo ei fuerit patefacta. Hæc habentur ℣. 2. Postea versu tertio aliam Evangelii com-

commendationem addit, ab adjuncta ejus perfectione: quippe quòd in ipso (nempe Christo vel mysterio Christi) omnes thesauri sapientiæ & cognitionis sint absconditi: ita ut qui Evangelii doctrinam tenet, perfectam teneat sapientiam, ut nihil ultra ad salvificam Dei cognitionem possit vel debeat desiderare. Porrò hæ omnes Evangelii commendationes, totidem argumenta sunt quibus hîc Paulus Colossenses ad constantiam in illius fide hortatur.

V. 4. transitionem facit ad admonitionem de cavendis Evangelicæ doctrinæ corruptelis: veruntamen antequam istas corruptelas recenseat & refellat, denuò paternum suum erga ipsos affectũ commemorat, ℣. 5. simulque ordinem ipsorum quem observabant in regimine Ecclesiastico, ac propterea constantiam ipsorum in fide Evangelii collaudat. quod jam novum hortationis argumentũ est. Crescit enim laudata virtus: quum omnes honestum sibi ducant, in cursu bene cœpto pergere.

V. 6. & 7. hortationem institutam concludit: eamque nova hortatione amplificat, qua eos ad gratiarum actionem (pro tanto scilicet Evangelii ac fidei dono) hortatur.

DE SECUNDA PARTE.

8 Videte néquis sit qui vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.

9 Nam in eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter:

10 Et estis in eo completi: qui est caput omnis imperii ac potestatis.

Corruptelas falsorum doctorum qui in ecclesia Colossensium tum versabantur, refutaturus: primùm eas commemorat ac proponit, ℣. 8. Proponit autem tres corruptelarum species: sicut eruditè D. Beza observavit. Prima species est quæ ex speculationibus curiosis, & tamen

subtilis cujusdam sapientiæ speciem referentibus, exoritur. hanc notat per vocabulum *philosophiæ & inanis deceptionis.* quo loco non intelligit verã philosophiam seu veram sapientiam humanam, sed inanes illas & fallaces illorum qui se philosophos nominabant, speculationes, de summo bono seu felicitate hominis: id quod partim ex Apostoli instituto, partim ex verbis per expositionem adjectis planum est. Secunda species corruptelarum, est manifestarum superstitionum, quæ solâ consuetudine fictisque enthusiasmis nituntur. hanc vocat *traditionem hominum.* Tertia species eorum erat qui mundi rudimenta (id est Legalem cultum) cum Evangelio conjungebant. hanc vocat *traditionem secundùm elementa mundi.* ubi per elementa mundi intelligit ceremonias Legis, quibus Deus veterem mundum de Christo erudiit. His corruptelis omnibus primùm opponit refutationem universalem, id est, ad singulas pertinentem, quòd scilicet falsam religionem esse necessariò oporteat quæ à Christo abducit, felicitatémve alibi quàm in uno Christo quærere docet. Hanc rationem innuit his verbis, *Et non secundùm Christum:* eamq; mox ℣. 9. & 10. confirmat à conditione personę Christi: quippe qui & verus Deus sit, & secundùm humanam quoq; naturam supra omnes sanctos, ipsos etiam sanctos angelos tanquam caput excellat: ita ut qui ei per fidem sunt insiti, completi seu perfecti sint, ac proinde ad plenam felicitatem nihil amplius requirere possint aut debeant.

11 In quo etiam circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus, dum corpus peccatorum carnis exuistis per circumcisionem Christi:

12 Consepulti cum eo per Baptismum, per quem etiam cum eo resurrexistis, per fidem Dei efficaciter agentis, qui excitavit eum ex mortuis:

13 Vosque mortuos in peccatis & præputio carnis

carnis vestræ, cum eo vivificavit, condonatis vobis omnibus peccatis.

Hîc incipit ὕστερον πρότερον specialiter disputare contra tertiam speciem corruptelarum ex tribus propositis, videlicet adversus eos qui Judaismum urgebant: ac primùm quidem circumcisione externâ nobis opus esse negat, quum absq; ea simus Christi virtute intus circumcisi. Huic rationi subjungit alteram per prolepsin. nam objicere quis poterat: etsi intus per spiritum Christi circumcisi simus, tamen externam quoq; circumcisionem tanquam interioris illius symbolum ac testimonium suscipiendam esse, sicut nimirum olim sancti patres susceperũt. Hoc verò Apostolus negat, propterea quòd jam loco circumcisionis externæ habeamus Baptismum, interioris illius renovationis tesseram ac sigillum efficacissimum. Baptismum igitur declarat ex effecto triplici: mortificatione veteris hominis, vivificatione novi, & remissione peccatorũ. Etenim Spiritus sanctus testimonio Baptismi efficaciter persuadet electis, ipsos sanguine Christi in cruce cum sensu itæ Dei effuso ablutos atque purgatos esse ab omnibus peccatis, seu remissionem habere omnium peccatorum: deinde simul utitur hoc Baptismi testimonio ad efficiendum in ipsis serium studium pietatis, ut incipiant peccato mori & justitiæ vivere: quum intelligant, peccatum tam tetrum esse malum ut nõ potuerit expiari nisi sanguine filii Dei: item quum intelligant officii sui esse, ut per omnia post hac Deo placere studeant ad gratias ei pro summo illo redemtionis beneficio agendum. Ex his perspicitur, effecta ista adscribi Baptismo non ut operi operato, sed ut testimonio divino ac veluti instrumento, quo Spiritus sanctus in electis est efficax, confirmando nimirum in eis fidem, qua cum Christo magis magisque coalescunt, atq; ita mortis & resurrectionis ipsius fiunt participes: idque tum quod ad remissionem peccatorum, tum quod ad renovationem naturæ attinet. Hoc ipsum docent verba Apostoli ℣. 12. ubi ait, Colossenses cum Christo esse sepultos per Baptismum, & per eundem cum eo resurrexisse,

διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ θεοῦ, per fidem operationis seu efficaciæ Dei (id est, ut ego quidem exponendum censeo, per fidem quam operatus est seu effecit Deus) qui excitavit eum (nempe Christum) à mortuis. quibus verbis significat, Deum in Colossensibus effeciſſe fidem eâ ipsa virtute seu potentiâ qua Christum excitavit ex mortuis (sicuti expressiùs docet Eph. 1. ℣. 19. & 20.) hanc autem fidem testimonio Baptismi confirmari, atque hac ratione ipsos per Baptismum (id est, testimonio Baptismi) cum Christo consepultos esse, & cum eodem resurrexisse, hoc est, virtute Spiritus sancti cœpisse mortificare peccatum & vivere justitiæ, sicut loquitur Apostolus Rom. 6. ℣. 11. ubi hanc ipsam doctrinam ad eundem modum plenius tractat.

V. 13. sententiam modò expositam de renovatione naturæ paulò aliis verbis repetit, & alterum effectum de remissione peccatorum annectit. Ubi per *præputium carnis* intelligit naturæ vitiositatem: quæ sit instar præputii, id est, res apud DEUM abominanda. Per *vivificationem* autem intelligit naturæ renovationem: quod ipsum Rom. 6. ℣. 11. vocat, Vivere Deo; item, Ambulare in novitate vitæ, ibid. ℣. 4. item, Vivere cum Christo, ibid. ℣. 8.

14 *Ac* deleto quod adversum nos *erat* chirographo *in* ritibus *posito*; quod, *inquam*, erat nobis occultè contrarium. *Ipse* verò cruci affixum è medio sustulit.

15 *Et* exspoliata imperia ac potestates traduxit palàm, triumphatis illis per eam.

16 Néquis igitur vos damnet ob cibum, vel potum, aut respectu *alicujus* festi, aut novilunii, aut Sabbathorum:

17 Quæ sunt umbra rerum futurarum; at corpus, *est* Christi.

Hîc in genere de ceremoniis Legis disserit, & duo simul innuit: unum, illas jam in Novo testamēto seu post Christum

Christum exhibitum non esse ampliùs observãdas: alterum, si maximè adhuc observandæ essent, tamen earum observationem nihil conferre ad justitiam coram Deo. Prius ex eo ostendit, quòd Christus ceremonias Legis sacrificio suæ mortis abolevit: quippe quod sacrificium ceremoniæ illæ præfigurabant. Posteriùs verò inde demõstrat, quòd ceremoniæ Legis ac in primis sacrificia, quasi chirographa erant nobis contraria, hoc est, erant confessiones peccatorum tanquam debitorum, ac proinde testimonia reatus. Quomodo igitur conferrent ad justitiam, quum testentur injustitiam & culpam? Sed (ut dixi) Apostolus hæc duo simul comprehendit. & ad crucem Christi scitè accommodat; inquiens, Christum chirographum illud rituum cruci affixisse, atq; ita è medio sustulisse. Quibus verbis significat, Christum hoc ipso quòd cruci affixus fuit & clavis transfixus, impetrasse nobis remissionem peccatorum, seu condonationem debitorum nostrorum, atq; ita quasi transfixisse seu conscidisse chirographum quo debita confitebamur.

V. 15. sententiam de effectu crucis Christi modo expositam amplificat collatione majorum, idque per tacitam (ut videtur) prolepsin, qua ignominiæ crucis opponit insignem illam victoriam ac triumphum, quæ cum cruce Christi fuerunt conjũcta. quasi dicat, Christus per mortem suam in cruce non solùm abolevit ceremonias veteris Testamenti, nobisque impetravit remissionem peccatorum: sed etiam liberavit nos à potestate diabolorum: quippe quos morte illâ suâ devicit & exspoliavit, deque eis triumphavit. Confer similem locum Hebr. 2. ℣. 14. & 15. Diabolos autem hîc vocat imperia & potestates, propter illorum potentiam quam exercent in incredulos: ut ita amplificet vim ac potẽtiam mortis Christi: quæ licet rationi humanæ res infirma videatur, tamen per eam ut rem potentissimam devicti sunt mali illi spiritus, quantum vis magnâ potentiâ præditi.

V. 16. Institutam refutationem primæ speciei corruptelarum concludit, idque nominatim expressis certis ceremoniarum speciebus, quas Pseudapostoli urgebant.

V. 17. conclusioni annectit novum argumentum:

quod sumtum est à proprio fine. Cæremoniæ enim illæ à Deo institutæ erãt in hunc finem, ut Christum venturum adumbrarent seu præfigurarent: Christo igitur ipso jam exhibito, cæremoniarum illarum nullus amplius est usus; quippe quæ officio suo jam sunt perfunctæ.

18 Nemo adversum vos judicis partes sibi ultrò sumat, in demissione animi & cultu Angelorum: invadens in ea quæ non vidit, & temerè turgens carnis suæ sensu;

19 Neque obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento.

Hîc disputat adversus primam ex propositis corruptelis speciem, cujus exemplum proponit cultum Angelorũ. quod falsæ religionis genus quatuor argumentis refutat. quorum primum est, quòd qui hujusmodi cultum invehunt, sibi tribuunt quod unius Dei est, nempe jus conscientiarum religione obligandarum: quantumvis ista videantur homines ad humiliter de se sentiendum adducere. Secundum argumentum est, quòd nec visa, nec audita, sed à se excogitata, pro oraculis temerè obtrudant. Tertium, quòd ista non alio fundamento quàm opinione hominum sibi immodicè in suis commentis placentium innitantur. Quartum denique maximi momenti argumentum est, quòd isti doctores Christum suâ dignitate spolient: ut qui unus toti suo corpori (nempe Ecclesiæ) tum fovendo, tum etiam augendo sufficiat.

20 Itaque si mortui estis cum Christo, *atque ita liberati estis* ab elementis mundi: quid ut viventes in mundo, ritibus oneramini?

21 Ne attigeris (*ajunt isti*) neque gustâris, neque contrectâris.

22 Quæ omnia ipso usu pereunt, *præscripta* ex mandatis & doctrinis hominum.

23 Quæ

23 Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & summissione animi, & in eo quòd corpori non parcant: nec *tamen* ullius sunt pretii, *quum* ad ea *spectent* quibus farcitur caro.

Jam ultimo loco pugnat adversus secundæ speciei corruptelas, quæ videlicet meræ sunt superstitiones: veluti quum in certo ciborum genere & cæteris similibus rebus pietas, remissio peccatorum, vis denique aliqua ad cultum Dei pertinens collocatur. Hoc genus corruptelarum, oppugnat tribus argumentis; quorum primum à comparatis sumtum est: Liberati estis per mortem Christi à ceremoniis Legalibus, quas nimirum Deus ipse instituerat: ita ut jam illis non ampliùs debeatis vacare: Ergo multo minùs committere debetis ut oneremini ritibus quos homines excogitarunt, vobisque imponere conantur. quem quidem superstitiosorũ istorum conatum per prosopopœiam seu mimesin exprimit, ℣. 21. Deinde ℣. 22. secundum & tertium argumentum affert. Secundum est, quòd res istæ externæ fluxæ & caducæ sunt, quippe quæ ipso usu consumuntur: unde facilè intelligitur, in iis non cõsistere regnum Dei: quippe quod internum & spirituale & æternum est. Tertium denique argumentum est, quòd isti ritus excogitati ac mandati sint ab hominibus. Quum igitur Deus istarum traditionum author non sit: conscientias non ligant.

V. 23. annectit prolepsin, qua concedit, superstitiosos istos ritus habere quidem speciem sapientiæ & submissionis animi. sed revera nullius esse pretii: quum pertineant solummodò ad carnis seu corporis alimentum: quod jam quartum refutationis argumentum est, vel potiùs secundum, aliis verbis repetitum.

SCHOLIA IN CAP. II.

2 Id*que* ad omnem opulentiam &c. καὶ εἰς πάντα πλοῦτον. *Pro*, καὶ τοῦτο εἰς πάντα πλοῦτον. *Ut significetur finis seu scopus illius* συμβιβάσεως, *id est, compactionis per charitatem: ut scilicet ex charitate se mutuò erudiant de mysterio*

Evangelii. Syrus ita reddidit, quasi conjunctio καὶ hîc esset omissa, & eadem esset posita in principio membri sequentis, nempe καὶ εἰς ἐπίγνωσιν. Certo-persuasæ intelligentiæ. τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως. *Ad verbum, Certæ persuasionis seu certiorationis intelligentiæ. Hypallage. Cæterùm de vocabulo* πληροφορίας *diximus plura in Analysi.* Ad cognitionem, *inquam.* εἰς ἐπίγνωσιν. *Apparet hæc præcedentibus subjungi per appositionem. Itaque in membro præcedente præpositionem* εἰς *vertimus* Ad, *& hîc supplevimus verbum* Inquam, *perspicuitatis causâ.* Dei ac Patris & Christi. Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ Χριστοῦ. *Prius* καὶ *ponitur ἐμφατικῶς. quasi eo omisso simpliciter diceretur, Dei patris. Porrò* mysterium Dei & Christi, *hîc idem valet quod, Mysterium de Deo & Christo.*

5 In quo. ἐν ᾧ *Scilicet Christo, vel potiùs mysterio Christi, hoc est, de Christo. Vulgò hunc locum accipiunt de sapientia qua Christus fuit & est præditus. Sed ex collatione verborum præcedentium perspicitur, Apostolum velle aliud; nempe veram ac perfectam sapientiam sitam esse in cognitione Christi, id est, in eo ut Christum rectè cognoscamus.* Spiritu, *id est, Animo.*

7 Radicati & superstructi in eo ac confirmati fide. ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει. *Vel, Ut radicemini & superstruamini in eo, & stabiliamini in fide.*

8 Et inanem deceptionem. καὶ κενῆς ἀπάτης. *His verbis declarat quid vocabulo φιλοσοφίας intelligat.*

11 Dum exuistis corpus peccatorum carnis. ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός. *id est, Dum exuistis vitiosam seu corruptam naturam, seu veterem hominem: ut loquitur infrà cap. 3. v. 9. Similiter Rom. 6. v. 6. corpus peccati nominatur. Carnis autem nomen adjici videtur, ut significetur, unde corpus illud peccatorum ortum sit, videlicet ex carnali generatione. nam quod ex carne natum est, caro est. Nec obstat, quòd per circumcisionem cordis intelligatur sanctificatio. nam etiam ad Rom. 6. de sanctificatione loquens Apostolus, inter alia ait, Veterem illum nostrum hominem cum Christo crucifixum esse ut enervetur corpus peccati.* Per circumcisionem Christi. *Sic 1. Corinth.*

5. 7.

5.7. ait, Pascha nostrum pro nobis sacrificatum esse, nempe Christum.

12 Cum eo resurrexistis. συνηγέρθητε. Scilicet ὡτῷ.

13 Præputio carnis. *Id est, Carne quæ est veluti præputium, hoc est, res abominabilis. Nam præputiati olim erant abominabiles Deo & populo Dei. Carnis autem nomine intelligitur vitiositas naturæ.*

14 Chirographo *in* ritibus *posito.* χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν. *Pro,* τὸ ὂν τοῖς δόγμασιν. *Scilicet* ὂν *vel* κείμενον. *Ellipsis gemina: videlicet articuli & præpositionis. Sic Ephes. 2. v. 15.* τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι. *pro,* τὸν ἐν δόγμασι, *ubi est solius articuli ellipsis.* Affixum. προσηλώσας. *quasi dicas, Arclavatũ, id est, clavis affixum. Quum enim Christus clavis affixus sit cruci, ritus Mosaici simul transfixi, id est, aboliti sunt.*

15 Triumphatis illis. θριαμβεύσας αὐτοὺς. *Illis, nempe imperiis ac potestatibus, hoc est, malis spiritibus. Pronomen igitur αὐτοὺς ad sensum, non ad voces refertur.*

16 Damnet. κρινέτω. *Ad verb. Judicet. Synecdoche generis.*

17 At Corpus, *est* Christi. *Id est, Corpus illarum umbrarum est ipse Christus: quippe per illas adumbratus. Confer Hebr. 10. v. 1.*

18 Adversum vos judicis partes sibi sumat. ὑμᾶς καταβραβευέτω. *Metaphora ab agonothetis, id est, judicibus publicorum certaminum: qui nominãtur etiam* βραβευταὶ, *eò quòd victoribus decernant* βραβεῖον, *id est, præmium. Vide annotationes D. Bezæ.*

19 Argumento. τῷ αὐξησιν. *Id est,* ἢ τῷ αὔξησιν.

20 Si mortui estis cũ Christo, *atq; ita liberati estis* ab elementis mũdi. εἰ ἀπεθάνετε σὺν τῷ χριστῷ ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου. *Ante præpositionem* ἀπὸ, *subauditur,* ἢ ὅτως ἀπηλλάχθητε: *ellipsi Hebraïs familiari. Lutherus commodissimè vertit,* So ihr dañ nu abgestorben seyt den satzungen der welt. *Hoc Paul° Rom. 6. vocat* θανατοῦσθαι τῷ νόμῳ, *mortificari Legi, v. 4. itẽ* καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου, *Liberari à Lege, v. 6.*

23 *Quum* ad ea *spectent* quibus farcitur caro. πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς. *Subaudi τείνοντα, vel* ὠφήλοῦντα. *Verbotenus,* Ad repletionem carnis. *id est, corporis.*

OBSERVATIONES EX CAP. II.

παιδ. Ex ℣.1. Pastorem Ecclesiæ non oportet certamina & labores defugere, ut gregem sibi commissum in vera fide confirmet.

παιδ. διδ. Ex ℣.2. & 3. Doctrina Evangelii quam-commendatissima nobis esse debet; quippe quæ nobis affert veram consolationem, & in nobis gignit ardentem charitatem; quæq́ue certissima ac vera doctrina seu cælestis est, perfectamq́ue sapientiam continet.

ἕλ. Ex ℣.3. Errant qui doctrinâ Evangelii non contenti, veram sapientiam & solidam consolationem ex Philosophia quærunt, id est, ex libris Philosophorum profanorum, qui Christiani non fuerunt.

παιδ. Ex ℣.4. Doctrina Evangelii constanter credenda est, quantamcunque etiam probabilitatis speciem habeat quod contra illam affertur.

παιδ. Ex ℣.5. In Ecclesia omnia debent fieri secundùm ordinem ac decenter. Deus enim est Deus ordinis, id est, delectatur ordine, seu vult ut ordinem decentem filii sui in ipsius cultu observent.

διδ. Ex ℣.5. & 6. Fides Christiana non est vana opinio, sed solida sciētia & firma fiducia. Confer Rom. 8. ℣.31. & seq.

διδ. Ex ℣.6. Thesaurus qui nobis in Evangelio offertur, est Christus, nempe cum suo merito & efficacia. Sic Joh. 4. se ipse donum illud Dei appellat, quia nobis à Deo donatus est in Mediatorem & Servatorem.

παιδ. Ex ℣.7. Officium fidelium est, ut Deo pro donatione & patefactione Christi perpetuò gratias agant.

ἕλ. Ex ℣.8. Philosophia moralis profanorum authorum, disserentium de summo bono & felicitate hominis, itemque de virtute, nihil aliud est quàm inanis deceptio. Itaque quò majorem probabilitatis & sapientiæ speciem habet, eo diligentiùs cavenda est: quippe quæ nos verâ & solidâ consolatione spoliat, in solo nimirum Christo (nempe merito & efficacia illius) quærenda: non autem in nostris viribus, meritis aut virtute.

ἕλ. ἐπ. 2. Cùm multæ illæ & variæ ceremoniæ veteris Testamenti fuerint elementa mundi, quibus veterem populum tan-

lum tãquam puerum erudire, ſapientiæ Dei viſum fuit: perversè igitur agunt tum Judæi, qui ceremonias illas perpetuò durare debere cenſent: tum Papiſtæ multò magis, qui ſuo judicio & arbitratu plurimas ceremonias partim à Judæis partim ab Ethnicis deſumtas, in Eccleſiam Dei invexerunt & adhuc retinent.

3. Quæcunque de felicitate hominis doctrina abducit à Chriſto, imò quæ non rectà ad illum adducit, ea tanquam falſa & noxia repudianda eſt. ἔλ.

Ex ℣.9. Magnum eſt discrimen inter habitationem Dei in Chriſto & in Sanctis. Nam in his inhabitat Deus, quatenus eis per Spiritum ſanctum certa dona confert: At in Chriſto, nempe in humana ipſius natura, tota plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter, id eſt, ſubſtantialiter ſeu perſonaliter. Quia filius Dei hanc naturam in unitatem perſonæ aſſumſit; ita ut hæc una eademq́; perſona, quæ nominatur Chriſtus, & Deus & homo ſit. διδ.

Ex ℣.10. Quum in Chriſto completi ſimus, id eſt, plenam ac ſolidam felicitatem habeamus: ſtultè igitur faciunt, qui hujus conſolationis obliti, conſolationes ex doctrina profanorum philoſophorum conquirunt. Quanquam illi non tam conſolationes, quàm vanam gloriam ac nomen quærere videntur. ἐπ.

2. Quum Chriſtus Angelorum quoq; caput ac dominus ſit, Angeli igitur non ſunt à nobis adorandi: ſed ipſi unâ nobiscum Chriſtum tanquam dominum communem adorare tenentur. Unde Angelus Johanni ipſum adoraturo rectè dicebat, Vide ne feceris: conſervus tuus ſum: Deum adora. Apoc. 19. ℣.10. ἔλ. ἐπ.

Ex ℣.11. Ut circumciſio, ſic & Baptiſmus, duplex eſt: exterior in corpore, & interior in corde. Exterior adminiſtratur manu miniſtri; interior peragitur virtute Spiritus ſancti. De interiore exſtat promiſſio Deut. 30. Dominus circumcîdet cor tuum &c. Vide Rom. 2. ℣.28. διδ.

2. Chriſtus eſt noſter ſervator non ſolùm ſuo merito, ſed etiam ſuâ efficacia. Ipſe enim eſt, qui circumcîdit corda noſtra per Spiritum ſanctum, id eſt, illuminat & renovat, donans fidem & ſtudium pietatis. διδ.

Ex ℣.12. In locũ Circumciſionis ſucceſſit Baptiſmus. διδ.

Quare sicut tam infantes quàm adulti circumcidebantur: sic tam infantes quàm adulti baptizandi sunt. Et sicut externa circumcisio per se neminem servabat: ita nec Baptismus. Et sicut circumcisio erat signum federis: ita & Baptismus. Quare cùm infantes Christianorum sint in federe, teste Paulo 1. Cor. 7. ℣. 14. tribuendum est eis signum federis. Deniq; sicut omissio Circumcisionis citrà contemtum mandati Dei, non impediebat salutem morientis, ut liquet ex verbis Davidis de infante suo ante circumcisionem mortuo, 2. Samuelis 12. ℣. 23. Sic nec omissio baptismi, quæ est absq; contemtu mandati Dei, salutem morientis impedit.

Ibid. 2. Christus per Baptismum testatur credentibus, se spiritu suo eos renovaturum ut moriantur peccato & justitiæ vivant. Rom. 6. in principio cap.

Ibid. Ex ℣. 12. Fides non proficiscitur ex viribus hominis, sed est effectum potentiæ Dei, & ejusdem quidem potentiæ quâ excitavit Christum ex mortuis. Corda enim nostra spiritualiter mortua sunt, id est, ad res spirituales intelligendum & credendum movere se naturâ suâ non possunt; sed Deus illa vivificat per Spiritum sanctum. Vide Ephes. 1. ℣. 19. & 20. Joh. 5. ℣. 25.

Ibid. 2. Deus ad nos redimendum duo nobis beneficia cõfert per Christum, videlicet remissionem peccatorum & vivificationem seu renovationem cordis.

Ibid. Ex ℣. 14. & 17. Ritus legales, & maximè sacrificia, erãt instar chirographi, quo confitebantur reatum suum: item (ut testatur ℣. 17.) erãt veluti umbræ, adumbrantes nimirum ac præfigurantes Christum cum suo Sacerdotio. Quare Christo jam exhibito, & reatu per sacrificium ejus expiato, debitoque persoluto, ac deniq; rebus præfiguratis ipso facto prestitis; consequens est, ut ceremoniæ illæ legales sint abolitæ.

mag. Ex ℣. 15. Si rationem nostrã offendit infirmitas mortis ac crucis Christi, consideremus mirificum ac potentissimum ejus effectum. quippe tãtum abest ut Christus in cruce moriendo, à Diabolo & organis illius victus sit, ut contrà Diabolum cum omnibus ejus angelis ac ministris potentissimè vicerit, deque illis triumpharit. Vide Hebr. 2. ℣. 14. & 15.

Ex ℣.

Ex ℣.16. Christianis bonâ conscientiâ quibusvis cibis vesci licet, quum discrimen ciborum per Christum sit sublatum. Vide 1. Tim. 4. ℣ 3. διδ.

Ex ℣.18. Peccant hodie Pontificii, cùm sibi imperiosam quandam potestatem sumunt in Ecclesiam Christi, præscribendo scilicet leges cõscientiis, & modum etiam admetiendo quo Deus pœnas (ut loquũtur) indulgeat. Quod dum faciunt, agonothetarum & βραβευτῶν officium usurpant, quasi pleno jure possint de salute vel exitio aliorum, prout ipsis libuit, decernere: quum tamen unicum habeamus βραβευτὴν ac judicem, Jesum Christum; cui Pater omnem in cælis & terris potestatem dedit, & ex cujus voluntate patefactâ sese omnes optimâ fide gerant oportet, quos in hoc mundo familiæ suæ sceptro verbi sui regendæ præfecit. Vide 1. Cor. 4. ℣. 1. & 2. ἐθ.

2. Cavenda est fallax illa & stulta animi demissio, quam Papistæ Angelorum & Sanctorum defunctorum cultores, superstitioni atque idololatriæ suæ prætexere solent: quasi scilicet nimis arrogantes sint qui audent ad Deum rectà accedere, & absque illorum Dei servorum intercessione perrumpere. Contrà tenendum est dictum Johannis quo nos ad unicum intercessorem Christum remittit, 1. Joh. 2 ℣. 1. Quod etiam Paulus facit Rom. 8. ℣. 34. Hebr. 9. ℣. 24. ἐλ.

3. Detestanda est vanitas illius pseudo-Dionysii, qui de rebus sibi incognitis, nimirum de cælesti hierarchia confidentissimè scripsit. Similiter detestanda est vanitas Pontificiorum qui Ecclesiasticam hierarchiam tãquam illius antitypum descripserunt; quique purgatorii, limbi, ipsius denique inferni cænacula depinxerunt. ἐθ.

Ex ℣. 19. Sollicitè curandum ut in cultu Dei retineamus caput, id est, Christum: nec patiamur nos ab illo divelli; ut fit in Papatu, ubi Mariam virginem Christo ipsi anteponunt, dum eam sic inclamant: *Roga patrem, jube natum, jure matris impera.* Item dum ei epitheta Christo propria attribuunt, dicentes: *Felix cæli porta.* item, *Regina misericordiæ, vita & spes nostra.* πανδ.

2. Qui Christo tanquam capiti per fidem insiti sive annexi sunt, accipiunt à Deo Spiritum sanctum, per cu- διδ.

jus operationem fides & charitas eorum augetur. Vide Johan. 15. ubi Christus seipsum viti, fideles palmitibus comparat.

διδ. Ex ℣.20. Fideles cum Christo tanquam capite suo ita conjuncti ac uniti sunt, ut & mortem & vitam cum ipso communem habeant. Unde hic dicuntur cum Christo mortui esse, quia Christus pro ipsis mortem æternam gustavit, atque ita sacrificio suæ mortis eos tum ab æterna morte, tum à ceremoniis Legis, mortem ipsius præfigurantibus, liberavit. Sic alibi dicuntur cum Christo resurrexisse, item sedere in cælestibus, item victuri ac regnaturi. Vide cap. seq. ℣.1. item Eph. 2. ℣.5. & 6. 2. ad Timoth. 2. ℣.11. 12. Rom. 6. ℣.8.

ἐπ. 2. Ecclesia Christiana non est ritibus oneranda. Nam rituum multitudinem Deus Ecclesiæ Judaicæ propriam esse voluit, ut rudi isti populo Christum vẽturum variis modis adumbraret. Posteaquam autem Christus jam venit, & re ipsa præstitit quæ per ceremonias Legis erant præfigurata, ceremoniis illis ampliùs locus non est, sed Evangelium de Christo exhibito prædicandum est; & paucis illis ceremoniis, quas Christus instituit, contentos esse oportet. Sed contrarium fit in Papatu.

ἐπ. Ex ℣.21. Superstitiosum est, à certis cibis religione aliἐλ. qua abstinere, quasi scilicet bonâ conscientiâ vesci illis non possis: cùm discrimen ciborum olim populo Dei præceptum, jam in novo Testamento sit abolitum. Cõfer 1. ad Tim. 4. ℣.1. 3. Ubi interdictum ciborum inter doctrinas dæmoniorũ in Papatu jam usitatas enumerat.

διδ. Ex ℣.22. Usus rerum externarum, utpote caducarum, per se ad pietatem nihil confert, ac proinde Deo neminem commendat. Confer Rom. 14. ℣.17. 1. Cor. 8. ℣.8.

διδ. 2. Deus non vult coli mandatis ac doctrinis hominũ, sed tantùm ex verbi sui præscripto. Confer Matth. 15. ℣.9.

ἐλ. Deut. 12. ℣.23. Contra ἐθελοθρησκείαν Papistarum.

διδ. Ex ℣.23. Falluntur homines superstitiosi in suis electitiis cultibus specie ταπεινοφροσύνης, id est, demissionis animi, dum se subiiciunt hominum placitis. Quare fallαπιστ. lax illa ταπεινοφροσύνη cavenda est.

διδ. 2. Pietas non cõsistit in eo quòd quis corpori suo non parcit,

parcit, sed illud defraudat & affligit abstinentiâ cibi & potus. Nam etsi corpus non ita pascendum est ut lasciviat, tamen habendus ei est suus honos, ut rectè valeat. Vide Rom. 13. ℣. ult. 1. Tim. 4. ℣. 8.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hactenus prima epistolæ pars, quæ fuit de doctrina Christiana: sequitur secunda, quæ est de Christiana vita. Ex doctrina igitur tradita deducit deinceps exhortationes ad Christianam vitam varias: quarum aliæ sunt generales, id est ad singulos fideles communiter pertinentes; aliæ verò speciales, pertinentes nimirum ad certos ordines: nempe uxores, maritos; liberos, parentes; servos, dominos. In hoc capite præcedunt exhortationes generales seu communes, usque ad v. 18. deinde sequuntur speciales, usque ad v. 2. capitis quarti: unde perspicitur, primum illius capitis versiculum non rectè ab hoc capite avulsum esse.

ITaque si resurrexistis cum Christo, superna quærite; ubi Christus est, ad dexteram DEI sedens.

2 Superna curate, non terrestria.

3 Nam mortui estis; & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

4 Quando Christus vita *illa* nostra, patefactus fuerit; tum & vos cũ eo patefietis glorioſi.

PRimùm hortatur ad meditationem vitæ cælestis, argumento ducto à causa procreante, videlicet societate resurrectionis Christi. Christus resurrexit ad vitam & gloriam cælestem; & vos resurrexistis cum Christo, i. e. socii estis Christi in resurrectione ipsius: Ergo & vos ad vitam illam & gloriam cælestem tendite, nempe per serium studium pietatis. Hoc argumentum tanquam πόρισμα seu corollarium deducit ex sententia paulo antè pronuntiata, capite scilicet præcedente ℣. 12. ubi dixit, Colossenses per Baptismum (id est, testimonio

Baptismi) cum Christo resurrexisse. Porrò isti hortationi opponit dehortationem à cura rerum terrenarum, ℣. 2. & hanc dehortationem confirmat à causa corrumpente, ℣. 3. Nolite, inquit, curare terrestria: nam estis mortui, quātum scilicet attinet ad terrenam felicitatem. hoc est, similes estis mortuis: quippe subjecti omnis generis ærumnis & afflictionibus. Huic sententiæ annectit consolandi gratiâ promissionem vitæ illius & gloriæ cælestis, confirmatam collatione similium. nam sicut Christi, capitis fidelium, vita & gloria cælestis adhuc mundo, atq; adeò ipsis quoque fidelibus quod ad sensum carnis attinet, est abscondita: & tamen suo tempore certissimè patefiet: ita etiam comparatum est cum vita & gloria cælesti fidelium, tanquam membrorum Christi.

5 Mortificate igitur membra vestra terrestria; scortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malam, & avaritiam; quæ est idololatria.

6 Ob quæ venit ira Dei super filios contumaciæ.

7 Quibus in *vitiis* & vos ambulastis quondam, quum in iis viveretis.

8 At nunc deponite etiam vos hæc omnia; iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam, verborum turpitudinem ab ore vestro.

9 Ne mentimini alius adversus alium; *sed* exuite veterem illum hominem cum factis ipsius:

10 Et induite novum illum, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit:

11 Ubi non est Græcus & Judæus, Circumcisio & Præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber: sed omnia & in omnibus *est* Christus.

Ex allata promissione gloriæ cælestis quæ fideles manet,

net, deducit nunc dehortationem à variis sceleribus ac vitiis: quæ sese per membra fidelium, quatenus illa terrestria sunt, hoc est, terrenis animi affectibus serviunt, soleant exserere. Ait igitur, Mortificate mẽbra vestra terrestria. ubi notanda est metonymia subjecti: intelligit enim terrenos seu animales ac vitiosos affectus qui sese in membris exserunt: sicut ex annexa enumeratione planum est: ubi enumerat aliquot scelera & vitia, quorum priora contra septimum; postremum (videlicet avaritia) contra primum decalogi præceptum committitur. Avaritia enim (ut hîc ait apostolus) est idololatria; quia nimirum avarus fiduciam suam à Deo avulsam, in pecunia sua collocat. Istam dehortationem deinceps cõfirmat duobus argumentis: quorum priùs ductum est ab eventu pernicioso, videlicet æterno exitio eorum qui cõtumaciter in istis sceleribus perseverant, ℣. 6. Posterius à causa procreante, videlicet Colossensium conversione seu regeneratione, per antithesin pristini ipsorum status ac vitæ; quum nondum regenerati spiritu Dei neque ad Deum conversi, viriis istis ac sceleribus indulgerent, ℣. 7. & 8. ubi notanda est emphasis adverbii *Nunc*, quum dicit, *At nunc deponite etiam vos &c.* quasi dicat, Nunc, posteaquam estis ad Deum conversi & spiritu Dei regenerati: ut percipitur ex antithesi. Vult dicere, Hoc tempus alios mores postulat. Cæterùm dehortationem instítutam hîc amplificat enumeratione plurium vitiorum, ℣. 8. & 9. quorum alia ad sextum, alia ad septimum, alia ad nonum decalogi præceptum pertinent. Versu autem 9. species vitiorum enumeratas ad unum genus revocat, appellans illa omnia πράξεις (id est actiones seu facta) veteris hominis, hoc est naturæ corruptæ, inde à primo homine in nos propagatæ. Verba autem huius versiculi sic resolvo: μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους, ἀπεκδυσάμενοι. &c. id est, ἀλλ' ἀπεκδύσασθε τὸν ἐνδύσασθε &c. Sicut paulo pòst ℣. 12. ait, ἐνδύσασθε οὖν.

Versu igitur 10. dehortationi generali proxime-præcedenti opponit cohortationem generalem ad induendum novum hominem, id est ad proficiendum in agnitione Dei & studio pietatis. Hanc cohortationem ℣. 11.

amplificat remotione falsarum causarum, quibus pseudapostoli putabant Christianos Deo commendari, nempe si quis esset Judæus, si circumcisus &c. Apostolus negat his & similibus rebus quenquam Deo commendari: sed absq; ullo rerum ejusmodi externarũ respectu Deo placere ait quotquot pietati student: quippe qui omnes ipsi propter Christum placeant: sive Judæi sint, sive Græci, sive circumcisi, sive incircumcisi &c.

12 Induimini igitur, ut electi Dei, sancti & dilecti, visceribus miserationum, benignitate, modestiâ, mansuetudine, lenitate:

13 Tolerantes alii alios, & condonantes vobis mutuò, si quis adversus aliquem habuerit querelam: sicut & Christus condonavit vobis, ita & vos.

14 Super hæc autem omnia *induimini* charitate; quæ est vinculum perfectionis.

15 Et pax Dei imperet in cordibus vestris; ad quam etiam vocati estis in unum corpus: & grati estote.

16 Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia: docendo & commonefaciendo vos mutuò psalmis & hymnis & cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in vestro corde Domino.

17 Et quicquid feceritis sermone aut opere, *id* omne in nomine Domini Jesu *facite*, gratias agentes Deo & Patri per eum.

Exhortationem generalem modo-propositam deinceps declarat exhortatione speciali, qua hortatur ad virtutes Christianas varias, ac inprimis ad concordiã & studium assiduum verbi Dei, admixtis passim exhortationum argumẽtis. nam ℣. 12. tribus argumentis (q̃ tamen ad duo cõtrahi possunt) hortatur ad beneficentiam & alias

lias quasdam virtutes: nempe quòd sint electi Dei, sancti ac dilecti. quasi dicat, Deus vos dilexit & in Christo ex mera misericordia elegit ad vitam æternam: Ergo & vos diligite alii alios, & ex misericordia vobis mutuo benefacite. Deinde, Deus vos per Christi sanguinem & spiritum sanctificavit, id est à mundo segregavit sibi in populum peculiarem: Ergo ita vos gerite ut sanctos decet, operam scilicet dando benignitati, modestiæ &c.

V. 13. ad condonationem offensarum hortatur ab exemplo Christi.

V. 14. ad dilectionem fraternam hortatur ab effectu utili: quia charitas sit vinculū perfectionis, hoc est, quia Christiani charitate mutua inter se colligentur & compingantur in unum corpus, ex qua corporis unitate & membrorum inter se colligatione perfectio singulorum ipsorum dependet: ita ut nulli membro quicquam desit.

V. 15. ad concordiam hortatur ab effecto destinato, videlicet vocatione Dei: Vocati estis, inquit, in unum corpus, hoc est, ut sitis inter vos unum corpus, ac proinde ut pacem inter vos mutuò colatis, tanquam unius corporis membra.

V. 16. hortatur ad assiduum studium verbi Dei & exercitia pietatis, ac nominatim ad cantiones spirituales: quarum & formam & finem præscribit. Forma partim in eo est, ut conjunctæ sint cum gratia, seu ut gratiosæ sint, hoc est, ut cum gratia & ædificatione audiantur: partim in eo, ut proficiscantur ex intimo cordis affectu, atq; ita Deo placeāt. Finis autem est, ut fiant ad gloriam Domini, dum scilicet gratiæ ei aguntur pro acceptis beneficiis.

V. 17. speciali huic exhortationi generalem annectit, qua hortatur ad glorificationem nominis Dei in omnibus dictis & factis, idque per Christum mediatorem.

18 Vos uxores, subjicite vos propriis viris, ut convenit, in Domino.

19 Vos viri, diligite uxores, & ne estote adversus eas amarulenti.

20 Vos liberi, auscultate parentibus in omnibus: hoc enim gratum est Domino.

21 Vos patres, ne irritate liberos vestros: ne despondeant animum.

22 Vos servi, auscultate per omnia iis qui domini sunt secundùm carnem, non obsequiis ad oculum exhibitis, ut qui hominibus placere student; sed cum simplicitate cordis, timentes Deum.

23 Et quicquid feceritis, ex animo præstate tanquam Domino & non hominibus:

24 Scientes, vos à Domino recepturos mercedem hæreditatis: nam Domino Christo servitis.

25 Qui verò injuriam intulerit, reportabit injuriam quam intulerit: neq; est personarum respectus.

CAP. IV.

VOs domini, æquitatem & æquabilitatem servis exhibete: ut qui sciatis vos quoque habere dominum in cælis.

Deinceps sequuntur exhortationes speciales, pertinentes ad certos hominum ordines: quorum tria quasi juga seu paria proponit. 1. uxores & maritos. 2. liberos & parentes. 3. servos & dominos.

V. 18. uxores hortatur ut subjectæ sint suis maritis: & hanc exhortationem cõfirmat ab adjuncto decoro: quia hæc subjectio eas decet: tum subjectionem istam certâ limitatione sive exceptione circumscribit, monẽs ut subjectæ sint in Domino, id est eatenus, ut interim subjectæ maneant Domino, nec ab illius obedientia in gratiam maritorum discedant. Confer Eph. 5. ℣. 22. 23. 24. & 33.

V. 19. hortatur maritos, ut uxores suas diligant: & contrà dehortatur ab animi amarulentia, id est, inhumanitate & crudelitate erga illas. Confer Ephes. 5. ℣. 25. & deinceps.

V. 20.

V. 20. hortatur liberos ad obedientiam erga parentes, idq; in omnibus. ubi intelligēda est exceptio illa de qua modò dictum ℣. 18. nempe ut obediant parentibus in Domino quam quidem exceptionem exprimit Apostolus Ephes. 6. ℣. 1. Hanc exhortationem confirmat ab effectu utili: quia obedientia ista grata sit Domino, ac proinde benedictionem illius secum trahat: cujus benedictionis expressè meminit Eph. 6. ℣. 2. & 3.

V. 21. dehortatur patres ne liberos suos irritent: argumentum annectit ab eventu pernicioso: quia periculum sit, ne liberi à parentibus irritati animum despondeant. Confer Ephes. 6. ℣. 4.

Versu 22. hortatur servos ad obedientiam erga dominos: & huic exhortationi primùm inserit consolationem, quatenus dominos vocat dominos secundùm carnem: quo significat, eos tantùm potestatem habere in corpora servorum, non autem in animos & conscientias. deinde formam obedientiæ dominis præstandæ describit, præcipiens ut obedientia ista sit sincera & ex timore Dei profecta: quod ipsum declarat antithesi cōtrariorum vitiorum, vetans ne obsequia præstent ad oculum (id quod pugnat cū sinceritate seu simplicitate cordis) hoc est, ne dominis præsentibus & spectantibus solùm satagant & strenuè mandatos labores suscipiant: quàm primùm autem tergum illi verterint, studium remittant ac cessent: deinde ne studeant placere hominibus (id quod pugnat cum timore DEI) hoc est, ne favorem herorum tantopere demereri sibiq; cōciliare studeant, ut sepositio timore Dei quacunq; ratione placere illis studeāt. Hanc sententiam ℣. 23. repetit. Tum ℣. 24. institutam exhortationem cōfirmat ab effectu utili: quia sic adepturi sint vitam æternam. sic inquam, id est talis obedientiæ viâ, non tamen merito. Ubi notandum, vitam æternam ab Apostolo simul vocari mercedem & hæreditatem. Ac mercedem quidem vocat impropriè, nempe per metaphoram institutæ exhortationi accommodatam: quia disserit de officio servorum: servis autem merces dari solet. Hæreditatem verò nominat propriè: quia vita æterna nobis datur ut filiis, adoptatis scilicet à DEO in filio uni-

genito, nempe Christo: qui principalis hæres est, nos autem illius cohæredes: quia & ipsi sumus filii Dei: Rom. 8. ℣. 17. Tum ℣. 25. servos contra injurias dominorum cõsolatur sententiâ generali ab effectu jucundo: quia futuro sit ut Deus injurias ipsis à dominis illatas ulciscatur. quam sententiam amplificat prolepsi, qua tollit falsam persuasionem dominorum, quasi propter ipsorum dignitatem Deus ipsis parsurus sit. Contrà ait Apostolus, apud Deum non esse προσωπολημψίαν, id est, Deum in judicando nihil morari externas larvas quibus homines ad gratiam aut odium commoveri solent.

V. 1. capitis quarti, qui cum instituta exhortatione cohæret, hortatur dominos ut servis exhibeant æquitatem & æquabilitatem, seu quod justum & æquũ est, i. e. ut labores eorum compensent justâ mercede, ut eis suppeditent victum & amictum, & ut quietem quoq; aliquam permittant; ne nimiis oneribus gravati laboribusq; fracti fathiscant ac deficiant. Argumentum exhortationis annectit ab effectu inutili: quia alioqui futurum sit ut à Deo puniantur, tanquam domino ipsorum.

SCHOLIA IN CAP. III.

4 Quando. ὅταν. *pro, Quando autem,* ὅπου δέ. *Confer* 1. *Johan.* 3. 2. Glorioſi, ἐν δόξῃ. *Ad verb. In gloria, ſeu cum gloria. ſubaudi,* ὄντες, *id eſt, gloria præditi.*

5 Membra. *Sicut ſup. cap.* 2. *v.* 11. *vitioſitatem natura vocavit corpus peccatorum: ita nunc cupiditates inde exorientes vocat membra,* μεταφορικῶς. *Vel dicendũ, eſſe metonymiam ſubjecti: quia in membris iſta ſcelera ſeſe exſerunt.*

6 Filios contumaciæ. τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. *id eſt, Homines contumaces. ut Epheſ.* 2. 2. *& cap* 5. *v.* 6.

8 Ab ore veſtro. ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν. *Præpoſitio* ἐκ *pendet vel à verbo* ἀποθέσθε, *vel à participio* ἐκπορευομένου *ſubintellecto.*

9 *Sed* exuite. ἀπεκδυσάμενοι. *Pro,* ἀλλ' ἀπεκδύσασθε. *Vide Analyſin.*

11 Non eſt. οὐκ ἔστι. *Sic Gal* 3 28.

12 Electi Dei. ἐκλεκτοὶ τοῦ Θεοῦ. *Id eſt, Electi à Deo ad vitã æternã. Sic Tit.* 1. *v.* 1. *Fides Electorum Dei,* ἐκλεκτῶν Θεοῦ.

15 Im-

15 Imperet. βραβευέτω. *Instar brabeuta seu agonothetæ omnia regat ac moderetur. Vide annot. D. Beza.* Grati estote. εὐχάριστοι γίνεσθε *Sic malo quàm Gratias agite. nam plus est* εὐχάριστον γίνεσθαι *quàm* εὐχαριστεῖν, Germanicè, Seyt danckbar.

16 Docendo &c. διδάσκοντες &c. *Ad verb. Docentes. quasi in præcedentibus dixisset,* τὸν λόγον τοῦ χριστοῦ πραγματεύεσθε, *Sermonem Christi tractate. Syntaxis igitur refertur ad sensum orationis, non ad voces.*

17 *Id* omne. πάντα. *Epanalepsis mutato numero: nam præcesserit* πᾶν.

18 Vos uxores. αἱ γυναῖκες. *Pro,* ὦ γυναῖκες. *Sic deinceps.*

24 Recepturos mercedem hæreditatis. *Id est, Recepturos mercedis loco hæreditatem illam cælestem omnibus Dei filiis paratam. Utitur autem mercedis nomine, quia loquitur de servis: & mox ait, eos servire Christo. Quanquam nomen* ἀνταπόδοσις *in genere retributionem significat. Sed hic per synecdochen generis usurpatur.*

25 Reportabit κομιεῖται. *vel, auferet. nempe à Deo.* Injuriam. *id est, Injuriæ pœnam. Metonymia efficientis.* Neq; est. οὐ ἔστι *pro,* Neque enim est. οὐ γὰρ ἔστι. Personarum respectus. προσωποληψία. *Faciei acceptio. Subaudi, Apud Deum. quod alibi exprimitur.*

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Ex ℣. 1. Fideles cum Christo tanquam membra cum capite vitam communem habent. Itaque sicut Christus per spiritum Dei excitatus est ex morte ad vitam cælestem: ita & fidelium corda per spiritum Dei excitantur ex morte peccati ad vitam justitiæ; nec non corpora eorum excitabũtur ad gloriam illam cælestem. Vide Rom. 8. ℣. 10. & 11. 1. Cor. 15. per totum caput. διοδ.

2. *Superna quærite ubi Christus est*] Christus suo corpore non est ubique, sed tantùm in cælo. Nec ubiquitas corporis Christi cõcludi potest ex sessione ipsius ad dextram DEI: Quia Apostolus hîc dicit, Christum ad dextram Dei sedere in supernis, (ἐν τοῖς ἄνω. scil. τόποις) id est, in cælis. Sic ad Hebr. 8. ℣. 1. κελ. ενδίκ.

Ex ℣. 3. & 4. Cùm fideles in hac vita sint mortuis quàm viventibus similiores, propter quotidianas afflictiones παρ.

consolari se debent communione seu societate illa sua cum Christo; quòd nimirum, sicut jam cum Christo affliguntur, ita suo tempore cum eodem glorificandi sint. Confer Rom. 8. ℣. 29. 2. Tim. 2. ℣. 11. & 12. 1. Joh. 3. ℣. 2.

Ex ℣. 5. Observandum, quid sit idololatria, nempe fiduciam suam à Deo avulsam collocare in creatura aliqua. Hoc enim sensu avaritia idololatria ab Apostolo dicitur; & avarus idololatra; quòd avarus fiduciam suam in pecunia collocet.

Ex ℣. 6. Oremus Deum ut nos gubernet spiritu suo, ne contumaciter resistamus sanctis ipsius mãdatis: In tales enim certò ventura est ira Dei, id est, æternum exitium.

Ex ℣. 7. & 8. Recordatione veteris nostræ nequitiæ commoveri debemus ad studium pietatis eò ardentiùs suscipiendum.

Ex ℣. 9. & 10. In homine Christiano sunt quasi duo homines, vetus & novus; quia fideles per Spiritum sanctum regeniti sunt ex parte tantùm. Remanent igitur in renatis reliquiæ veteris hominis; quæ magis & magis sunt deponendæ; & orandum ut novus homo subinde magis renovetur ac instauretur.

Ex ℣. 10. Imaginis DEI ad quã homo conditus fuit, pars una fuit sapientia, qua Deum rectè cognoscebat; altera pars fuit rectitudo volũtatis, de qua ad Eph. 4. ℣. 24.

Ex ℣. 11. Res externæ Deo neminem commẽdant, sed sola fides in Christum, & inde ortum studium pietatis.

Ex ℣. 12. 13. 14. & 15. Ad dilectionem proximi excitare nos debemus consideratione dilectionis Dei Patris & Christi erga nos, & utilitatis quæ inde ad nos pervenit (cùm dilectio sit vinculum perfectionis) & voluntatis Dei qui ad eam nos vocavit.

Ex ℣. 14. Ineptè ratiocinantur Papistæ, cùm colligunt, nos charitate justificari, quia charitas sit vinculum perfectionis. Neque enim his verbis significatur, nos charitate perfectos reddi ad consistendum in judicio Dei; sed docetur, singulos fideles per charitatem perfici, tãquam membra unius corporis, ita ut nulli quicquam desit, sed singulis necessaria suppetant ex mutuo cum cæteris membris consortio.

Ex ℣.

Ex ℣.16. Mos canendi psalmos in Ecclesia utilis est, dummodo cantus ille sic administretur, ut serviat doctrinæ & commonefactioni & proficiscatur ex intimo cordis affectu. Non rectè igitur canunt Papistæ, cùm in canendo utuntur linguâ peregrinâ & populo congregato ignotâ, videlicet Latinâ: talis enim cantus non assequitur legitimũ finem, ut scilicet populus Dei per eum doceatur & commonefiat. Deinde etiam isti cantu psalmorum abutuntur, qui eum dirigunt ad voluptatem aurium: quum dirigendus sit ad doctrinam & commonefactionem. Tertiò non rectè canunt, qui non canunt ex intimo cordis affectu; id quod necesse est accidere iis, qui canunt non intellecta, aut cantum dirigunt ad voluptatem aurium. διδ. παιδ. ἐπ. ἐπ. ἐπ.

Ex ℣.17. Omnis nostri operis initium ab invocatione Dei patris per Christum mediatorem proficisci debet: itemque omnis nostri operis in timore Dei peracti finis esse debet gratiarum actio. παιδ.

Ex ℣.18.20. & 22. Quousque obedientia quam inferiores superioribus sibi præfectis debẽt, sese extendat: nimirum ad ea omnia quibus præstandis non receditur ab obedientia erga Deum. Quare si præfecti aliquid voluntati Dei repugnans præcipiant, obedire illis nõ tenemur. Obediendum enim est Deo potiùs quàm hominibus. παιδ.

Ex ℣.24. Vita æterna propriè loquendo hæreditas est, quia nobis confertur ut filiis, nempe fratribus Filii Dei unigeniti, Rom.8.℣.17. Matth.25.℣.34. Interim tamen appellatur etiam merces, per metaphoram. Nam sicut merces datur operariis post opus peractum (unde & Hebræis עקב hékeb dicitur: voce cognatâ nomini עקב hakéb quod significat calcaneum, finem scilicet pedis: item dicitur אחרית id est finis, extremum) ita felicitas illa cælestis dabitur filiis Dei post exantlatos hujus vitæ labores & ærumnas. Et sic Petrus usurpat nomen τέλος. διδ.

1.Pet.1.℣.9. Infirmum igitur est, quòd Papistæ vocabulo *Mercedis* colligunt, vitam æternam dari propter nostra merita. ἐκδικ.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Redit ad exhortationes generales: deinde familiaribus salutationibus ac piis commendationibus epistolam concludit.

2 In precibus perdurate, invigilãtes iis cum gratiarum actione:

3 Precantes simul etiam pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi; propter quod etiam sum vinctus:

4 Ut, *inquam*, illud patefaciam sicut oportet me loqui.

5 Sapienter vos gerite erga extraneos, opportunitatem redimentes.

7 Sermo vester semper cum gratia *sit*, sale conditus; ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

PRimùm hortatur ad preces, ac nominatim pro se, ut cum fructu prædicare possit Evangelium, ℣. 2. 3. & 4. deinde hortatur ut sapienter versentur cum extraneis, id est, iis qui extra Ecclesiam erant, nondum amplexi fidem Christianam: utque occasionem captent eos Christo lucrifaciendi: vers. 5. Tum hortatur ut sermonem suum accommodẽt ad utilitatem audientium, ac nominatim eorum qui cõtra fidem Christianam disputent, vers. 6.

7 Res meas omnes vobis notas faciet Tychicus, dilectus frater, & fidus minister, ac conservus in Domino:

8 Quẽ misi ad vos ob hoc ipsum, ut cognoscat res vestras, & corda vestra consoletur:

9 Cum Onesimo fido & dilecto fratre, qui est ex

est ex vobis. Omnia *igitur* vobis exponent quæ hîc aguntur.

10 Salutat vos Aristarchus, meus in captivitate socius, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata (si venerit ad vos, excipite eum)

11 Et Jesus qui vocatur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli *sunt* adjutores in regno Dei, qui fuere mihi solatio.

12 Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi, semper certans pro vobis in precibus, ut stetis perfecti & completi in omni voluntate DEI.

13 Hoc enim de eo testor, eum multo vestri studio ardere, & eorum qui sunt Laodiceæ, & eorum qui Hierapoli.

14 Salutat vos Lucas medicus, ille dilectus, & Demas.

15 Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nymphan, & Ecclesiam quæ in domo illius est.

16 Et quum perlecta fuerit apud vos epistola, facite ut etiam in Laodicensium Ecclesia recitetur: & eam quæ scripta est Laodiceâ, ut vos quoque legatis.

17 Et dicite Archippo, Vide ut ministerium, quod accepisti in Domino, impleas.

18 Salutatio meâ manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia *sit* vobiscum. Amen.

Commendat eis Tychicum & Onesimum, & alios nonnullos: ex quibus duos illos tunc ad ipsos mittebat,

cæterorum autem verbis eos salutat, usq; ad ℣.15. Deinde jubet certos quosdam verbis suis salutari, epistolam hanc cum Laodicensibus communicari, & aliam quandam ex Laodicea scriptam, ab ipsis legi, tum Archippum officii studiosè faciendi admoneri. Postremò salutatione suâ adscriptâ, vincula sua precibus ipsorum commendat.

SCHOLIA IN CAP. IV.

2 In precibus perseverate. τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε. *Sic Actor. 1.14. Rom. 12.12.* De quo. περὶ οὗ. *Puto ad Marcum referri: quoniam de eo principaliter loquitur, & mox eum commendat.* Si venerit. ἐὰν ἔλθῃ. *Pro, Si igitur venerit.* ἐὰν οὖν ἔλθῃ. *nempe Marcus, de quo (nimirum excipiendo) accepistis mandata.*

3 Ostium sermonis. θύραν τοῦ λόγου. *Sic 1. Cor. 16. v. 9. item 2. Corin. 2. 12.* Propter quod etiam sum vinctus. δι' ὃ καὶ δέδεμαι. *Confer Phil. 1. 13.*

5 Opportunitatem redimentes. τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι. *Sic Eph 5.16.*

6 Quomodo oporteat vos unicuiq; respondere. πῶς δεῖ, &c. *Confer 1. Pet. 3. 15.*

9 Cum Onesimo. σὺν Ὀνησίμῳ. *De hoc vide in epistola ad Philemonem.*

10 Et Marcus, &c. καὶ Μάρκος, &c. *Hic videtur esse is super quo exorta fuit contentio inter Paulum & Barnabam, Act. 15. v. 37. & seq.*

11 Ex circumcisione. *Id est, Ex circumcisis, hoc est, Judaeis.* Hi soli, &c. οἵτινες μόνοι, &c. *Confer 2. Timoth. 4. v 10.*

12 Epaphras. Ἐπαφρᾶς. *De hoc & supr. 1. 7.* Certans in precibus. *Nota arma Christianorum. Notatur autem hic singularis ardor precandi.*

14 Lucas. Λουκᾶς. *Hujus mentio quoque fit 2. Timoth. 4. 11. Item Dema, ibid. v. 10.*

OBSERVATIONES EX CAP. IV.

Ibid. Ex ℣.3. & 4. Laudabilis mos est, quòd prædicationi Verbi præmittuntur preces, quibus Ecclesia Deum orat, ut mi-

ut ministro largiatur facultatem rectè prædicandi verbum DEI.

Ex collatione utriusque illius versus. Doctrina Evangelii, est quidem illa mysterium, id est, doctrina arcana & rationi humanæ ignota: veruntamen patefit Electis per prædicationem atque institutionem. Eadem est ratio Sacramentorum. διδ.

Ex ℣.5. & 6. Christianos decet sapientia hæc spiritualis, ut diligenter observent occasiones erudiendi ignaros doctrinæ cælestis, iisq; oblatis studiosè utantur ad multos Christo lucrifaciendum. Item ut sermonem suum sapienter ad eos quibuscum loquuntur, accommodent. Hujus sapientiæ exempla illustria extant in sermonibus Christi, ut Joh. 4. in colloquio cum muliere Samaritana: Johan 6. in sermone ad Capernaitas de pane cælesti & vivifico. παιδ.

Ex ℣.11. Si accidat nos in periculis à fratribus deseri: consolemur nos exemplo Pauli, cui idem accidit. Confer 2. Tim. 4. ℣.10. παιδ.

Ex ℣.12. Arma Christianorum sunt preces: in quibus adhibendus est ardor. διδ.

Ex ℣.15. Nomen Ecclesiæ meretur etiam cœtus fidelium exiguus; quales in familiis esse solent. παιδ.

FINIS.

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI AD THESSALONICENSES PRIORIS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PRincipalis scopus Apostoli in hac epistola est, confirmare Thessalonicenses in fide Evangelii ab ipso eis p̃dicati: quo peracto, varia vitæ Christianæ præcepta suo more tradit: quibus etiam doctrinã de resurrectione mortuorum & adventu Domini ad judicium inserit, ad occurrẽdum (ut apparet) errori quorundam, opinantium scilicet eos tantùm vitæ æternæ cum Christo participes fore, quos ipse adveniens in vivis deprehendisset. Partes igitur hujus epistolæ sunt tres: in quarum prima eos hortatur ad perseverantiam in fide, ab initio usq; ad ℣. 12. capitis tertii: in altera hortatur ad vitæ sanctitatem, & varia vitæ Christianæ præcepta tradit, à ℣. 12. capitis tertii usq; ad ℣. 23. capitis quinti, ubi epistolam concludit. Tertia verò pars, quę doctrinam de resurrectione mortuorum & adventu Domini ad judiciũ cõtinet, secundæ parti inserta est, videlicet à ℣. 13. capitis quarti usq; ad ℣. 4. cap. quinti.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Apostolus exhortaturus Thessalonicenses ad perseverantiam in fide, narrationem instituit, comparatam partim ad ipsorum laudem, partim ad ministerii sui apud ipsos functi commendationem, partim denique ad sui excusationem, quòd ad ipsos non venerit ut eos coràm consolaretur. Hæc totis ferè tribus primis capitibus agit, idq; promiscuè. Hoc autem capite post salutationem primùm narrat, quòd ipsorum nomine Deo gratias agat in quotidianis suis precibus, v. 2.

deinde

deinde beneficia Dei commemorat in ipsos collata, pro quibus Deo gratias agat, v. 3. & 4. tum eâ occasione suum apud eos functum ministerium commendat ab adjuncta efficacia, v 5 simulq; laudat ipsorum in Evangelio amplectendo alacritatem & constantiã, v. 6. Quas ipsas virtutes postea amplificat ex eventis, videlicet imitatione aliorum qui scilicet ipsis sint imitati, v. 7. & famâ fidei ipsorum apud complures diffusâ, v. 8 9 & 10. Porrò duobus ultimis versibus conversionem ipsorum è suis partibus terè describit.

PAulus & Silvanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, *quæ est* in Deo Patre, & Domino JESU CHRISTO. Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino JESU CHRISTO.

SAlutatio continet primùm nomen ejus qui scripsit: deinde eorum ad quos scripsit: tum ipsum votum seu precationem qua illis felicitatem exoptat. Nomen ejus qui scripsit est *Paulus*: de quo diximus in epistola ad Romanos. Adjũgit autem sibi Silvanum & Timotheum, tanquam approbatores doctrinæ suæ; quorum in Evangelio prædicando sinceritas Thessalonicensibus haud dubiè perspecta erat. Nomen eorum ad quos scripsit, est *Ecclesia Thessalonicensium*. Precatur eis gratiam & pacem à Deo patre & Christo: significans veram felicitatem à gratia Dei proficisci, & merito Christi credentibus partam esse.

2 Gratias agimus Deo semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in precibus nostris:

3 Indesinenter memoriâ repetentes efficacem vestram fidem, & laboriosam charitatem, & tolerantem illam spem in Domino nostro Jesu coram Deo & Patre nostro.

4 Ut qui sciamus, fratres dilecti à Deo, electionem vestram.

Prima pars narrationis, ubi narrat, quid quotidie

propter Thessalonicenses agat, nempe quòd DEO agat gratias pro donis spiritualibus in ipsos collatis: nimirum fide, charitate & spe: quorum etiam fontem indicat, videlicet electionem DEI. Sic ad Rom. 8. dicit, Quos prædestinavit (id est elegit) eos etiam vocavit, hoc est, fide donavit: cum fide autem charitas & spes necessariò cohærent, ut effecta cum sua causa procreante. Hinc colligitur primum argumentum hortationis ad perseverantiam in fide: quia scilicet eximiâ fide à Deo ex mera gratia sint donati.

5 Quoniam Evangelium nostrum constitit apud vos non loquutione duntaxat, sed etiam virtute, & Spiritu sancto, & certa persuasione multa; sicut nostis quales fuerimus inter vos propter vos.

Secunda pars narrationis, ubi narrat qua ratione Evangelium apud ipsos prædicarit, nempe ita ut illi prædicationi adjuncta fuerit virtus seu efficacia Spiritus sancti, & certa prædicantis persuasio seu plena fiducia. Hinc colligitur secundum argumentum hortationis, ut scilicet perseverent in fide doctrinæ à Paulo acceptæ; quum viderint eam cælitus comprobari, & animadverterint eam plenâ fiduciâ à Paulo annuntiari, homine aliàs minimè audace aut impudente.

6 Et vos imitatores nostri facti fuistis & Domini, recepto sermone cum afflictione multa, cum gaudio Spiritus sancti:

7 Adeò ut fueritis exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & in Achaja.

8 A vobis enim non solùm personuit sermo Domini in Macedonia & Achaja, verùm etiam in omnem locum fides vestra quæ est in Deum, dimanavit; ut necesse non habeamus quicquam loqui.

9 Siquidem ipsi de nobis annuntiant qualem

lem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo converteritis vos ad Deum, relictis idolis, ut serviretis DEO vivo & vero:

10 Et exspectaretis Filium ejus è cælis, quem excitavit à mortuis, *nempe* JESUM qui eruit nos ab ira illa ventura.

Tertia pars narrationis, ubi narrat quomodo Thessalonicenses se gesserint, quum Paulus apud ipsos Evangelium prædicaret: nempe quòd doctrinam illam cælestem promtè & alacriter amplexi sint fide. Hanc in credendo alacritatem illustrat primùm collatione similium, quum dicit, Et vos imitatores nostri facti fuistis & Domini. quasi dicat, Quàm promtus ac liberalis fuit Dominus in Evangelio vobis mittendo, itemque quàm promtus atque alacris fui ego in Evangelio vobis prædicãdo: tam promti & alacres fuistis vos in eodem amplectendo. Deinde amplificat istam alacritatem expositione causæ corrumpẽtis, ubi dicit, Eos recepisse sermonem cum oppressione seu afflictione multa. quasi dicat, Tãta fuit vestra in Evangelio recipiendo alacritas & constantia, ut non passi sitis vos ab illius professione deterreri ullâ, quantumvis magnâ, persecutione. Tertiò amplificat illam alacritatem ab adjuncto gaudio: quòd in media persecutione, nihilominus propter Evangelium sibi patefactum gavisi sint. Quod quidem gaudium vocat gaudium Spiritus sancti, eò quòd Spiritus sanctus ejus author fuisset. Atque hæc habentur ℣. 6. Quartò amplificat illam alacritatem credendi ab insigni effectu duplici: videlicet ab imitatione aliorum, qui ipsorum exemplum sint imitati, ℣. 7. & ab illustri fama ad complures diffusa, ℣. 8. & 9. Hinc colligitur tertium argumentum hortationis. nam quum tantâ alacritate Evangelium amplexi sint, turpe esset in medio cursu deficere. Item quartum, nempe quum tot pios homines testes & approbatores habeant suæ fidei, turpe esset ab ea deficere, atq; ita præclarum illorum de ipsis judiciũ refellere. Portò circa finem ℣. 9. & 10. describit cõversionem ipsorum ex adversis terminis. Terminus à quo, sunt idola: termi-

nus ad quem, est Deus vivus & verus, & Filius ejus, nempe Dominus noster JESUS CHRISTUS.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Silvanus. Σιλουανός. *Hic Silvanus videtur fuisse ille ipse qui à Luca in Actis Silas nominatur: id quod colligitur ex collatione hujus epistolæ cum Actis. Etenim in Actis narratur, Paulum assumsisse comites & socios peregrinationum suarum Silam & Timotheum, Act. 15. v. 40. & cap. 16. v. 3. Deinde narratur, Silam & Timotheum substitisse Beroeæ, quum Paulus proficisceretur Athenas, mandatáque accepisse ut quam-rutissimè ad ipsum venirent, Act. 17 v. 14 & 15. Tum narratur, utrumque è Macedonia (nempe Beroeâ quæ in Macedonia sita erat, ut liquet ex cap. 17. v. 10. & 11.) venisse ad Paulum, quum is Athenis jam profectus esset Corinthum: Act. 18. v. 1. & 5. Jam verò ex hac epistola liquet, Paulum quum hanc epistolam scriberet, secũ habuisse Silvanum & Timotheum, cap. 1. v. 1. deinde & hoc liquet, Paulum antequam hanc epistolam scriberet, ad Thessalonicenses misisse Timotheum Athenis, ita ut ipse solus ibi relinqueretur, cap. 3. v. 1. & 2. Hinc jam colligitur, à Luca hoc esse præteritum, quòd dum Paulus Silam & Timotheum Athenis exspectaret, solus Timotheus ad eum illuc venerit, & inde ad Thessalonicenses missus sit, relicto scil. Beroeæ Sila qui hic Silvanus nominatur. Postea autem quum à Thessalonicensibus ad Paulum qui interim Corinthum profectus erat, rediturus esset Timotheus, Silam sive Silvanum secum assumsit, & unâ cum illo Corinthum ad Paulum venit, unde hac epistola communi ipsorum nomine ad Thessalonicenses scripta & missa fuit. Quare falsa est annotatio huic epistolæ subjecta, quòd hac epistola Athenis scripta fuerit: qua sententia videtur nata fuisse ex loco hujus epistolæ non intellecto, nempe cap. 3. v. 1. & 2. ubi ait Paulus, se sustinuisse solum relinqui Athenis, & Timotheum ad Thessalonicenses misisse: qua verba istius annotationis author sic accepit, quasi Paulus Timotheum cum hac ipsa epistola ad Thessalonicenses miserit, ac proinde quasi loquatur de missione præsenti, non autem de præterita. Sed huic expositioni repugnat, quòd hac epistola ipsius quoq; Timothei nomine scripta est: non igitur*

per

per ipsum est missa. Ecclesiæ Thessalonicensium. τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων. *Vocabulo* ἐκκλησίας *intelligitur multitudo vocatorum ad communionem Dei per prædicationem Evangelii. Porrò Thessalonica (unde dicti Thessalonicenses) oppidum fuit in ora sinus Macedonici, medio littoris flexu situm, libera conditionis: teste Plinio lib. 4. Nat. hist. cap. 10. De hujus autem Ecclesiæ origine vide Act. 17 à principio.* Quæ est in Deo Patre &c. *Id est, Quæ fiduciâ suâ recumbit in Deo Patre, &c. vel, Quæ collecta est per efficaciam Dei Patris, &c.* Gratia χάρις. *id est, favor seu benevolentia.* Pax. εἰρήνη. *id est, Vera felicitas seu beatitudo. Hebraica salutandi forma.*

3 Efficacem vestram fidem. ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως. *Ad verb. Vestrum opus fidei. Trajectio gemina: una pronominis* ὑμῶν: *altera nominis* ἔργου, *per hypallagen Hebraam. Dicitur enim* τὸ ἔργον τῆς πίστεως, *pro,* ἡ πίστις τοῦ ἔργου, τουτέστιν ἐργώδης *vel* ἐνεργουμένη: *opus fidei, pro, Fides operis, hoc est, operosa seu actuosa, seu denique efficax, nempe per charitatem: ut expressè loquitur Gal. 5. v. 6.* πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. *& hîc quoque verbis sequentibus declarat. Est autem eadem hypallage in sequentibus quoq; duobus membris: ubi dicitur* κόπου τῆς ἀγάπης, *pro* ἀγάπη κοπιῶσα: *&* ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος, *pro* ἐλπὶς ὑπομένουσα. Coram Deo, &c. *Monet, Deum quasi spectatorem esse commemoratarum virtutum. Et meritò. Is enim* καρδιογνώστης *est.*

4 Ut qui sciamus &c. εἰδότες. *Hæc sententia sic distinguenda est, ut cum vocibus* ὑπὸ θεοῦ, *conjungatur participium* ἠγαπημένοι: *ac proinde sic vertẽdum,* Ut qui sciamus, fratres dilecti à Deo, electionem vestram. *Confirmatur hæc distinctio ex collatione versiculi 13. capitis secundi epistolæ posterioris: ubi habetur,* ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ κυρίου: *ita ut hæc verba,* ὑπὸ κυρίου, *non possint conjungi cum alia voce quàm illo participio* ἠγαπημένοι.

5 Evangelium nostrum. *Id est, à nobis prædicatum: seu, nostra Evangelii prædicatio. Metonymia subjecti.* Non loquutione duntaxat, &c. οὐκ ἐν λόγῳ μόνον, *&c. Confer 1. Corinth. 2. v. 4. 5. & cap. 4. v. 20.* Sed etiam virtute, &c. ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει. *Puto, sequentia nomina cum præpositione* ἐν *pendêre omnia à verbo* ἐγενήθη: *ac proinde sic ver-*

tendum, Sed etiam virtute & Spiritu sancto & certa persuasione multa. id est, Virtute quam suppeditavit Spiritus sanctus, ac nominatim illa animi certa persuasione & alacritate. Nam nomen πληροφορίας hic referendum esse ad Apostolum pradicantem: intelligitur ex sententia quæ mox subjicitur, ubi enumerata omnia uno verbo complectitur, inquiens, Sicut nostis quales fuerimus inter vos: quanta scil. libertate atq; alacritate pradicaverim apud vos Evangelium. Inter vos, propter vos. ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς. Polyptoton.

6 Recepto sermone. δεξάμενοι τὸν λόγον. id est, Quatenus recepistis sermonem, nempe sermonem Evangelii. Synecdoche generis. Cum oppressione. ἐν θλίψει. Vel, Cum afflictione. Pro, μετὰ θλίψεως. Hebraismus. De re ipsa vide Act. 17. v 5. & deinceps. Cum gaudio Spiritus sancti. μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου. id est, cum gaudio cujus author atque effector est Spiritus sanctus. Illud autem est, quum gaudemus nos dignos à Deo censeri qui aliquid patiamur propter veritatem ipsius, Act. 5. v. 41. item qui consortes simus afflictionum Christi, 1. Petr. 4. v. 13.

7 Exemplaria. τύπους. Sic 1. Petr. 5. 3. Sic etiam Horatius loquitur, ubi ait:

Rursum quid virtus, & quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem.

8 Sermo Domini. ὁ λόγος τοῦ κυρίου. Id est, sermo Evangelii: Sic dictus sive ratione objecti, quòd de Domino (nempe Christo) testetur: sive ratione efficientis, quòd Dominum authorem habeat. Non solùm personuit sermo. ἐξήχηται ὁ λόγος οὐ μόνον. Particula οὐ μόνον trajecta sunt: ut manifestè liquet ex collatione membri sequentis. Fides vestra dimanavit. ἡ πίστις ὑμῶν ἐξελήλυθε. id est, fama de vestra fide. Metonymia subjecti. Similiter laudat Romanos cap. 1. v. 8. inquiens, ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ: Fides vestra annuntiatur (id est, pradicatur & sermonibus hominum celebratur) in toto mundo. Quicquam loqui. λαλεῖν τι. scilicet ad commendandum vestram fidem. Synecd. generis.

9 Ipsi. αὐτοὶ. Nempe fideles vicinarum Ecclesiarum in Macedonia & Achaja. Est autem nomen αὐτοὶ hoc loco emphaticum; quasi dicat, Vel tacente me, ipsi sua sponte pradicant

eant vestram credendi alacritatem. Germanicè, sie selbst. Qualem ingressum habuerimus ad vos. ὁποῖον εἴσοδον ἔσχομεν πρὸς ὑμᾶς id est, Quàm alacriter me ad vos ingredientem & Evangelium vobis prædicantem exceperitis. Vide Actor. 17. v. 4. Conversi fueritis. ἐπεστρέψατε. Ad verbum, Converteritis. scilicet, vos. id est, Reversi sitis, vel reverteritis. Ellipsis Hebraica. Relictis idolis. ἀπὸ τῶν εἰδώλων. Sententia ad ambiguitatem evitandum alio verbo expressa. Ad verbum, Ab idolis. Præpositione ἀπὸ notatur terminus quem vocant A quo. Sicut in verbis præcedentibus πρὸς τὸν θεὸν, præpositione πρὸς notatur terminus qui dicitur Ad quem. Deo vivo. Θεῷ ζῶντι. Tacita antithesis, qua innuitur, idola non esse deos, quum careant vita. Et vero. καὶ ἀληθινῷ. Hoc opponi videtur diis illis commentitiis, qui aliquando vixerunt quidem & secundùm animam etiamnum vivunt, sed non sunt veri dii: quum fuerint homines mortales: ut Jupiter, Mars, Mercurius, &c.

10 Qui liberat nos. τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς. Qui eripit nos, vel eruit. Nam Latinorum Ruo, unde compositum Eruo, videtur ortum ex Græco hoc ῥύω. Sic in precatione Dominica, ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Libera seu eripe nos ab illo malo. Potest autem participium ῥυόμενον per enallagen exponi de tempore futuro, quia mox fit mentio iræ illius ventura. Potest etiam accipi simpliciter de tempore præsente, atque adeò de actu continuo. Christus enim sicut mortis suæ merito nos semel liberavit à futuris impiorum pœnis: sic quotidie, imò continenter, Spiritus sui efficaciâ nos eripit ab eisdem pœnis, quatenus nos in vera sui agnitione ac fide conservat. Et tandem in die judicii perfectè nos eripiet, quum nos secum assumet in cælum. Ab ira illa ventura. ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης. pro, τῆς ἐλευσομένης. Enallage temporis. Et articulus ante ὀργῆς, notat certam iram, nempe iram Dei: quo nomine hic per metonymiam efficientis intelliguntur pœnæ damnatorum ab irato Deo inferendæ. Sic loquebatur & Johannes Baptista, compellans Pharisæos & Sadducæos his verbis, Progenies viperarum, quis vobis prænonstravit ut fugeretis à futura illa ira? ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς. Matth. 3. v. 7. De hac ira loquitur Paulus etiam Rom. 12. v. 19. Date locum iræ.

OBSERVATIONES EX CAP. I.

paul. Ex ℣.1. Exemplum modestiæ in Paulo: qui sibi Silvanum & Timotheum adjungit, tanquam & ipsi aliquid ad scribendum hanc epistolam contulissent.

did. 2. Ecclesiæ author est Deus Pater & Dominus Jesus Christus. nam Deus Pater Ecclesiam elegit in Christo, Ephes.1. & Christus Ecclesiam suo sanguine acquisivit, Act. 20. uterque autem per Spiritum sanctum eam vocat in cognitionem & communionem sui.

did. 3. Vera pax seu felicitas à DEI gratia per meritum Christi parta proficiscitur.

paul. Ex ℣.2.3.& 4. Officium Christianorum est, ut Deo quotidie gratias agant tum pro cæteris omnibus beneficiis, tum inprimis pro donis illis spiritualibus ad vitam æternam necessariis, videlicet fide, charitate & spe: idque non solùm pro seipsis, sed etiam pro fratribus.

did. 2. Vera fides est operosa & efficax per charitatem, estque conjuncta cum tolerantia crucis & spe vitæ æternæ. Sic Gal.5. ℣. 6. πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Hebr. 9. 36. Patientia vobis opus est.

paul. 3. Charitatis est, pro electis habere omnes eos, in quibus fidei, charitatis & spei signa conspicimus. Fides enim propria est electorum, Tit.1.℣.1.

paul. Ex ℣.5. Quoties Evangelium prædicandum est, orandus est Deus ut prædicationem efficacem reddat per Spiritum sanctum.

paul. Ex ℣.6. Non est satis, pastorem Ecclesiæ fideliter & alacriter verbum Dei Ecclesiæ proponere: sed necesse est, ut Ecclesia hanc alacritatem imitetur: ut auditores tam sint alacres in verbo Dei recipiendo; atque pastores in eodem proponendo

did. 2. Confessionis Evangelii comes est persecutio: quia Diabolus non potest ferre ut homines per agnitionem veritatis cælestis transferãtur ex ipsius regno in regnum Dei. Huc pertinent illa dicta, 2. Tim. 3. ℣.12. Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Act. 14. ℣.22. Per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum Dei. Joh. 15. ℣.20. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, &c.

3. Spi-

3. Spiritus sanctus fideles in persecutione propter Evangelium ita consolatur, ut etiam spirituali gaudio perfundantur. Sic Act 5. circa finem narratur, Apostolos quum virgis cæsi essent propter Evangelii prædicationē, à conspectu concilii abiisse gaudentes quòd digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur. Ad hoc gaudium hortatur Christus Matth. 5. ℣. 12. δίδ. παρ.

Ex ℣. 7. Illustris fides quorundam in Ecclesia aliis imitanda est. Confer Hebr. 13. 7. παράδ.

Ex ℣. 8. Ea demum vera laus est apud pios, quum quis propter fidem, i. e. veram cognitionem Christi laudatur. δίδ.

Ex ℣. 9. Vera conversio non est idola deserere, nisi quis simul Deum verū & vivum in Christo unico redemtore colat. Huc pertinet illud, Desine à malo & fac bonum. διάθ.

Ex eodem versu. Ex propria significatione verbi ἐπιστρέψατε, non potest cōcludi, hominem ad Deum reverti ex suis ipsius viribus. In singulis enim locum habet illud Jeremiæ; Converte me Domine, & convertar: postea quam enim convertisti me, conversus sum. ἐνδίκ.

Ex ℣. 10. Vera fides exspectat Christū è cælis, ut nos ab omnib⁹ malis liberatos, regni sui plenè participes faciat. διάθ.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

In principio hujus capitis redit ad commendationem sui apud Thessalonicenses functi ministerii: quam capite superiore v. 5. paucis attigerat. Atq; in hac commendatione partim sibi tribuit boni pastoris virtutes, partim à se removet vitia quæ à Pastore debent esse aliena: usq; ad v. 13. Deinde rursum Thessalonicensium alacritatem suæ in docendo diligentiæ respōdentem, & eorundem infractam patientiam commendat, ipsosq; contra scandalum incredulitatis Judæorum confirmat, à v. 13. usque ad 17. Postremò incipit se excusare, quòd ad ipsos non venerit, coram-consolandi causâ, à v. 17. & deinceps.

PRIMA PARS.

NAm ipsi nostis, fratres, ingressum nostrum ad vos non fuisse vanum:

2 Immo etiam *multa* priùs passi & contumeliis affecti Philippis, sicut nostis, libertate agendi usi sumus in Deo nostro ad loquendum apud vos Evangelium Dei cum multo certamine.

3 Exhortatio enim nostra non fuit ex impostura, neque ex impuritate, neque cum dolo.

4 Sed sicut approbati sumus à Deo quibus crederetur Evangelium, ita loquimur; non ut hominibus placentes, sed Deo: qui approbet corda nostra.

5 Neque enim unquam sermone assentatorio usi sumus, sicut nostis; nec avaritiæ causâ quicquam prætexuimus: (Deus testis *est*.)

6 Neque quæsivimus ex hominibus gloriam; nec à vobis, nec ab aliis; quum possemus *vobis* oneri esse, ut Apostoli Christi.

7 Sed fuimus placidi in medio vestri, ut si nutrix foveat liberos suos.

8 Ita cupidi vestri, avebamus impertiri vobis non solùm Evangelium Dei, sed etiam nostras ipsorum animas; quòd chari nobis essetis.

9 Meministis enim, fratres, laboris nostri ac ærumnæ. nocte enim ac die operando, néquem vestrûm gravaremus, prædicavimus apud vos Evangelium Dei.

10 Vos testes *estis* & Deus, quàm sanctè & justè & inculpatè erga vos qui creditis, nos gessimus.

11 Sicut nostis quomodo unumquenq; vestrûm, tanquam pater liberos suos, hortabamur & consolabamur:

12 Et

12 Et obtestabamur ut ambularetis sicut dignum est Deo, vocante vos ad suum regnum ac gloriam.

Versu 1. suum apud Thessalonicenses ministerium commendat ab effectu: inquiens, ingressum suum ad Thessalonicenses non fuisse vanum seu inanem, hoc est, prædicationem suam qua primùm ad ipsos ingrediens fuerat usus, non caruisse suo fructu, sed fuisse efficacem, gignendo scilicet fidem in cordibus ipsorum.

V. 2. duas virtutes sibi tribuit: παῤῥησίαν, id est, libertatem agendi, & fortitudinem in sustinendis certaminibus: quæ utraque virtus argumentum est animi sibi bene conscii & bonam causam agentis. Hac igitur commendatione innuit doctrinæ suæ veritatem: unde sequitur, Thessalonicenses in fide doctrinæ à Paulo acceptæ constanter perseverandum esse. Est igitur hoc aliud hortationis institutæ argumentum. Porrò illam suam libertatem amplificat expositione causæ corrumpentis, nempe afflictionum & contumeliarum quibus propter liberam Evangelii prædicationem paulo antè affectus fuerat Philippis. Historia extat Act. 16. ubi narratur, quomodo Paulus eò quòd spiritum Pythonis ex ancillula quadam ejecisset, à dominis istius unâ cum Sila tractus fuerit in forum ad magistratus, & propter Evangelii prædicationem virgis cæsus, ac multis plagis affectus in carcerem cõjectus fuerit. Vide Act. 16. ℣. 12. & deinceps. Porrò certaminis nomine hauddubiè intelligit tumultum illum quem Thessalonicæ adversus Paulum concitaverant increduli Judæi: qui tumultus describitur Actor. 17. ℣. 5. & deinceps. Nisi isto nomine intelligere malimus concertationes ejus cum incredulis Judæis in synagoga, Actor. 17. ℣. 1. 2. 3.

V. 3. 4. & 5. commendat suam in Evangelio apud Thessalonicenses prædicando sinceritatem, & contraria vitia à se removet: cujusmodi sunt impostura, impuritas, dolus, assentatio, avaritia. Præterea sinceritatẽ suam describit ex prædicationis suæ scopo, per antithesin: profitetur enim, se Evangelio prædicando non hoc agere ut

placeat hominibus, sed ut placeat Deo. Et hanc ipsam scopi seu finis expositionem amplificat expositione causæ impulsivæ, videlicet judicii Dei de se, quòd nimirum Deus se sincerum judicaverit, ac proinde Evangelium sibi crediderit, id est, prædicandum commiserit. Denique hanc suam sinceritatem jurejurando confirmat.

V. 6. & 7. commendat suam modestiam & humanitatem qua apud Thessalonicenses usus sit. Modestiam significat, quatenus à se removet ambitionem & usurpationem authoritatis. Humanitatem verò illustrat similitudine nutricis fovens fœtus suos.

V. 8. commendat suum erga ipsos amorem ac benefaciendi studium, per collationem imparium.

V. 9. ex effectis, nempe ex factis suis, confirmat quod versu 6. dixerat de sua modestia, item quòd à se removerat crimen avaritiæ, V. 5. quia labore manuum suarum sibi victum cõparaverit: quod ipsum testimonio Thessalonicensium confirmat: & à circumstantia temporis per distributionem amplificat, item expositione causæ finalis.

V. 10. quasi summam institutæ inductionis, nempe virtutum suarum enumerationis, colligit; quatenus integritatem suam generalibus verbis commendat: quod ipsum testimonio tum Thessalonicensium tum ipsius Dei confirmat.

Versu 11. & 12. paternum suum affectum prædicat in ipsis tum consolandis, tum ad vitæ sanctitatem exhortandis.

SECUNDA PARS.

13 Propterea etiam nos gratias agimus Deo indesinenter, quòd quum accepistis à nobis sermonem Dei auditum, exceperitis *eum* non ut sermonem hominum, sed (sicut est verè) *ut* Dei sermonem, qui etiam agit in vobis qui creditis.

14 Vos enim, fratres, imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu; quippe quum eadem passi sitis & vos à propriis

propriis contribulibus, sicut & illi à Ju[illegible]eis:

15 Qui etiam Dominum Jesum & proprios Prophetas occiderunt, & nos exegerunt: neque Deo placent, & omnibus hominibus adversantur:

16 Prohibentes nos Gentibus loqui ut salventur; ut semper compleant peccata sua. Occupavit enim eos ira ad extremum usque.

Redit ad Thessalonicenses: ac primùm laudat ipsorum alacritatem in Evangelio recipiendo. Evangelium autem describit partim à causa efficiente seu authore, qui est Deus, per antithesin disparatorum, qua negat Evangelium esse sermonem hominum: partim ab effectu; significans, Deum per Evangeliũ in ipsis operatum esse fidem, & tolerantiam persecutionis. Tolerantiam autem hanc illustrat collatione similis exempli, nempe fidelium in Judæa. nam sicut illi à Judæis propter Evangelium persecutionem passi fuerunt: sic Thessalonicenses à suis contribulibus. Postea ostendit, nõ esse quod de veritate Evangelii dubitent propter Judæorum rebellionem: primùm quia nihil hîc accidat novi, quum Christum ipsum & prophetas & apostolos persecuti sint: deinde quia sint manifestè impii: postremò quia divinitus sint exitio destinati.

TERTIA PARS.

17 Nos verò, fratres, orbati vobis ad tempus conspectu, non animo, eo vehementiùs studuimus videre faciem vestrã, cum multo desiderio.

18 Ideo voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus) semel atque iterum, sed impedivit nos Satanas.

19 Nam quæ est nostra spes aut gaudiũ, aut corona de qua glorier? annon & vos in cõspectu Domini nostri Jesu Christi, in ejus adventu?

S

20 Vos enim *certè* estis gloria nostra & gaudium.

Incipit se excusare quòd ad ipsos non venerit consolandi causâ. Ac primùm affirmat, se id seriò cupivisse atque operam dedisse: deinde conqueritur, Satanam impediviſse conatus suos: tum causam impulsivam exponit, cur ad eos venire ipsosque consolari seriò cupierit, nempe quòd ex ipsorum fide tanquam fructu ministerii sui, laudem á Christo exspectet in adventu ipsius.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Vanum. κενὴ. Sive inanem: id est, fructu carentem. Vult dicere, suam prædicationem non abiisse sine fructu: sed fuisse efficacem. Hoc sensu rectè negatur, Panem & vinum sacræ Cœnæ esse inania signa: quia Spiritus sanctus per illa est efficax in Electis, efficiens nimirum ut divinis illis testimoniis fidem habeant, atque ita per fidem participes fiant rerum significatarum ac promissarum.

2 Libertate agendi usi sumus. ἐπαῤῥησιασάμεθα. παῤῥησία propriè est libertas dicendi, ex πᾶν omne & ῥῆσις dictio, quum quis omne id dicit quod ad rem pertinet, nihil veritus offensionem eorum quibuscum loquitur. Veruntamen apud Paulum accipitur hæc vox plerumque generaliter pro agendi libertate, quam alibi πεποίθησιν, id est fiduciam nominat: ut 2. Cor 3. v. 4. Et sic παῤῥησιάζεσθαι hoc loco est libertate in agendo uti. In Deo nostro ἐν τῷ θεῷ ἡμῶν. id est, freti ope Dei nostri. Deum autem vocat Deum suum, significans suam in illum fiduciam. Sic Galat 2. v. 20. Evangelium Dei. τὸ εὐαγγέλιον θεοῦ. id est, Cujus author est Deus. Cum multo certamine. ἐν πολλῷ ἀγῶνι. id est, μετὰ πολλοῦ ἀγῶνος. Hebraismus.

3 Non *fuit* ex impostura οὐκ ἐκ πλάνης. scilicet ἐγένετο. Ex impuritate. ἐξ ἀκαθαρσίας. id est, animo impuro seu insincero. Cum dolo. ἐν δόλῳ. id est, μετὰ δόλου, vel ἐκ δόλου. Copia verborum: nam tribus istis vocabulis rem unam eandemque significat.

4 Approbati sumus. δεδοκιμάσμεθα. Id est, probi & idonei judicati sumus Quibus crederetur Evangelium. πιστευθῆναι τὸ εὐαγγέλιον. id est, Cujus fides committeretur Evan-

Evangelii prædicatio. nam de se solo loquitur plurali numero. Est autem phrasis Græca, πιστὸς ὁ λόγος τοῦτο, *q. d. Credor hanc rem, pro, Creditur mihi hæc res. Eâdē phrasi utitur* 1. Tim. 1. v. 11. *Non ut hominibus placentes* οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες. *id est, non ut illi qui hominibus placere student, ac proinde doctrinam suam ad hominum gratiam inflectunt.*

5 *Neque enim unquam sermone assentatorio usi sumus.* οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν. *Ad verbum, Neq; enim unquam in sermone assentationis fuimus. Hebraismus:* λόγου κολακείας *pro* κολακευτικός. *Nec avaritiæ causâ quicquā prætexuimus.* οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας. *Repete ex priore membro,* ἐγενήθημεν. *Ad verb. Nec in prætextu avaritiæ fuimus. id est, Nihil legimus ex avaritia, interim avaritiæ aliquid prætexentes, ut fere avari solent. Deus testis est.* θεὸς μάρτυς. *Supple* ἐστί. *Formula jurandi: qua & alibi utitur.*

6 *Neque quæsivimus.* οὔτε ζητοῦντες. *Ad hoc participium repetere* ἀπὸ κοινοῦ *oportet verbum* ἐγενήθημεν, *ex versu præcedente. Ad verbum igitur est, Neque fuimus quærentes. Ex hominibus.* ἐξ ἀνθρώπων. *id est, ab hominibus,* ὑπ' ἀνθρώπων, *vel* ἀπ' ἀνθρώπων: *qua voce mox utitur in subjecta distributione. Quum possemus.* δυνάμενοι. *id est, Quamvis possemus,* καίπερ δυνάμενοι. *Enuntiatum discretum. Oneri esse.* ἐν βάρει εἶναι. *Vel, si mavis, In pondere esse. Omnino enim & ipsa phrasis, & præcedens ac sequens sententia videntur postulare, ut hæc verba de authoritate Apostolica, vel potius de illius usu intelligamus. Sic enim dictum est* ἐν βάρει εἶναι, *ut dicitur* ἐν τιμῇ εἶναι. *Et præcessit, Non quærentes gloriam à vobis. Et sequitur, Sed fuimus placidi in medio vestri. Videtur igitur sic vertendum, Quum possemus in pondere esse. vel, Quum possemus in authoritate esse. id est, quum possemus nos graviter gerere & pro authoritate Apostolica vobis imperare, vos increpare &c. quemadmodum ait ad Corinthios: Quid vultis? ἐν ῥάβδῳ ἔλθω &c. 1. Cor. 4. v. 21. Interim sententia diversa nihil præjudicatum volo, eorum scilicet, qui hoc verbum exponunt ex versu sequente nono. Ad quam confirmandam facit quoq; locus 2. Cor. 11. v 9. ubi ait,* ἐν παντὶ ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα, *In omnibus me præstiti vobis minimè onerosum.*

7 Placidi. ἤπιοι. *Alii legunt* νήπιοι, *infantes. Sed istud rectiùs: ut liquet ex membro antithèto præcedente, & similitudine mox sequente.*

8 Avebamus. εὐδοκοῦμεν. *Pro* ἠυδοκοῦμεν. *Præsens pro imperfecto: sicut suprà cap.1. v. 9.* ἔχομεν *pro* εἴχομεν. εὐδοκεῖν *propriè significat In re quapiam acquiescere, seu Re aliqua delectari: hìc per metonymiam efficientis idem valet quod Cupere seu Avere.*

9 Operando. ἐργαζόμενοι. *nempe conficiendo tabernacula: erat enim Paulus* σκηνοποιὸς, *Actor. 18. v. 3.* Ne quem vestrùm gravaremus. τοῦ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν. *id est, Ne cui vestrùm gravis & molestus essem exigendo alimenta.*

10 Erga vos nos gesserimus. ὑμῖν ἐγενήθημεν. *Ad verb. Vobis fuerimus.*

11 Hortabamur. παρεκαλοῦμεν ὑμᾶς. *Præcessit ἕνα ἕκαστον ὑμῶν: quod hìc πλεοναστικῶς repetitur parumper mutatum. Talis epanalepsis exstat Coloss. 3. v. 17. Porrò ad participium* παρακαλοῦντες, *similiter ad duo sequentia,* παραμυθούμενοι & μαρτυρόμενοι, *subauditur verbum substantivum* ἦμεν, *more Hebræorum, q. d. Hortantes eramus, & consolantes & obtestantes. Pro,* παρεκαλοῦμεν, παρεμυθούμεθα, ἐμαρτυρόμεθα.

13 Quòd quum accepistis à nobis sermonem Dei auditum, exceperitis eum &c. ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ, ἐδέξασθε, &c. *Ad verb. Quòd quum accepistis sermonem auditus (seu auditionis) à nobis Dei. Quæ verba subobscura sunt propter trajectionem: puto autem sic construenda, ut verba illa* παρ' ἡμῶν *regantur à participio* παραλαβόντες: & λόγου τοῦ θεοῦ *dicatur eodem sensu quo paulò antè v. 8. &* 9. *dictum fuit* τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, *nempe ab authore: &* δεκτὸς λόγου ἀκοῆς *per Hebraismum dicatur pro* λόγου ἀκουσθεὶς, *ex quo ipso intelligitur metonymicè* κηρυχθεὶς, *prædicatus. Sicut hoc nomen* ἀκοὴ *metonymiâ Hebraicâ pro prædicatione accipitur, Rom. 10 v. 16. & 17. Non ut sermonem.* ὲ λόγον. *Pro* οὐχ ὡς λόγον. *Sic mox,* ἀλλὰ λόγον: *pro,* ἀλλ' ὡς λόγον. Qui. ὃς. *Sive sermo, sive Deus. nam uterq; agit in credentibus: hìc quidem ut causa principalis, ille verò ut instrumentum. Nam prorsus dissimilis ἀμ-*

φιβολία

φιβολία est Colosſ. 2. v. 3. ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ. Praecedit autem, εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ θεου καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριστοῦ. unde exponi potest, vel ἐν ᾧ, scilicet μυστηρίῳ: vel ἐν ᾧ, scilicet χριστῷ. Probabilius autem est, pronomen ὃς hîc referendum ad τὸν λόγον: quia (ut apparet) Apoſtolo propoſitum est, ſermonem Evangelii à ſe praedicatum commendare: commendat autem eum hîc ab efficacia.

14 Vos enim. ὑμεῖς γὰρ. Conjunctio cauſalis hîc non tam probationem quàm declarationem notat. Declarat enim hîc ſpecialiter quod modò dixerat generaliter de efficacia ſermonis Dei in Theſſalonicenſibus. A propriis contribulibus. ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν. Hac voce videtur in genere ſignificare concives eorum: qui increduli permanſerant, tum ex Judaeis, tum ex Gentilibus. Sicut & illi &c. καθὼς καὶ αὐτοὶ &c. Quid fideles in Judaea, à Judaeis paſſi ſint, declarat Apoſtolus Heb. 10. v. 32. 33. & 34. ubi in ſpecie commemorat probra & direptionem facultatum.

15 Exegerunt ἐκδιωξάντων. Perſequendo ejecerunt.

16 Loqui. λαλῆσαι. Nempe τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, ſermonem Dei, comprehenſum ſcilicet ſacrâ Scripturâ. Ut ſemper compleant &c. εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι &c. His verbis ſignificatur finis ſeu ſcopus, non quidem quem ipſi ſibi habebant propoſitum perſequendo credentes: ſed quem Deus ſibi habebat propoſitum permittendo illis iſtam perſecutionem: Sicut percipitur ex verbis mox ſequentibus, quibus horum ratio continetur. Porrò phraſis iſta exſtat etiam Gen. 15. verſu 16. ubi dicitur, nondum eſſe completam iniquitatem Emorai, id est, Cananaeorum. Occupavit enim. ἔφθασε γὰρ. Conjunctio γὰρ poſita est pro γὰρ. nam (ut modò diximus) rationem praecedentis ſententiae ſubjicit. Ira. ἡ ὀργὴ, nempe ira Dei.

17 Orbati vobis. ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν. Graeca verba ἐμφατικώτερα ſunt: quia ſeparationem bis exprimunt per praepoſitionem ἀπὸ. Ad tempus. πρὸς καιρὸν ὥρας. Eine zeitlang. Sic malo, quàm, Ad temporis momentum. Non enim videtur notari breve tempus, ſed longiuſculum: quippe unde magnum in Apoſtolo deſiderium exſtiterit ipſos iterum videndi: ſicuti mox narrat. Cum multo deſiderio. ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ. Pro, μετὰ πολλῆς ἐπιθυμίας. Hebraiſmus.

18 Semel atque iterum. καὶ ἅπαξ καὶ δὶς. *Ad verb. Et semel & bis. Sic Phil. 4. v. 16.*

19 Nam quæ &c. τίς γὰρ. *Rationem exponit cur eos tantopere cupiat videre & coràm consolari.* Corona de qua glorier. στέφανος καυχήσεως. *Ad verb. Corona gloriationis.* Et vos. καὶ ὑμεῖς. *Scilicet, sicut aliæ Ecclesiæ à me plantatæ. Sunt autem hic tria enuntiata metonymica. 1. Vos estis mea spes, id est, ii, ex quibus spero me adepturum laudem apud Deum. 2. Vos estis meum gaudium: id est, ii, qui gaudium mihi afferunt. 3. Vos estis mea corona: id est, ii, propter quos coronabor à Christo laude fidelitatis & præmio beatitatis: quum dicet, Euge serve bone, fidelis fuisti &c. intra in gaudium domini tui. Hanc expositionem confirmant, atq; adeò requirunt verba quæ sequuntur, In conspectu Domini &c.* In ejus adventu. ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ. *Scilicet ad judicium.*

20 Vos enim certè. ὑμεῖς γὰρ. *Eandem sententiam repetit cum asseveratione, declarans & exprimens vim interrogationis præcedentis. Sunt autem hic quoq; duo metonymica enuntiata: quæ ex superioribus modo-explicatis facilè intelliguntur. Vos estis mea gloria, id est, ii ex quibus mihi accedit gloria &c.*

OBSERVATIONES EX CAP. II.

διδ. Ex ℣. 1. Labor fidorum Verbi ministrorum nō est vanus seu inanis: quia Spiritus sanctus per ipsorum prædicationem est efficax in Electis, efficiēdo nimirum veram fidem in Christum, conjunctam cum vero studio pietatis. Quare ministri Verbi fideliter laborent, & Deum ardenter invocent, ut virtute Spiritus sancti per ministerium suum sit efficax. Huc pertinet promissio illa Christi ad apostolos ac sub nomine ipsorū ad universos Verbi ministros usq; ad finem mundi, Constitui vos ut eatis & fructum feratis, & fructus vester maneat: ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo, det vobis. Joh. 15. ℣. 16. item Matth. ult. ℣. ult. Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

παιδ. παρ.

παιδ. Ex ℣. 2. &c. usq; ad 13. Pastoris Ecclesiæ virtutes sunt, ingenuè & intrepidè mediis in periculis evangelizare: puram doctrinam puro animi affectu fideliter docere: alienum

alienum ab omni assentatione & avaritia, Deo suam cõscientiam approbare: omni vitatâ elatione, seipsum infirmis quibusvis, eos lucrifaciẽdi causâ, submittere: gregem sibi cõmissum propriâ vitâ chariorem habere: suo potiùs jure cedere: quàm oves gravare: sanctæ & inculpatæ vitæ exemplo cæteris præire: paternum affectum ad exhortationes & consolationes afferre: omnes ad vitam sicut Deo dignum est, instituendam, sedulò & ardenter urgere. Confer 1. Tim. 3. in principio, ubi episcopus seu pastor Ecclesiæ ex variis virtutibus quibus eum præditum esse oportet, describitur. item Tit. 1. ℣. 6. 7. 8. 9.

Ex ℣. 2. Fides promissionem gratiæ omnibus credentibus communem sibi privatim applicat, ac proinde Deum statuit esse Deum suum, id est, sibi privatim faventem, non minus quàm cæteris credentibus. Sic Gal. 2. ℣. 20. ait Paulus de Christo: Qui dilexit ME, & seseradidit pro ME. Sic Job. cap. 19. Scio quòd Redemtor MEUS vivit &c. διαθ.

Ex ℣. 5. & 10. Deum testem invocare, id est jurare, licet, quum id gloria Dei & proximi salus postulat. Sic Paulus hoc loco suam integritatem jurejurando asserit: ne veritas cælestis apud Thessalonicenses in suspicionem mendacii veniret: quod & ad contumeliam Dei & ad ipsorum exitium pertinuisset. Similia juramenta Pauli vide Rom. 1. ℣. 9. & cap. 9. ℣. 1. & 1. Cor. 1. ℣. 23. Errant igitur Anabaptistæ, qui putant homini Christiano nunquam esse licitum jurare. διαθ. ἔλ.

Ex ℣. 13. Sermo Evangelii, quem prædicant Pastores Ecclesiarum, excipiendus est non ut sermo hominum, sed ut sermo Dei: videlicet cum conveniente reverentia, fide & obedientia. Huc pertinet illud Christi ad apostolos: Qui vos audit, me audit: qui vos contemnit, me contemnit. παιδ.

Ex ℣. 13. & 14. Sermo Dei efficax est in electis: efficiens nimirum fidem, conjunctã cum tolerãtia persecutionis. διδ.

Ex ℣. 14. Aliorum fides & tolerantia imitanda est. Confer Heb. 13. ℣. 7. παιδ.

Ex ℣. 14. & 15. Nihil novi hodie accidit, quum fideles persecutionem patiuntur etiam ab iis quibuscum necess- παθ.

situdine aliqua conjuncti sunt: ut à propinquis, à populariibus &c. Huc pertinet illud Christi, Non veni mittere pacem, sed gladium: ut excitarem filium adversus patrem &c. Matth. 10. ℣. 34. 35. 36.

διαβ. παρ. Ex ℣. 15. Impii (sicut & ipse diabolus) adversantur Deo & Electis, non quidem effectu, sed tamen conatu. quia conãtur quidem gloriam Dei & salutem Electorum opprimere: sed id efficere non possunt.

διαβ. παρ. Ex ℣ 16. Deus peccatis impiorum ac hostium populi sui certam mensuram præscripsit suâ providentiâ & æterno decreto: quam mensuram posteaquam illi implevérint, ad merita supplicia divinitus trahuntur: quibus ex justa Dei ira destinati sunt. Confer Gen. 15. ℣. 16. de iniquitatibus Cananæorum.

θεοδ. Ex ℣. 17. & 18. Veræ charitatis est, fratres afflictos invisere & consolari.

διαβ. Ex ℣ 18 Satan pios conatus sæpe impedit, Deo nimirum id permittente. Atque hinc istud ipsum nomen accepit quo Adversarius significatur: quia Deo & Electis omni conatu adversatur.

θεοδ. Ex ℣. 19. Verum gaudium pastorũ Ecclesiæ est, quum gaudent se ministerio suo multos Christo lucrifecisse, eoque nomine à Christo (propter fidelitatem scil. in ministerio adhibitam) collaudatum iri.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Pergit in instituta sui excusatione cur ad ipsos non venerit, atque ita exponit quo consilio antea Timotheum ad ipsos miserit, simulq; argumẽta quædam affert quibus eos ad persecutionis tolerantiam & in fide perseverantiam hortatur, ac tandem de suo ad ipsos veniendi proposito vehementer testatur. Sub finem versu penult. incipit altera epistolæ pars, ubi eos ad vitæ sanctitatem hortatur.

QUamobrem *hoc desiderium* non ampliùs ferentes, optimum duximus soli Athenis relinqui.

2 Mi-

2 Misimusq; Timotheum fratrem nostrum, ac ministrum Dei, & adjutorem nostrum in Evangelio Christi, ad vos stabiliendos & exhortandos super fide vestra:

3 Ut nemo commoveatur ob afflictiones istas. ipsi enim nostis, ad id nos esse constitutos.

4 Etenim quum apud vos essemus, prædicebamus vobis fore ut affligeremur: quod & evénit, & nostis.

5 Quamobrem etiam ego non ampliùs ferens *vestri desiderium*, misi *eum* ut cognoscerem fidem vestram: *veritus* né quo modo tentasset vos tentator ille, & inanis redditus esset labor noster.

6 Nuper autem quum venisset Timotheus ad nos à vobis, & lætum nuntium nobis attulisset de fide & charitate vestra, & quòd bonam nostri memoriam retineatis, semper cupientes nos videre, sicut nos quoque vos:

7 Propterea consolationem accepimus, fratres, ex vobis, in omni afflictione & necessitate nostra, per vestram fidem.

8 Nunc enim vivimus, si vos perstatis in Domino.

9 Quam enim gratiarum actionem possimus Deo repéndere de vobis, super omni gaudio quo gaudemus propter vos coram DEO nostro?

10 Nocte ac die quàm vehementissimè precantes ut videamus vestram faciem, & quæ desunt fidei vestræ compleamus.

11 Ipse verò Deus & Pater noster, & Domi-

nus noster JESUS CHRISTUS dirigat viam nostram ad vos.

QUod superiore capite dixerat de suo desiderio ipsos invisendi, nunc probat ex effectis, videlicet ex missione Timothei. Quum enim ipse impediretur quo minùs venire posset, suo loco misit Timotheum: quamvis egrè ipso careret. id quod significat his verbis, quòd maluerit solus Athenis relinqui, quàm Thessalonicensibus laborantibus non succurrere, ℣.1. Porrò Timotheum commendat ad conciliãdum ei authoritatem, quò pleniorem fructum ex ipsius consolatione atq; exhortatione caperent: simulq; quo consilio eum miserit, exponit, ℣.2. Tum ℣.3. & 4. argumenta consolationis affert duo: unum, quia hæc sit voluntas Dei ut fideles in hac vita propter Evangelium persecutionem patiantur: alterũ, quia hoc ipsum eis jam antè sit prædictum. Tela autem prævisa (ut dici solet) minùs nocent.

V. 5. repetit consilium missionis Timothei, simul exponens causam impulsivam, videlicet sollicitudinem de ipsis, né qui à diabolo ad defectionem essent tentati, atque ita labor ipsius inanis esset redditus, quem scilicet consumserat in ipsis ad fidem adducendis. Verùm ne significatione istius metus animos infirmorum perterrefaceret, mox ℣.6. subjicit testimoniũ Timothei de ipsorum fide & charitate nuper ostensis: atque illud testimonium amplificat ex effectis, videlicet cõsolatione quam inde perceperit, ℣.7. & 8. & cupiditate ipsos invisendi, ℣.10. & 11. Porrò suæ illius consolationis expositionem amplificat ex effectu, ℣.9. affirmãs, gaudium quod ex testimonio Timothei de ipsorum fide & charitate perceperit, tãtum esse, ut illud habeat pro maximo Dei beneficio pro quo nõ possit pares gratias Deo agere. Cupiditatem verò suã ipsos invisendi & consolandi ostendit ex effectis, videlicet precibus perpetuis iisq; ardentissimis, ℣.10. & voto præsente quo istud ipsum exoptat, ℣.11.

12 Faxit autem Dominus ut abundetis & exuberetis mutuâ inter vos charitate & in omnes, quemadmodum & nos in vos:

13 Ut

13 Ut ſtabiliat corda veſtra *ut ſint* inculpata in ſanctimonia coram Deo & Patre noſtro, quum adveniet Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum ſanctis ſuis.

Hic incipit ſecunda epiſtolæ pars, ubi eos hortatur ad vitam Chriſtianam; cujus duo capita generalia hic proponit, videlicet charitatem erga proximum, & cordis puritatem: quæ quidem proponit ſub voto, quo ſignificat, virtutes iſtas non ex viribus humanis, ſed ex gratia DEI proficiſci.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Ferentes. στέγοντες. *Vel, ſuſtinentes.* Hoc deſiderium, *id eſt,* πλὼ ἐπιθυμίων τοῦτο. *Cujus nimirum facta eſt mentio capite præcedente v.17. nempe videndi faciem veſtram, hoc eſt inviſendi vos.* Soli Athenis relinqui. κατελείφθημεν ἐν Ἀθήναις μόνοι. *Hinc colligitur, quum Paulus Beræa relictis Sila & Timotheo, ſolus Athenas eſſet profectus, ibiq; illos exſpectaret: veniſſe ad eum Timotheũ, ac rurſus Beræam ad Silam rediiſſe: quod tamen Lucas in Actis ſilentio præterit: ſicut & alia quadam quæ Paulus de ſe ipſe commemorat 2.Cor.11.v.24. Vide Act.17.v.14.15.16. & cap.18.v.5. ubi Silas & Timotheus ad Paulum dicuntur veniſſe (ſcil. Corinthũ, ut habetur ejusdem capitis v.1.) è Macedonia, nempe Beræa Macedoniæ urbe, ubi dicũtur ſubſtitiſſe c.17.v.14.*

2 Miſimusque Timotheum. καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον. *Ex collatione horum verborum cum proxime præcedentibus nonnulli colligunt, hanc epiſtolam miſſam eſſe per Timotheum & ſcriptam eſſe Athenis: quod ipſum ſub finem annotatum reperitur. At non eſſe miſſam per Timotheum, ex eo liquet quòd Timotheus unus ex iis fuit qui miſerunt, quippe quem ſibi Paulus adjungit in ſubſcriptione. Deinde ſcripta potiùs videtur Corinthi: quia illuc ad Paulum dicuntur veniſſe è Macedonia Silas & Timotheus, Actor.18.v.1.& 5. quem utrumq; ſibi Paulus in ſubſcriptione adjungit ſuprà v. 1. ita tamen ut pro Sila Silvanum nominet.* Fratrem. *Fraterno amore conjunctum.* In Evangelio. *ſcilicet prædicando.* Super fide. *Nempe in* CHRISTUM.

3 Ut nemo commoveatur. τὸ μηδένα σαίνεσθαι. *Verbum σαίνειν propriè significat Quatere seu agitare caudam: ut faciunt canes quum blandiuntur. Hic autem τὸ σαίνεσθαι generaliter significat Quassari seu concuti, idem scilicet quod σαλεύεσθαι: quo verbo utitur 2. Thess. 2. v. 2.* Ob afflictiones istas. ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις. *Vide Act. 17.* Ad id. εἰς τοῦτο. *Nempe ad ferendum afflictiones.* Constitutos. κείμεθα. *Nempe decreto Dei, qui vult nos conformes reddi Christo primùm in cruce, deinde in gloria. Hoc ipso verbo in simili sententia usus est Simeon de Christo loquens,* ὅτι κεῖται εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον: *hic positus est in signum cui contradicatur. Luc. 2. v. 34.*

4 Prædicebamus &c. *Sic Actor. 14. v. 22. Paulus & Barnabas confirmantes animos discipulorum, dicebant, Oportere nos per multas afflictiones ingredi in regnum Dei.*

5 Tentator ille. ὁ πειράζων. *id est, diabolus. Sic Matth. 4. v. 3.* Inanis redditus esset εἰς κενὸν γένηται. *id est, Sine fructu abiisset.* Labor noster. ὁ κόπος ἡμῶν. *Scilicet in prædicando vobis Evangelio.*

6 Quum venisset. ἐλθόντος. *id est, Quum rediisset: quippe missus à nobis, v. 2. & 5.*

7 Per vestram fidem. ἐπὶ τῇ ὑμῶν πίστει. *Id est, ex testimonio de vestra fide.*

8 Vivimus. ζῶμεν. *id est, Læti sumus. hoc enim est verè vivere, animo læto ac hilari esse.* Si vos perstatis. ἐὰν ὑμεῖς στήκετε. *Scilicet, ut perstatis: ex v. 6.*

10 Compleamus. καταρτίσαι. *Seu, absolvamus, perficiamus.* ἀρτιθμὸς ἄρτιος *Græcis dicitur numerus par, quia ita perfectus est ut præcisè dividuus sit in duas partes æquales. hinc* καταρτίζειν, *perficere.*

12 Faxit ut abūdetis & exuberetis. πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι ὑμᾶς. *Verba Græca posita sunt transitivè, tanquam in Hebræorum conjugatione Hiphil.*

13 Ut stabiliat corda vestra, *ut sint* inculpata. εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους, &c. *Ante* ἀμέμπτους *subaudiendum censeo verbum* ἦτε. *pro,* ἵνα ἦτε, *scilicet* ἕνεκα. Quum adveniet, &c. ἐν τῇ παρουσίᾳ. *Ad verb. In adventu Domini, &c. Sed voluimus consulere perspicuitati.* Cum omnibus sanctis suis. μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ. *Coherent hæc ver-*

hæc verba cum illis, ἐν τῇ παρουσίᾳ, &c. Et nomine ἁγίων intelligendi sunt sancti Angeli, ex collatione versiculi 7. capitis primi epistolæ ad Thessalonicenses posterioris: ubi dicitur, ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ κυρίου ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ. Quod si quis hæc verba intelligenda putet de sanctis hominibus qui usq; ad Christi adventum victuri sunt in terris, tum vertendum erit, Cum omnibus sanctis ejus: & referendum hoc incisum ad verbum στηρίξαι, stabilire.

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Ex ℣.1.2.4.& 10. Pastoris Ecclesiæ officium est, sollicitum esse de infirmis in fide cõfirmandis: item præmonere auditores de persecutione & odio mundi. παιδ.

Ex ℣.3. Persecutio propter Evangelium æquo animo nobis ferenda est: quia hæc est voluntas Dei immota & fixum decretum, ut illam feramus: ut nimirum hoc modo conformes reddamur Christo capiti nostro. Vide Roman.8.℣.17 & 29.& ut hoc modo magis elucescat ipsius justitia, quum nos præmiis ornabit, persecutores autem nostros condemnabit. 2. Thess.1.℣.4.5.6.7. παιδ.

Ex ℣.5. Quum Diabolus tentare soleat credentes, ac moliri ut eos à fide avertat; ne simus igitur securi: sed precibus apud Deum instemus, ne nos in tentationem inducat, hoc est, ne diabolo permittat ut tentando nos vincat, & vel in contemtum verbi Dei vel desperationem adducat. Porrò contra tentationes Diaboli consolari nos debet communio nostra cum Christo tanquam capite nostro: quippe qui & ipse à Diabolo tentatus fuit; Matth. 4. idque in hunc finem, ut posset nobis compati & affici sensu infirmitatum nostrarum, tanquam fidelis noster pontifex. Hebr.4.℣.15. ἐπ. παιδ.

Ex ℣. 6. Vera fides cum charitate conjuncta est. Sic Gal.5.℣.6. Fides per charitatem agens. δοδ.

Ex ℣.7.8.9. Christianorum est, gaudere ob fidem & constantiam fratrum, eoque nomine Deo gratias agere. παιδ.

Ex ℣.11. Iter aliquod suscepturi, oremus Deum ut viam nostram dirigat. παιδ.

Ex ℣.12.& 13. Orare debemus Deum, ut gratiam sui παιδ.

spiritus nobis largiatur, ut in charitate & sanctimonia
Diod. indies proficiamus. Serium autē ac minimè simulatum studium sanctitatis in hoc consistit, ut ambulemus coram Deo, cogitemusq; Deum intueri corda. Sic Deus dicebat Abrahæ: Ambula coram me, & esto integer, Gen. 17.1. Hac phrasi celebratur sincera pietas Zachariæ & Elizabethæ, Luc. 1. ℣. 6. quòd scilicet fuerint justi coram Deo, ἐνώπιον Θεοῦ.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Pergit in instituta exhortatione ad studium pietatis, & varia vitæ Christianæ præcepta tradit, usq; ad v. 13. quo loco incipit inferere tertiam epistolæ partem, quæ continet institutionem de resurrectione mortuorum & adventu Domini ad judicium.

QUod superest igitur, fratres, rogamus vos & precamur per Dominum Jesum, ut sicut accepistis à nobis quomodo oporteat vos incedere, & placere DEO, magis excellatis.

2 Nostis enim quæ mandata dederimus vobis per Dominum JESUM.

3 Nam hæc est voluntas Dei, *nempe* sanctificatio vestri: ut abstineatis à scortatione:

4 Ut sciatis vestrûm unusquisque suum vas possidere cum sanctificatione & honore:

5 Non cum morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non noverunt DEUM:

6 Ut ne *quis* opprimat aut quæstui habeat in negotio fratrem suum. nam ultor est Dominus omnium istorum; sicut & antè diximus vobis, ac testificati sumus.

6 Non enim vocavit nos DEUS ad impuritatem, sed ad sanctificationem.

8 Proinde

8 Proinde qui *hæc* rejicit, non rejicit hominem, sed DEUM; qui etiam dedit nobis Spiritum suum sanctum.

9 Cæterùm de fraterna charitate non necesse habetis ut scribam vobis: ipsi namque divinitus docti estis ut diligatis alii alios.

10 Nam & facitis hoc erga cunctos fratres qui sunt in tota Macedonia: precamur autem vos, fratres, ut magis excellatis:

11 Et annitamini quieti esse, & res vestras agere, ac operari propriis manibus vestris, sicut vobis præcepimus:

12 Ut vos geratis honestè erga extraneos, & nullo vobis sit opus.

VErsu 1. & 2. in sequentem præceptionem præfatur, proponendo ipsam exhortationem, ac renovando memoriam pristinorum mandatorum. Porrò exhortationem amplificat obtestatione, rogando eos & precãdo per Dominum Jesum. quasi dicat, Dominum Jesum testor, me fideliter vos ad officium vestrum exhortari. Vitam comparat ambulationi ex more Scripturæ: & vitam piam describit ex proprio adjuncto, vel effecto, videlicet approbatione Dei: Qui enim piè vivit, placet Deo. Ipsis quoque mandatis quæ antè eis tradiderat & hîc repetere constituit, authoritatem conciliat à causa procreante, videlicet ab ipsorum authore Christo: inquiens, se mandata illa dedisse per Dominum JESUM, id est, ex mandato Domini JESU.

V. 3. primò omnium tradit p̃ceptum generale, nempe ut studeant sanctitati. Deinde generale illud præceptum per aliquot specialia declarat: quorum primo prohibet scortationem & fœdas libidines, v. 3. 4. & 5. Hoc p̃ceptum confirmat à causa procreante, videlicet notitiâ veri DEI. Novistis verũ Deum. Ergo fugienda est vobis omnis impuritas; quippe quam Deo sanctissimo displicere nostis. Hanc causam exponit per antithesin ignorantiæ Gentiũ.

Secundo præcepto prohibet injustitiam in contractibus, néquis per avaritiam excedat modum in augendis rerum pretiis: hoc enim videtur significari verbo ὑπερβαίνειν. Hoc præceptum confirmat ab effectu pernicioso, videlicet vindicta Dei: qui quum sit justissimus, omnem injustitiam ulciscitur, ℣. 6.

V. 7. annectit aliud argumentum ad confirmandum præceptum primum: quod sumtum est ab affecto destinato, videlicet vocatione qua Deus Electos vocat. Vocat enim eos ad communionem sui, ac proinde ad sanctitatem: quum nemo impurus cum Deo sanctissimo communionem habere possit.

V. 8. utrumque præceptum confirmat á causa procreante, per prolepsin. OBJECTIO: Vos Apostoli qui talia mandatis, estis homines: Ergo licet impuné vestra mandata rejicere. Respondet, Etsi homines sumus: tamē hæc mandamus non ut homines seu ex placito humano, sed ex mandato Dei & instinctu Spiritus sancti. Ergo mandata hæc nostra nemo impuné poterit rejicere.

V. 9. & 10. tertium præceptum exponit, quo eos hortatur ad profectum in charitate erga proximum, per prolepsin qua ipsorum charitatem quam jam tum exercebant, collaudat.

V. 11. quartum præceptum tradit: quo præcipit diligentiam in faciendis officiis vocationis, & contrà vetat curiositatem in inquirendis aliorum negotiis: nominatim verò tenuioribus præcipit laborem manuum: quam præcepti partem ℣. 12. cōfirmat ab effectu indecoro: quia secus futurum sit, ut egentes implorent opem extraneorum: id quod ipsos minimè deceat, quum suo ipsorum labore egestati suæ possint consulere.

13 Nolim autem vos in ignorantia versari, fratres, quod ad eos attinet qui obdormierunt; ut ne doleatis, sicut cæteri qui spem non habēt.

14 Nam si credimus, Jesum mortuum esse & resurrexisse; ita etiam Deus eos qui obdormierit in Jesu, adducet cum eo.

15 Hoc

15 Hoc enim vobis dicimus verbis Domini, fore ut nos vivi qui reliqui erimus in adventu Domini, non præveniamus eos qui obdormierint.

16 Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce Archangeli & cum Dei tuba, descendet è cælo: & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm.

17 Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubibus, in occursum Domini, in aëra: & ita semper cum Domino erimus.

18 Itaque consolamini alii alios istis sermonibus.

Hîc inseritur tertia epistolæ pars: ubi eos primùm hortatur ad moderandum luctum ob fratres defunctos. Moderationem illam describit ex adjuncta spe beatæ resurrectionis: nempe luctum quem concipiant ex morte fratrum, hoc est, fidelium, temperandum esse spe beatæ ipsorum resurrectionis. Hanc sententiam exponit per collationem dissimilium, videlicet gentium quæ spem illam non habent, ℣. 13. Enthymema igitur hortationis est, Moderatè lugete vestros defunctos: quia resurrecturi sunt ad vitam æternam. Hoc argumentum ℣. 14. confirmat à pari, videlicet ab exemplo Christi: in quo exemplo simul continetur vis causæ procreantis. nam resurrectio fidelium pendet á resurrectione Christi tanquam à causa procreante: quia fideles cum Christo tanquam membra cum capite cohærent.

V. 15. & deinceps modum resurrectionis describit. Præfatur autem, se hanc doctrinam proferre ex sermone ipsius Domini (ex quo nimirum illum acceperat, quum raptus esset in tertium cælum, 2. Cor. 12. ℣. 2. & 4.) ut ita fidem faciat doctrinæ suæ à testimonio divino. In descriptione primò indicat, Quãdo mortui fideles resurrecturi sint, nempe in adventu Domini, hoc est, quum Chri-

ſtus venturus eſt ad judicium. Secundò, quo ordine transferendi ſint in cælum, videlicet ante eos quos dies Domini vivos deprehenſurus eſt. Tertiò, qua vi ſint excitandi: nempe voce Archangeli & tubâ Dei. Quartò, rurſum; quo ordine in cælum transferendi ſint. Quintò, qua vi transferendi ſint, nempe raptu quodam & quaſi vehiculo nubium. Sextò & poſtremò, quid illam translationem ſequuturum ſit, nempe perpetua fruitio beatæ immortalitatis cum Chriſto. Verſu ultimo exhortationem hanc concludit.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Incedere. περιπατεῖν. *Ambulare, id eſt, vivere. Metaphora.* Excellatis. περισσεύητε. *Ad verbum, Abundetis.*

2 Per Dominum. διὰ τοῦ Κυρίου. *id eſt, Ex mandato Domini.*

3 Hæc eſt enim voluntas Dei. τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα τοῦ θεοῦ. *id eſt, Hoc enim eſt illud quod Deus vult à vobis præſtari ad ſui cultum. Metonymia adjuncti.* Sanctificatio veſtri. ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν. *id eſt, ut ſanctificemini ſeu ſtudeatis ſanctitati. Nomen generale, quod deinceps per ſpecies declaratur. Poni autem hic ſenſu generali, intelligitur ex collatione verſiculi ſeptimi cum ſexto: vocat enim illic ἁγιασμὸν, ſi quis juſtitiam exerceat erga proximum.*

4 Suum vas. τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος. *id eſt, Suum corpus quod eſt anima inſtrumentum: qua ſignificatione hic accipitur σκεῦος, ſicut apud Hebræos* כְּלִי *Cheli. Et ſic Paulus à Chriſto dicitur σκεῦος ἐκλογῆς, vas electionis, id eſt, inſtrumentum ſelectum, Actor. 9. 15.* Cum ſanctificatione. ἐν ἁγιασμῷ. *id eſt,* μετ' ἁγιασμοῦ. *hîc nomen ἁγιασμὸς accipitur ſpecialiter de caſtitate: ut liquet ex antitheſi.*

5 Non cum morbo cupiditatis. μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας. *id eſt, Non cum cupiditate illa ſcortandi, qua eſt morbus animi. Sic & nos vocamus* eine ſucht. *Lutherus vertit,* luſt ſeuche. *Dicitur ergò hic* πάθος ἐπιθυμίας, *eâdem loquendi figurâ qua Rom. 4. v. 11.* σημεῖον περιτομῆς, *ſignum circumciſionis.* Sicut Gentes. καθώς καὶ τὰ ἔθνη. *Conjunctio καὶ redundat: ut alibi ſæpe.* Gentes quæ non noverunt &c. τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα, *&c. Periphraſis gentium profanarum, nec-*

dum

dum ad Deum conversarum. Quod si significarentur illa hîc per solum nomen τὰ ἔθνη, synecdochicè usurpatum, ut aliâs sæpe: tum oporteret sequi talem loquendi modum, ἅπερ μὴ εἰδοῦσι τὸν Θεὸν: non autem τὰ μὴ εἰδότα τὸν Θεὸν. Similis periphrasis exstat Rom. 2. v. 14. ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, &c. Quæ non noverunt Deum. *Nempe sicut se patefecit certo verbo. nam sicut se patefecit per opera creationis, aliquatenus eum noverunt & Gentes profanæ, teste Paulo Roman. 1. v. 19. 20. 21.*

6 Opprimat. ὑπερβαίνειν. *Ad verb. Transcendat. Id est, ne excedat modum in augendis rerum pretiis. Sic nos de caritate rerum (puta frumenti aut vini) loquentes dicimus,* Das korn oder der wein ist hoch gestigen. *item,* Sie haben das korn oder wein hoch gesteigert. *Videtur tamẽ insolentiùs dictum,* ὑπερβαίνειν τινὰ, *item,* πλεονεκτεῖν τινὰ. Quæstui habeat. πλεονεκτεῖν. *Græcum verbum significat, plus habendi desiderio (id est, per avaritiam) circumvenire seu fraudare. Sic 2. Cor. 7. v. 2.* οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν. In negotio. ἐν τῷ πράγματι. *In emendo & vendendo.*

7. Ad impuritatem. ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ. *Pro,* εἰς ἀκαθαρσίαν. *sic mox* ἐν ἁγιασμῷ, *pro* εἰς ἁγιασμόν.

8 Qui dedit nobis. τὸν δόντα εἰς ἡμᾶς. *Ad verb. Qui dedit in nos: hoc est, indidit nobis. Vel* εἰς ἡμᾶς *ad imitationem vocis Hebraicæ* לנו *lánu, dicitur pro* ἡμῖν.

10 Ut excellatis. περισσεύειν. *Ad verb.* Ut *abundetis. Sic sup. v. 1.*

11 Annitamini. φιλοτιμεῖσθε. *Synecdoche speciei. nam* φιλοτιμεῖσθαι *propriè est, honoris consequendi gratiâ anniti.*

12 Ut vos geratis. ἵνα περιπατῆτε. *Ad verbum,* Ut *ambuletis. Hebraismus.* Honestè. εὐσχημόνως. *Vel, decenter: ut 1. Cor. 14 v. ult. Nomen* σχῆμα *hic gestũ notat, ut Phil. 2. v. 8.* Erga extraneos. πρὸς τοὺς ἔξω. *Sic vocat eos qui adhuc sunt extra Ecclesiam, qui se nondum aggregarunt Ecclesiæ.* Nullo. μηδενὸς. *Vel genere neutro, ut intelligantur res ad hanc vitam sustentandum necessariæ, pertinentes ad victum & amictum: vel genere masculino, ut intelligantur extranei illi quorum modò mentionem fecit. quasi dicat,* Ut *non sit vobis opus implorare opem cujusquam extraneorum. Posteriori sensui favet cohærentia sententiarum.*

13 Quod ad eos attinet qui obdormierunt. περὶ τῶν κεκοιμημένων. *Id est, qui mortui sunt. Metaphora Scripturæ usitata, maximè quum loquitur de mortuis. Ratio metaphoræ est, quia mortui à Deo excitabuntur. Vide Joh. 11. v. 11. 12. 13. 14. Hinc veteres Christiani apud Græcos sepulchreta nominarunt κοιμητήρια, quasi dicas dormitoria, eò quòd illic dormiant mortui.* Ut ne doleatis sicut &c. *Non prohibet dolorem omnem, sed dolorem similem dolori Ethnicorum, nempe immoderatum, propterea quòd non temperatur spe beatæ resurrectionis.* Sicut cæteri. ὡς καὶ οἱ λοιποὶ. *Conjunctio* καὶ *redundat, ut suprà vers. 5.* Cæteri qui spem non habent. *Periphrasis Ethnicorum carentium verâ notitia Dei. qualis fuit & suprà vers. quinto.* Spem. ἐλπίδα. *nempe spem beatæ resurrectionis, fundatam scilicet in resurrectione Christi. Synecdoche generis.*

14 Resurrexisse. *Scilicet ad beatam immortalitatem.* Ita etiam DEUS adducet. οὕτω καὶ ὁ θεὸς ἄξει. *Oratio verbis ἀνακόλουθος est. Connexum enim institutum, aliam verborum consequentiam postulabat, nempe talem:* ἄξει καὶ πιστεύομεν ὅτι ὁ θεὸς, &c. *Hoc verò consequens quod Apostolus enuntiat, postulat tale antecedens:* ὡς γὰρ Ἰησοῦς ἀπέθανε &c. *Verum ista orationis ἀνωμαλία nihil admit perspicuitati sententiæ.* In Jesu. διὰ τοῦ Ἰησοῦ. *Per Jesum, id est, in fide Jesu.* Adducet. ἄξει. *Nempe in cælum ad perfruendum beatâ illâ immortalitate.*

15 Verbis Domini. ἐν λόγῳ τοῦ κυρίου. *id est, ex sermone quem ab ipso Christo audivi, tum scilicet quum raptus fui in tertium cælum seu paradisum, & audivi verba ineffabilia, 2. Corinth. 12. v. 2. & 4.* Fore ut nos vivi &c. *Ex his verbis non est colligendum, Paulum pro certo statuisse, se & Thessalonicenses ad quos tunc scribebat, adhuc in vivis fore in Domini adventu: ac proinde diem illum Domini instare: quippe quum vitæ humanæ brevitas Apostolo ex quotidiana experientia satis esset cognita. Sanè nonnullos id perperam ex istis Apostoli verbis collegisse: apparet ex capite secundo epistolæ posterioris: ubi Apostolus istam opinionem refutat, & à se profectam negat. Hoc tantùm videtur significare voluisse: quum de die adventus Domini, itemq; de die suæ cujusq; mortis nemini constet: fieri posse ut nonnulli ex ipsis*

ἐνδιχ. *victuri*

victuri sint usq; ad Domini adventum: & hoc casu posito, docet quid illis sit eventurum. In adventu. εἰς τὴν παρουσίαν. *Pro,* ἐν τῇ παρουσίᾳ.

16 Cum hortationis clamore, cum voce &c. ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ, &c. *Pro* μετὰ κελεύσματος καὶ μετὰ φωνῆς καὶ μετὰ σάλπιγγος. *Hebraismus.* In nubibus. ἐν νεφέλαις. *In nubibus, scilicet, tanquam vehiculis. Sicut & Dominum ascendentem nubes sustulit ac subvexit. Sic malo quàm* In nubes. *quasi* ἐν νεφέλαις *sit dictum pro* εἰς νεφέλας. *quia sequitur,* εἰς ἀέρα: *quibus verbis notatur locus quò rapiemur.*

18 Istis sermonibus. ἐν τοῖς λόγοις τούτοις. *Pro,* ἀπὸ τῶν λόγων τούτων. *Hebraismus.*

OBSERVATIONES EX CAP. IV.

Ex ℣.1. & 10. Nō est satis cœpisse currere in stadio pietatis; sed perpetuò pergendum est, & ad perfectionem tanquam metam contendendum. παιδ.

Ex ℣.1. & 2. Omnibus actionibus nostris huc tendere debemus, ut placeamus Deo: hoc autem consequemur, si obediamus sanctis mandatis ipsius. παιδ.

Ex ℣.3. In voluntate Dei duo potissimùm consideranda sunt: unum, quid velit à nobis fieri, id est, quomodo velit à nobis coli: alterum, quid velit de nobis facere, id est, quomodo velit nos servare seu in æternum beatos reddere. Summa est: Vult à nobis coli vero studio sanctitatis secundùm sua præcepta: & vult nos servare per Christum. de priore hîc loquitur Apostolus: de posteriore Christus Joh. 6. ℣.39. 40. διδ.

Ex ℣.3. 4. 5. 6. 7. Ad studium sanctitatis commovere nos debet: 1. quòd hæc est voluntas Dei ut sanctè vivamus. 2. quòd id nobis honorificum est. 3. quòd DEUS cognitione sui salvificâ nos dignatus est. 4. quòd Deus nos ad sanctificationem vocavit. παιδ.

Ex ℣.5. Notitia Dei duplex est, una, qua utcunque cognoscitur ipsius æternitas, potentia, sapientia, & bonitas, ex operibus creationis: de qua ad Rom. 1. ℣.19. 20. 21. Altera, qua cognoscitur præter virtutes modo commemoratas, misericordia ipsius erga nos propter Christum, ex verbo ipsius: de qua hoc loco sermo est. Prior illa notitia, διδ.

nisi altera hæc accesserit, ad hoc tantùm valet, ut homo coram Deo sit inexcusabilis, ἀναπολόγητος (Rom.1.20.) id est, ne possit coram judicio Dei uti excusatione ignorantiæ, quasi nimirum Deum prorsus ignoraverit: quasi nescierit esse Deum, & esse mentem æternam, omnipotentem, sapientissimam, optimam seu benignissimam, ut dicat, Si hoc sciviſſet: se Deum quoq; conveniente cultu & honore prosecuturum & glorificaturum fuisse. Altera verò notitia salvifica est. nam hæc est vita æterna, ut cognoscamus Deum in Christo, Joh.17 ℣.3.

ἐπ. Ex ℣.8. Cavendum ne rejiciamus verbum Dei, propterea quòd nobis annuntiatur per infirmos homines. nam ministri Verbi Dei etsi homines infirmi sunt, sunt tamen legati Dei: ac proinde qui ipsos rejicit & contemnit, Deum ipsum rejicit & contemnit. Sic dixit Christus ipse Apostolis, Qui vos audit, me audit: qui vos rejicit, me rejicit, Luc.10.℣ 16. Et Paulus ait, Apostolos legatione fungi nomine Christi, 2.Cor.5.℣.20.

διδ. Ex ℣.9. Ea demum vera est charitas, ad quam edocemur atque informamur à Deo per Spiritum ipsius.

ἐπ. παιδ. Ex ℣.11. Cavenda est curiosa inquisitio rerum alienarum, & contrà curandæ cuique res suę, ad quas curandas divinitus est vocatus. Sic Petrus hortatur, nequis affligatur ut ἀλλοτριοεπίσκοπος ὢν, id est, alienarum rerum inspector: 1.Petr.4.℣.15. Vitium hoc nominatur à Græcis πολυπραγμοσύνη. & qui eo laborant, πολυπράγμονες. Estq; hoc vitium species injustitiæ: unde Plato lib. 4. de Repub. justitiam definit, τὸ αὐτῷ πράττειν καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, id est, res suas agere, nec multa (ad se scilicet non pertinentia) agere velle. Atq; hoc ipsum vitium Menedemus ille Terentianus Chremeti exprobrat, quum ait: Tantúmne est abs re tua otii tibi Chreme, Aliena ut cures quæque ad te nihil attinent?

ἐπ. *Ex eod.* Peccant qui manuum laborem, ad quem exercendum divinitus vocati sunt, quóque se honestè alere possent, deserētes & ex pigritia fugientes, ad negotiationes lucrosas & cum proximi damno conjunctas se conferunt. Nec tamē est quòd putemus, singulis hominibus laborem manuum præceptum esse: sunt enim quidam vocati

vocati ad gubernationem Ecclesię & Reipublicæ, quibus necesse est perpetuò cogitare, ac meditari quomodo populum sibi commissum sapienter gubernent. Unde Paulus 1. Cor. 9. docet, jus ministrorum Ecclesiæ esse, ut absq; manuum suarum labore vivant ac sustententur ex bonis Ecclesiæ. Nec verò quum Deus Adamo dixit, In sudore vultus tui vescêris pane tuo: præceptum dedit ut legislator, sed ut judex pœnam pronuntiavit. Alioqui singulos oporteret agricolas esse: quum ex contextu liqueat, istud de agricultura dictum esse. Præcessit enim: Maledicta terra in opere tuo: in labore comedes ex ea, &c. Nec minor est labor ille cerebri, quo magistratus & doctores Ecclesię perfungũtur, quàm labor manuum: quin potiùs major. Et labor manuum illis potissimùm præcipitur, quibus desunt bona ad hanc vitam tuendàm necessaria: quo fit ut aut labore manuum comparanda illis sint, aut ab aliis emendicanda. Confer 2. Thess. 3. à ℣. 6. usque ad 13.

Ex ℣. 13. & 14. Mortui certò resurrecturi sunt: quia Deus tam facilè eos excitabit, quàm nos excitamus dormientem. Porrò qui in fide Christi mortui fuerint, illi resurrecturi sunt ad beatam immortalitatem cum Christo fruendam: quoniam cum illo tanquam cum capite cohærent. Vide 1. Cor. 15. dict.

Ex ℣. 13. Lugere mortuos fideles licet: veruntamen luctus ille moderandus est ex spe beatæ resurrectionis. dict. vand.

Ex ℣. 15. Quum dies advẽtus Domini nos lateat, semper parati simus ad excipiendum advẽturum, sobriè scilicet viventes, vigilantes & orantes. Vide Luc. 21. ℣. 34. 35. 36. item Luc. 12. ℣. 35. 36. 37. 38. 39. 40. item Matth. 24. ℣. 42. 43. 44. vand.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

In principio capitis pergit in instituta descriptione adventus Domini ad judicium. Deinde v. 4. redit ad exhortationes: quas pertexit usq; ad versum 23. ubi epistolam voto & privatis quibusdam admonitionibus & consuetâ salutatione concludit.

PORRÒ de temporibus & opportunitatibus, fratres, non est opus ut vobis scribatur.

2 Ipsi enim penitus scitis, diem illum Domini, ut fur nocte *venit*, ita venturum esse.

3 Quum enim dicent, Pax *est* & tuta omnia: tunc repentinum eis imminet exitium, sicuti dolor partus mulieri uterum ferenti: & nequaquam poterunt effugere.

PER prolepsin asserit, diem adventus Domini ab hominibus ignorari, & Dominum venturum impiis ex improviso: id quod declarat exemplo furis qui noctu ex improviso in domum alienam ingruit: item exemplo mulieris gravidæ, quam dolores partus ex improviso obruunt. Ita quum maxima regnabit in mundo securitas, judicium Domini impios incautos opprimet.

4 At vos, fratres, non estis in tenebris; ut dies ille vos tanquam fur, deprehendat.

5 Omnes vos filii lucis estis, ac filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.

6 Nempe igitur ne dormiamus, ut reliqui; sed vigilemus & sobrii simus.

7 Nam qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu sunt ebrii.

8 At nos qui sumus diei, sobrii simus; induti thorace fidei & charitatis, & galeâ spe salutis.

9 Nam non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Jesum Christum:

10 Qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum eo vivamus.

11 Qua-

11 Quapropter adhortamini alii alios, & ædificate ſinguli ſingulos; ſicut & facitis.

12 Rogamus autem vos, fratres, ut agnoſcatis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & admonent vos:

13 Et quàm maximè charos ducatis, propter opus ipſorum, pacem colite inter vos mutuò.

14 Precamur autem vos, fratres, monete inordinatos, conſolamini eos qui puſillo animo ſunt, ſublevate infirmos, leni animo eſtote erga omnes.

15 Videte néquis malum pro malo cuipiam reddat: ſed beneficentiam ſemper ſectamini, tum inter vos mutuò, tum erga omnes.

16 Semper gaudete:

17 Indeſinenter orate:

18 In omnibus gratias agite. hæc enim eſt voluntas Dei per Chriſtum Jeſum erga vos.

19 Spiritum ne exſtinguite:

20 Prophetias ne pro nihilo habete:

21 Omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete:

22 Ab omni ſpecie mali abſtinete.

Redit ad exhortationes, ac primùm dehortatur ab illa cujus modò mentionem fecerat, mundi ſecuritate, contraque hortatur ad vigilantiam & ſobrietatem. Primùm autem eos conſolatur contra metum improviſi adventus Domini. Dies Domini, inquit, ex improviſo deprehendet eos qui ſunt in tenebris, nempe in tenebris ignorantiæ DEI: veniet enim Dominus tanquam fur in nocte. At vos non eſtis in tenebris, ſed eſtis filii lucis: hoc eſt, non ignoratis DEUM, ſed noſtis. Ergo dies Domi-

ni vos non deprehendet ex improviso, ℣. 4. & 5. Deinde eodem argumento concludit ipsam exhortationem. Qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu inebriantur: & denique qui securè suis cupiditatibus indulgent, DEUM ignorant. At nos non sumus noctis, neque tenebrarum, sed sumus diei; hoc est, nos sumus prædíti cognitione DEI. Ergo ne dormiamus, hoc est, ne simus carnaliter securi: sed vigilemus & sobrii simus. Hanc exhortationem illustrat per partes, quatenus hortatur ad constantiam in fide, charitate & spe: quæ tanquam arma proponit, quibus contra insultus Diaboli munire se debeant. Hæc agit vers. 6. 7. & 8.

V. 9. occasione vocabuli *Salutis*, quo modò fuerat usus, annectit aliud institutiræ hortationis argumentum; quod sumtum est ab utili effectu, videlicet salute seu vita æterna: quam sobriè viventes & strenuè contra diabolum pugnantes certò adepturi sint: quia & Deus illos ad istam prædestinarit, & Christus eam ipsis sua morte sit promeritus, ℣. 9. & 10.

V. 11. hortatur eos ad mutuum studium adhortandi & confirmandi in studio pietatis.

V. 12, & 13. hortatur eos ad observantiam erga suos pastores & gubernatores: item ad mutuam concordiam.

V. 14. hortatur eos ad varia officia charitatis erga proximum, prout cujusque ædificatio & salus postulat.

V. 15. dehortatur à privata vindicta, & contrà hortatur ad constans studium benefaciendi omnibus.

V. 16. hortatur ad perpetuum gaudium, nempe gaudium in Spiritu sancto, quod oritur ex consideratione paterni amoris Dei erga nos in Christo.

V. 17. hortatur ad assiduas preces.

V. 18. hortatur ut Deo gratias agant in omnibus, id id est, quicquid ipsis evenerit, sive bonum, sive malum. Hanc exhortationem confirmat á causa procreante, videlicet voluntate Dei benevola per Christum declarata.

V. 19. & 20. hortatur ad studium audiendi & meditãdi verbum Dei, ab effectu pernicioso: quia secus exstingueretur Spiritus, id est, dona Spiritus sancti ad salutem neces-

necessaria: ut sunt, fides, charitas, spes. Per prophetias intelligit propheticarum scripturarum expositiones & inde deductas exhortationes: sicut 1. Cor. 14.

V. 21. hortatur ad examen doctrinæ, quam pastores tanquam ex verbo Dei proponunt.

V. 22. dehortatur ab omni specie mali, id est, ab omni re quæ vel speciem tantummodò mali præ se fert, etiamsi per se mala non sit.

23 Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos: & integer vester spiritus, & anima, & corpus, inculpatè in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur.

24 Fidelis *est* qui vocat vos; qui etiam *id* efficiet.

25 Fratres, orate pro nobis.

26 Salutate fratres omnes osculo sancto.

27 Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus.

28 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* vobiscum, Amen.

Concludit epistolam primùm voto, quo eis exoptat quotidianum incrementum sanctificationis, ℣. 23. atq; illud ipsum eis promittit, ℣. 24. deinde privatas quasdam admonitiones subjicit ℣. 25. 26. 27. Postremò salutationem consuetam annectit, ℣. ult.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 De temporibus. Περὶ τῶν χρόνων. *id est, quo anno, quo mense, quo die Dominus adventurus sit.*

2 Diem illum Domini. ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου. *nempe diem extremi judicii.* Ut fur nocte *venit.* ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ. *Repete* ἔρχεται, *ex fine versus. Id est, Ex improviso. quod tamen mox versu sequente restringitur ad impios. nam piorum est diem illum perpetuò exspectare atq; exoptare. Confer Matth. 24. v. 42. 43. 44. Luc. 12. v. 39. 40. item Luc. 21. v. 34. 35.*

3 Quum enim dicent. *Nempe impii: ut liquet ex sequentibus.* Et nequaquam poterunt effugere. οὐ μὴ

ἐκφύγωσιν. *Gemina negatio fortiùs negat: & verbum est modi potentialis.*

4 Non est in tenebris. *Per tenebras intelligit ignorantiam Dei.* Dies ille. ἡ ἡμέρα. *nempe quo Dominus venturus est ad judicium.* Tanquam fur. *id est, ex improviso ad incautos.*

5 Filii lucis. υἱοὶ φωτὸς. *id est, luce cognitionis Dei illustrati. Phrasis Hebræa.*

6 Ne dormiamus. *id est, ne indulgeamus securitati carnis.* Ut reliqui. *Nempe qui in Christum non credunt: qui verâ Dei cognitione non sunt illustrati. In Græco,* ὡς καὶ οἱ λοιποὶ, *redundat conjunctio copulativa: sicut & cap. præcedente v. 13.* Vigilemus. *id est, sollicitè caveamus ne diabolus suis tentationibus nos vincat.* Sobrii simus. *Caveamus ne corda nostra graventur crapulâ & ebrietate: ut Christus monet Luc. 21.*

7 Qui dormiunt, noctu dormiunt. *Nox enim somno à Deo destinata est.* Noctu sunt ebrii. *id est, noctu solent inebriari.*

8 Qui sumus diei. ἡμέρας ὄντες. *Pro hoc suprà v. 5. dixit, Sumus filii lucis ac filii diei.* Induti thorace fidei. ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως. *id est, induti fide tanquam thorace: ut scilicet armati simus contra tentationes diaboli. Vide Ephes. 6. v. 11. & deinceps, ubi spiritualem hanc armaturam copiosiùs describit.* Et galeâ spe salutis. καὶ περικεφαλαίαν ἐλπίδα σωτηρίας. *Appositio. Id est, Et galea quæ est spes salutis: hoc est, Spe salutis tanquam galeâ.*

9 Non constituit. οὐκ ἔθετο. *id est, non ordinavit, non prædestinavit. Similiter accipitur hoc verbum 1. Pet. 2. v. 8. ubi de immorigerorum damnatione loquens ait,* εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν. Ad iram. εἰς ὀργὴν. *id est, ad exitium seu interitum cui Deus pro justa sua ira adjudicaturus est reprobos.* Ad salutem obtinendam. εἰς περιποίησιν σωτηρίας. *Ad verb. Ad acquisitionem seu adeptionem salutis.*

10 Ut sive vigilemus &c. *Elegans verborum* ἀνταπόκλασις: *qualis illa Rom. 14. v. 8. Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur: sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.*

11 Ædificate. οἰκοδομεῖτε. *id est, ad bonum instruite.*

12 Ut

12 Ut agnoscatis. εἰδέναι. *id est, ut debitâ reverentiâ prosequamini.* Qui laborant. τοὺς κοπιῶντας. *Scilicet docendo vos & admonendo: sicut sequentia declarant. Confer 1. Tim. 5. v. 17.* Præsunt vobis. προϊσταμένους ὑμῶν. *Intelligit presbyteros, quod nomen cum isto verbo expresse conjungit 1. Tim. 5. v. 17. inquiens,* οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι. In Domino. ἐν κυρίῳ. *id est, in timore Domini.* Admonent. νουθετοῦντας. *nempe de vestro officio. hoc enim est munus presbyterorum.*

13 Propter opus ipsorum. Διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν. *Nempe opus illud admonitionis.*

14 Inordinatos. τοὺς ἀτάκτους. *id est, eos qui inordinatè se gerunt. Confer 2. Thess. 3. v. 10. 11. 12.* Infirmos. τῶν ἀσθενῶν. *Scilicet in fide.*

15 Beneficentiam. τὸ ἀγαθόν. *id est,* τὴν ἀγαθωσύνην.

16 Gaudete. *Scilicet in Spiritu sancto, sicut loquitur Roman. 14. v. 17.*

18 In omnibus. ἐν παντὶ. *quasi dicat, Tam in adversis, quàm in secundis rebus.* Gratias agite. *nempe Deo.* Hæc enim est voluntas Dei &c. τοῦτο γὰρ θέλημα θεοῦ, *id est, Voluntas enim Dei erga vos talis est, id est, tam bona ac benigna, ut meritò semper gratias agere debeatis.*

19 Spiritum. τὸ πνεῦμα. *id est, Illuminationem Spiritus sancti. seu dona Spiritus sancti: nempe fidem, spem, charitatem.* Ne exstinguite μὴ σβέννυτε. *Metaphora ab igne: qua monemur, dona Spiritus instar ignis fovenda atq; alenda esse verbo Dei tanquam oleo.*

20 Prophetias. προφητείας. *id est, Expositiones Scripturæ prophetica, profectas ex singulari Spiritus sancti revelatione. Sic 1. Cor. 14.*

21 Omnia. πάντα. *Quæ scilicet vobis proponuntur à vestris doctoribus.*

22 Ab omni specie mali. ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ. *id est, Ab omni re quæ vel speciem mali habet, licet per se mala non sit. quanto magis abstinendum à malo ipso.*

23 Deus pacis. ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης. *id est, Qui pacem conscientiæ efficit in animis electorum suorum. De hac pace etiam loquitur Roman. 5. v. 1.* Et integer vester spiritus &c. *Verbum* ὁλοτελεῖς *proximè præcedens, deinceps per partes*

exponit. Spiritus & anima. *τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχή. Per Spiritum (ut annotavit doctissimus interpres) videtur intelligere Mentem, id est eam animæ partem, qua sapimus atq; intelligimus: per animam verò voluntatem & affectus. Sic Hebr. 4. v. 12.* In adventum. *ἐν τῇ παρουσίᾳ. Pro, εἰς τὴν παρουσίαν.*

24 Fidelis. *πιστὸς. id est, talis qui fidem servat, verax & constans in promissis.* Qui vocat vos. *ὁ καλῶν ὑμᾶς. Nempe per istud ipsum meum votum. vel, quotidie per Evangelii prædicationem. Quò autem vocat? Nempe ad communionem regni sui.* Etiam. *καὶ. Scilicet, sicut promisit. Id* efficiet. *ποιήσει. Nempe id quod promisit. hoc est, producet vos in communionem regni sui.*

26 Osculo. *ἐν φιλήματι. Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo: notat enim instrumentum, vel modum agendi. Sic Rom. 16. v. 16.* Sancto. *ἁγίῳ. Quod proficiscatur è sancto animo, ac proinde sincerum sit; non hypocriticum, ut osculum Judæ.*

27 Adjuro vos per Dominum. *ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν κύριον. Alia phrasis exstat Matth. 26. versu 63. nempe, ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ θεοῦ.* Omnibus. *Nempe iis qui ad vestrum cœtum pertinent, qui vestra Ecclesiæ membra sunt.*

OBSERVATIONES EX CAP. V.

Ex ℣. 1. 2. 3. Ex his tribus versibus idem discendum est, quod ex ℣. 15. capitis præcedentis.

Ex versu 4. & deinceps usque ad 11. Ad sedulum studium pietatis excitare nos debet consideratio maximorum Dei beneficiorum: ut quòd verâ sui cognitione mentes nostras illustravit, quòd nos ad salutem prædestinavit, quòd Christus suâ morte vitam æternam nobis est promeritus.

Ex ℣. 8. Arma quibus contra diabolum pugnandū est, sunt fides & spes. Fidei autem in textu adjungitur charitas: quia vera fides per charitatem est efficax. Gal. 5. ℣. 6.

Ex ℣. 11. Officium Christianorum est, se mutuo ædificare, id est, in cognitione Dei & vera pietate confirmare tum adhortationibus, tum aliis rationibus.

Ex ℣. 12. & 13. Singulari amore ac honore prosequendi sunt

sunt ministri Verbi, nempe doctores, pastores & presbyteri.

Ex ℣.13. Mutua concordia inprimis colenda. mut.

Ex ℣.14. Varia charitatis officia erga proximum exercenda, prout cujusque ædificatio & salus postulat. vard.

Ex ℣.15. Privata vindicta cavenda, & constanter beneficiendum omnibus. in.

Ex ℣.16. Christianis perpetuò gaudendum in Spiritu sancto, considerando scilicet paternum amorem Dei erga se in Christo. vard. vard.

Ex ℣.17. Preces debent esse assiduæ. vard.

Ex ℣.18. Quicquid nobis evenit, sive bonum, sive malum, Deo gratias agere debemus. quippe quum & mala nobis in bonum cedant, Rom.8.℣.28. Sic Job Deo gratias agebat, quum & facultatibus & liberis suis per Diabolum & vicinos Chaldæos ac Sabæos privatus esset. Sic Apostoli Acto.5. circa finem, Deo gratias agebant, quum virgis propter Christum cæsi fuissent. vard.

Ex ℣.19. & 20. Verbum Dei studiosè audiendum & meditandum est: ne exstinguantur dona Spiritus sancti ad salutem consequendam necessaria: ut sunt fides, charitas, spes. vard.

Ex ℣.21. Doctrina, quam doctores & pastores Ecclesiæ proponunt, diligenter ex verbo Dei examinanda est: ut si cum illo congruat, retineatur: sin ab illo discrepet, rejiciatur. Sic 1. Corinth.14. ℣.29. præcipit, ut duo vel tres Prophetæ loquantur, cæteri verò dijudicent. Sic Beroënses Actor. 17. ℣.11. laudantur, quòd scrutarentur Scripturas, an quæ ex Paulo & Sila audierant, ita se haberent. Similiter Johannes epist.1.cap.4. hortatur, ut probemus spiritus an ex Deo sint. vard.

Ex ℣.22. Christianis abstinendum est ab omni re quæ vel speciem tantummodò mali præ se fert, etiamsi per se mala non sit. Qualis erat intempestivus ille usus libertatis Christianæ in edēdis idolothytis cum offensione infirmorum: quem reprehendit Apostolus 1.Cor.8. vard.

Ex ℣.23. Pax conscientiæ à Deo est, quatenus ille fide justificat. Confer Rom.5. ℣.1. fid.

Ex ℣. cod. Ut Deo placeamus, totos nos sanctificari sanct.

oportet: videlicet mentem, voluntatem, affectus, denique ipsum corpus. Hinc efficitur, nos à natura totos immundos esse ac DEO displicere.

παιδ. Ex ℣.24. Quum Deus constans sit in promissis; fidamus igitur ei, & bona ab ipso nobis promissa certâ spe exspectemus.

παιδ. Ex ℣.25. Officium Christianorum est, pro se mutuò orare.

ἐπ. Ex ℣.26. A salutatione & quavis externa benevolentiæ declaratione abesse debet hypocrisis.

ἐπ. Ex ℣.27. Quum Paulus hanc epistolam cum omnibus Ecclesiæ membris communicari velit: peccant igitur Pontificii, qui lectione epistolarum Pauli, ac omnino sacræ Scripturæ interdicunt iis quos Laicos nominant.

FINIS.



ANALY-

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI AD THESSALONICENSES POSTERIORIS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

TRES sunt epistolæ hujus partes, prout etiam in tria capita distincta est. In primo capite consolatur eos contra persecutiones, quas propter Evangelii confessionem sustinebant. In secundo capite monet ne aures præbeant iis qui dicebant, adventum Christi jam instare: eâque occasione prophetat de adventu Antichristi, adventum scilicet Christi antecessuro. In tertio capite ad varia Christiani hominis officia eos cohortatur.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Consolatur eos contra persecutiones quas propter Evangelii confessionem sustinebant.

PAulus & Silvanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, *quæ est* in Deo Patre nostro & Domino JESU CHRISTO:

2 Gratia *sit* vobis & pax à DEO Patre nostro, & Domino JESU CHRISTO.

3 Gratias agere debemus DEO semper de vobis, fratres, ut par est, quòd vehementer augescat fides vestra, & abundet mutua uniuscujusque omnium vestrûm charitas:

4 Adeò ut nosipsi de vobis gloriemur apud

Ecclesias Dei, *id est*, de tolerantia vestra & fide in omnibus persequutionibus vestris & afflictionibus quas toleratis.

5 *Quæ res* manifestum est indicium justi judicii Dei: ut digni habeamini regno Dei, pro quo etiam *ista* patimini:

6 Siquidem justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos afflictionem:

7 Vobis verò qui affligimini, relaxationem nobiscum, quum patefiet Dominus Jesus de cælo cum Angelis suis potentibus.

8 Cum flammeo incendio; infligens ultionem iis qui Deum non noverunt, & iis qui non auscultant Evangelio Domini nostri JESU CHRISTI:

9 Qui pœnam pendent æterni exitii, *expulsi* à facie Domini, & à glorioso ipsius robore:

10 Quum venerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in credentibus omnibus (quòd fides habita fuerit testimonio nostro apud vos) in die illo.

11 Cujus etiam rei gratiâ precamur semper pro vobis, ut vos dignetur istâ vocatione Deus noster, & compleat omne *suæ* bonitatis beneplacitum, & opus fidei potenter.

12 Ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in eo, ex gratia Dei nostri, & Domini JESU CHRISTI.

POst inscriptionem, quæ continetur versu primo & secundo, consolaturus eos, primùm eis gratulatur ipsorum fidem & charitatem & tolerantiam: eamque gratulationem amplificat expositione effecti; ostendens, se tanti facere spirituales illas Thessalonicensium

sium virtutes, ut eo nomine de ipsis glorietur apud Ecclesias Dei, ℣. 3. & 4. Deinde quum persecutionum mentionem fecisset, consolationem subjungit: atque ita eos ad constantiam in persecutionibus tolerandis hortatur. Consolationis argumentum sumit ab eventis per antithesin, qua inter se opponit præmium Thessalonicensibus confessionis nomine à Deo dandum, & pœnam persecutoribus ipsorum à Deo infligendam: versu 5. 6. 7. 8. 9. 10. Enthymema hujus consolationis est: Deus iis qui vos affligunt, reddet afflictionem: vobis verò qui affligimini, relaxationem: Ergo constanter ac patienter afflictiones istas tolerate. Hujus enthymematis antecedens, id est, hoc consolationis argumentum confirmat tribus rationibus: primùm à natura DEI justa, seu (ut sic per ἀνθρωποπάθειαν loqui nobis liceat) ab adjuncta Dei justitia, simulque ab adjuncta ipsius potestate. Deus est justus judex totius mundi: Ergo injustos meritis pœnis afficiet, pios autem convenientibus præmiis ornabit. Ne autem pii præmia ista suis meritis adscribant, significat ea esse gratuita & ex dignatione DEI proficisci, dum ait, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ: id est, Ut digni censeamini regno DEI: quod ipsum clarius exponit versu 11. inquiens, Precamur ut vos dignetur ista vocatione DEUS noster, & compleat omne suæ bonitatis beneplacitum. Porrò expositionem felicis illius persecutionum quas Thessalonicenses sustinebant, eventus, amplificat collatione similis exempli, nempe sui ipsius, inquiens ℣. 7. Deus vobis qui affligimini, reddet relaxationem *nobiscum*; id est, mecum. Quæ ipsa jam secunda ratio est, qua argumentum consolationis allatum cõfirmat, nempe à pari: Sicut Deus mihi pro afflictionibus meis reddet relaxationem: sic etiam vobis pro vestris. Præterea expositionem istius eventus illustrat ex adjuncto, videlicet circumstantiâ temporis: affirmans, relaxationem illam Thessalonicẽsium, itemque ultionem eorum qui ipsos persequebantur, eventuram in adventu Christi ad judicium: atque ita causam instrumentalem exponit, qua Deus utetur in ultione illa infligenda & relaxatione illa tribuenda, nempe per

Christum. Adventum autem Christi magnificè describit, primùm à loco unde venturus est, videlicet è cælo: deinde ab adjunctis, nempe comitatu angelorum (quos ipsos describit ab adjuncto robore) & incendio quo purgabit elementa, ut Petrus declarat: versu 7. & 8. Simul quoque describit tum impios ex adjunctis, videlicet ignorantiâ Dei & inobedientiâ: quo ipso ultionis justitiam innuit, ℣. 8. tum pios ex adjuncta sanctitate & fide: quam ipsam describit à subjecto occupante seu objecto, videlicet testimonio Evangelii per se annuntiato, ℣. 10. Exitium quoque impiorum amplificat ab adjuncta æternitate, ℣. 9. Contrà gloriam piorum amplificat ex effectis, ostendens tantam fore, ut redundet in gloriam ipsius Christi, & summam admirationem pariat, ℣. 10. His subjungit tertiam rationem ad confirmandum allatum consolationis argumentum, ℣. 11. quæ ratio sumta est à causa procreante adjuvante: Ego Deum semper precor ut vos dignetur ista vocatione, id est, regno suo, ad quod vos vocare cœpit: Ergo confidite Deum id facturum. Hîc autem inserit quartam rationem, à natura Dei constante, quæ ratio latet in verbo, πληρώσῃ, compleat. q. d. Deus in vobis cœpit opus salutis: ergo etiam complebit: quia nimirum constans est. Simul autem monet, hanc præmii largitionem esse gratuitam, tum hoc versu, tum sequente ultimo.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 *Quæ est* in Deo &c. *Vide scholia in 1. Thess. 1. v. 1.*

4 De vobis gloriemur. ἐν ὑμῖν κανχᾶσθαι. *id est*, ἐφ' ὑμῖν. *Præpositio* ἐν *hic notat gloriationis objectum: sicut etiam Rom. 5. v. 3. & 11.* De tolerantia. ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς. *Usurpatur hîc* ὑπὲρ *pro* περὶ. Quas toleratis. ἃς ἀνέχεσθε. *Pro,* ἐκείνας ἃς ἀνέχεσθε.

5 Pro quo. ὑπὲρ ἧς. *id est, Propter quod, seu cujus gratiâ. non quòd existiment fideles, se felicitatem regni Dei tolerantiâ persecutionum promereri. sed quia norunt, se illam aliter consequi non posse nisi persecutiones propter Evangelii confessionem tolerent.*

6 Siquidem. εἴπερ. *id est, Quia.*

7 Quum

7 Quum patefiet Dominus Jesus. ἐν τῇ ἀποκαλύψει Κυρίου Ἰησοῦ, *id est*, ὅταν ἀποκαλυφθήσεται ὁ κύριος Ἰησοῦς. *Genitivus notat subjectum.* Cum angelis suis potentibus. *Seu, robustis* μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ. *Ad verb. Cum angelis potentia suis. nam pronomen* αὐτοῦ *non pendet à nomine* δυνάμεως, *sed à nomine* ἀγγέλων. *Est Hebraismus: qualis ille Psal. 2. v. 6. Super Zijonem,* הַר-קָדְשִׁי *har-kodschí, montem sanctitatis (id est sanctum) meum.*

8 Cum flammeo incendio. ἐν πυρὶ φλογός. *Ad verb. In igne flamma. Hebraismus geminus: alter in præpositione, alter in genitivo.* Infligens. διδόντος, *Ut nimirum* διδόντος *cohæreat cum nomine* πυρός, *versu præcedente. Nam quo minùs conjungi possit cum proxime-præcedente voce* φλογός, *diversitas generis obstat. nam* φλὸξ *est generis fœminini. Est autem hîc enallage temporis: nam* διδόντος *dicitur pro* δώσοντος. Et iis qui non auscultant. καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσι. *Sic vertendum: non autem,* Neque auscultant. *quæ versio respondet Græcis istis,* καὶ μὴ ὑπακούουσι: *omisso scilicet articulo. Duo enim impiorum genera hîc notantur: unum ignorantium religionem Christianam; alterum scientium, sed oppugnantium aut saltem contemnentium.*

9 Et à glorioso ipsius robore. καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. *Ad verb. Et à gloria roboris ejus, vel virium ejus. Hypallage Hebraa, qualis Ephes. 1. 7.*

10 In die illo. *Scilicet, quo patefiet è cælo, ex versu septimo.* Cujus rei gratiâ. εἰς ὅ. *Ad verb.* Ad quod. *Præpositio* εἰς *hîc usurpatur ut præpositio lamed apud Hebræos in voce* לָמָּה *lamáh, quæ sonat quasi dicas* εἰς τί, *ad quid: pro* τίνος ἕνεκα, *Cujus rei gratiâ?*

11 Pro vobis. περὶ ὑμῶν. *Ponitur* περὶ *pro* ὑπὲρ. Dignetur. ἀξιώσῃ. *vel, Dignos reddat.* Istâ vocatione. τῆς κλήσεως. *id est, Gloriâ istâ cæleſti ad quam vocamini. Metonymia adjuncti.* Opus fidei. ἔργον πίστεως. *hoc est, Fidem quæ est opus gratia Dei in vobis. Talis syntaxis qualis illa Rom. 4. Accepit Abraham signum circumcisionis: id est circumcisionem, quæ erat signum fœderis.* Potenter. ἐν δυνάμει. *Ad verb. In potentia: id est, cum potentia. Periphrasis adverbii Hebraa.*

OBSERVATIONES EX CAP. I.

Ex quatuor primis versibus eædem observationes nascuntur, quæ ex tribus primis versibus epistolæ prioris: ibi vide.

παρ. Ex ℣. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Quum à mundo affligimur propter Evangelii professionem: consolari nos debet ultimum judicium. tunc enim Christus persecutores quidem nostros æterno exitio damnabit, nos verò cælesti gloriâ & sempiterna felicitate donabit. Nec est quod dubitemus quin hoc facturus sit: quia justus sit. Justi autem judicis est, sontes damnare: innocentes verò præmiis ornare. Hac spe consolabatur se Paulus 2. Tim. 4. ℣. 6. 7. 8.

διαλ. Ex ℣. 5. Si, ut regnum Dei seu vitam æternam consequamur, ex gratia Dei dignos eo censeri oportet: ergo per nos ipsi eo indigni sumus. Confer Luc. 21. ℣. 36. ubi exstat idem verbum καταξιωθῆναι: & Matth. 24. ℣. 34. ubi habetur verbum κληρονομήσατε. Quod si regnum

ἔλ. Dei nobis datur ut hæreditas: non igitur datur pro nostris meritis.

διαλ. *Ex eodem versu.* Conditio verorum Christianorum in hoc seculo est, ut patiantur pro regno Dei, id est propter spem vitæ æternæ quam credunt & profitentur sibi partam solâ Christi morte. Hinc Paulus ajebat: Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. Actor. 14. ℣. 22. & ad Timotheum, Omnes, inquit, qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. ℣. 12. Quin & Christus ipse ait, Si quis vult post me venire (id est, me ut discipulum sequi) abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me: Matth.

παρ. 16. versu 24. Quare non est quod offendamur quum accidit, nos propter Christi confessionem à mundo odio haberi & affligi.

διαλ. Ex ℣. 8. Vera & salvifica Dei notitia non nisi ex Evan-

ἐπ. gelio oritur: quare qui Evangelium repudiant, illi verâ Dei cognitione carent & salvi fieri non possunt. Hæc enim duo Paulus velut individuo nexu copulat, quum ait: *Qui Deum non noverunt, neque auscultant Evangelio &c.*

Ex eod.

Ex eodem v. Hæc demum est vera Dei notitia, qua Dei voluntas ex Evangelio nō solùm cognoscitur, sed etiam qua Evangelio (id est voluntati Dei in Evangelio patefactæ) obeditur. Hæc autem est voluntas Dei in Evangelio patefacta, ut credamus in filium, Johan. 20. ℣. ult. & ut studeamus sanctè vivere, 1. Thess. 4. ℣. 3. Confer etiam Tit. 2. versu 11. 12. 13. dict.

Ex versu 10. Omnes fideles sancti sunt. quia Paulus duas istas voces hîc tāquam synonymas seu idem significantes usurpat. Sancti autem sunt partim imputatione sancti sacrificii Christi: partim inchoatione sanctæ vitæ per efficacem spiritus Christi. dict.

Ex eodem versu. Evangelium est testimonium de CHRISTO. Similiter & Sacramenta, tanquam Evangelii appendices, nihil aliud quàm divina testimonia sunt, quibus nimirum Deus testatur, se credentes omnes in gratiam recepisse propter reconciliationem factam morte Christi. dict.

Ex versu 11. Officium Christianorum est, pro se mutuò precari. mand.

Ex eod. versu. Salus nostra pendet à mera Dei bonitate: qua scilicet nos ex gratuita benevolentia ad vitam æternam elegit, & efficaciter vocat, fidemque in nobis conservat. dict.

Ex eodem. Fides est opus potentiæ Dei, id est, quod per Dei potentiam in Electis efficitur. unde Paulus ad Ephesios primo docet, Deum quum fidē in nobis creavit, eandem potentiam exseruisse quam exseruit quum Christum excitavit ex mortuis, Ephes. 1. ℣. 19. & 20. Et Christus docet apud Johannem, per vocem Filii Dei in Evangelio sonantem, excitari mortuos, nempe spiritualiter mortuos, id est, ad omnem spiritualem motum, ac proinde etiam ad credendum prorsus ineptos & impotentes: sic enim ait Johan. 5. ℣. 25. Amen amen dico vobis, veniet tempus & nūc est, quum mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent. ubi observādum, Christum nō loqui de mortuis corporaliter: de his enim paulo post seperatim loquitur, inquiens, Veniet hora, qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem e- dict.

jus &c. At in verbis paulo-antè citatis loquitur de mortuis spiritualiter: quorum nonnulli jam tunc excitabantur: ait enim, *Veniet tempus & nunc est*. Excitabantur autem & adhuc excitantur per potentiam Christi, quam is exserit in Evangelii prædicatione, creans fidem in cordibus Electorum qua illi vivificantur, quatenus per fidem gustant gratiam & paternum favorem Dei.

παρ. Ex ℣. 10. & 12. Valde honorificum est credentibus, quòd ipsorum glorificatio ad gloriam ipsius filii Dei pertinet: nempe quatenus est credentium caput. ait enim Paulus, Christum glorificatum iri in sanctis suis, & admirandum fore in fidelibus omnibus: item nomen ejus glorificatum iri in ipsis.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur secunda, eáque præcipua, epistolæ pars, ubi Paulus Thessalonicenses primùm monet, ne patiantur se seduci falsâ doctrinâ, quasi instet dies extremi judicii: v. 1. 2. & principio tertii. Deinde prædicit eventuram ante Christi adventum apostasiam multo-maximæ partis eorum qui Evangelium fuerint professi, itemq; tyrannidem Antichristi, seu regni Antichristiani, nempe Papatus Romani, à v. 3. usque ad 13. Postremò consolatur eos contra metum defectionis ac seductionis: simulq; eos hortatur ad constantiam in doctrina ab ipso accepta: necnon veram consolationem atq; constantiam à Deo eis exoptat: à v. 13. usq; ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

ROgamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostri ad eum aggregationem,

2 Ne citò à mente dimoveamini, neque terreamini; neq; per spiritum, neque per sermonem, neq; per epistolam tanquam per nos *scriptam*; quasi instet dies ille Christi.

3 Né quis vos decipiat ullo modo.

Admo-

ADmonitionem proponit sub formâ obsecrationis, ut eò faciliùs eis persuadeat. ait enim, *Rogamus*. Et hanc obsecrationem amplificat obtestatione seu adjuratione, inquiens: *Per adventum Domini nostri Jesu Christi, &c.* Quanquam alii vertunt, *De adventu &c.* quam versionem si sequamur, dicendum erit, his verbis generatim indicari eam rem, de qua admonitionem instituit: quasi dicat, *Quod ad adventum Domini nostri Jesu Christi attinet, rogamus &c.* Sed prior expositio magis videtur quadrare, quia de re maximi momenti eos admonere vult; in qua si falsâ doctrinâ seduci se passi fuissent, subversa fuisset ipsorum fides, ac proinde æterna salus. Sententia igitur verborum hæc fuerit: Quàm certò creditis Christum adventurum, & nos ad eum aggregatum iri, tam certò etiam credite huic meæ admonitioni.

Versu secundo admonitionem institutam confirmat ab effectis inutilibus: quia opinio ista de instante die Christi ipsos à mente (id est à fide) sit dimotura, aut ad minimũ mentem ipsorum perturbatura, ut de Evãgelii veritate incipiant dubitare, si scilicet viderint eventum isti suæ opinioni nõ respondere. Deinde tria testimoniorum genera commemorat, quibus seductores falsam suam doctrinam solebant falsò confirmare atq; commendare: videlicet aut *per Spiritum*, id est revelationem sibi factam à Spiritu sancto: aut *per Sermonem*, id est, institutionem vivæ vocis ex ore Apostoli profectã: aut denique *per Epistolam* tãquam ab Apostolo scriptam. Versu tertio tres illos seductionis modos uno verbo comprehendit.

DE SECUNDA PARTE.

3 *Non* enim *adveniet dies Christi*, quin venerit defectio priùs, & retectus fuerit homo ille peccati, filius, *inquam*, ille perditionis;

4 Qui sese opponit & effert adversus quicquid dicitur Deus, aut numen: adeò ut in templo DEI tanquam deus consederit, præ se ferens se esse deum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0317
DFG

5 Annon meminiſtis me, quum adhuc eſſem apud vos, hoc dixiſſe vobis?

6 Nunc verò quid obſtet noſtis; ut is ſuo tempore retegatur.

7 Jam enim peragitur myſterium impietatis hujus: tantùm qui nunc obſtat, *obſtabit* uſque dum è medio ſublatus fuerit.

8 Et tunc retegetur impius ille; quem Dominus conficiet Spiritu oris ſui, & illuſtri adventu ſuo abolebit.

9 *Illum, inquam,* cujus adventus eſt ex efficacia Satanæ, cum omni potentia & ſignis, ac prodigiis mendacibus:

10 Et cum omni fraude injuſtitiæ in iis qui pereunt, propterea quòd amorem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent.

11 Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio.

12 Ut damnentur omnes qui non crediderint veritati, ſed acquieverint in injuſtitia.

Verſu tertio prædicit, ante Chriſti adventum eventuram apoſtaſiam, & Antichriſtum palàm dominaturum. Apoſtaſiæ nomine intelligit defectionẽ plurimorum à fide Chriſtiana: quam videmus accidiſſe partim per Mahometem, qui eccleſias Orientales non ſolùm à Chriſtiana fide, verùm etiam à nomine Chriſtiano prorſus avertit: partim verò per Pontifices eccleſiæ Romanæ, qui eccleſias Occidentales non quidem à Chriſtiani nominis profeſſione, veruntamen ab ipſa Chriſtiana fide averterunt. Dominatum Antichriſti ſignificat verbo revelationis, dicens fore ut ille reveletur ſeu pateſiat, id eſt, ut palàm dominetur, & Eccleſiam à fide avertat, averſamq́; in erroribus detineat. Verbo autẽ *Revelandi* ideò utitur Apoſtolus, quia jam tum diabolus defectionem iſtam moliebatur clam, ſicut poſtea ſignificabit verſ. 7.

quem-

quemadmodum & Johannes scribit, Antichristum quidem venturum, veruntamen etiam tunc Antichristos multos exstitisse, 1. Joh. 2. ℣. 18. Porrò Antichristum describit Paulus tanquam certã aliquam personam: verùm verba Pauli docent & eventus ipse testatus est, hanc descriptionem intelligendam esse de quodam regno in Ecclesia. nam ℣. 7. ait, mysterium istius impietatis jam tum fuisse in opere: quum tamen ab illo tempore ad hoc usque tempus non sit dominatus unus aliquis in Ecclesia. deinde quæ ℣. 9 & 10. commemorat de mendacibus miraculis & aliis fraudibus, quibus multi in exitiales errores seducendi sint, ea per complures in Papatu administrata sunt. Ideò autem tãquam unam personam describit, quia seductoribus illis omnibus unus idemque scopus est propositus, nempe pro sua libidine dominãdi in Ecclesia: & præterea unis eisdemque artibus tyrannidem illam suam tuentur, nempe falsa doctrina & falsis miraculis. 1

Describit autem Antichristum primùm ab adjuncta nequitia, vocans eum *hominem peccati*, id est, totum peccato deditum: deinde ab eventura ei pœna ex decreto Dei, vocans eum *filium perditionis*, id est, perditioni seu exitio æterno à Deo destinatum. 2 tum ab adjuncta intolerabili impudentia & superbia, vers. 4. quòd sese Christo sit oppositurus, ac sese elaturus supra ipsum Deum. 3 Postremo à loco, ubi dominaturus & tyrannidem suam exercitaturus sit, videlicet *in templo Dei*, hoc est, in Ecclesia. 4

V. 5. confirmat propositam doctrinam testimonio pristinæ suæ institutionis, quam Thessalonicensibus in memoriam revocat.

V. 6. & 7. innuit causam impedientem, qua conatus ille diaboli tunc impediebatur: videlicet Imperium Romanum, ut eventus docuit. nam quamdiu viguit Imperium Romanum, ità ut Imperator Romanus in urbe Roma suam sedem haberet; nec Papatus in Occidẽrem, nec Alcoranus in Orientem introduci potuit. Porrò de Imperio Romano tãquam de uno quopiam homine loquitur: sicut paulo-antè regnũ Antichristianum sub specie unius hominis descripsit. Vocat autem Antichristia-

nismum mysterium impietatis, qua diabolus illum tunc occultè moliebatur.

V. 8. exponit causas corrumpentes, quibus Christus regnum Antichristi sit labefacturus & tandem abolitus. *Conficiet eum*, inquit, *spiritu oris sui*, id est, prædicatione Evangelii sui: id quod jam inde ab indulgentiis per Lutherum oppugnatis factum est. deinde *abolebit eum illustri adventu suo*, nempe quum venturus est ad judicandum vivos & mortuos.

V. 9. & deinceps redit ad descriptionem Antichristi, & describit eum ab effectis: ac primùm quidem à factis ipsius, deinde ab eventis factorum illorum in aliis. Facta ipsius erunt miracula partim diabolica, partim fallacia: item omnis generis fraudes atque impostura. Eventa illorum factorum erunt seductio reproborum & eorundem interitus. Simul autem significat, eventa illa justo Dei judicio gubernatum iri, & reprobis tanquam pœnas suæ incredulitatis a Deo inflictum iri.

DE TERTIA PARTE.

13 Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati:

14 Quò vocavit vos per Evangelium nostrum, ad obtinendam gloriam Domini nostri Jesu Christi.

15 Nempe igitur, fratres, perstate, & tenete traditam doctrinam quam edocti estis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

16 Ipse verò Dominus noster Jesus Christus, & Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam,

17 Con-

17 Consoletur vestra corda, & stabiliat vos in omni sermone & opere bono.

Quoniam exposuit eventa fraudum Antichristi, videlicet seductionem & interitum reproborum: ne Thessalonicenses metu istorum eventorum percellerentur, quasi periculum sit ne ipsis quoq; eadem eventura sint: Apostolus eos contra metum illum consolatur à natura Dei constante & immutabili decreto ipsos servandi: quippe quòd Deus ipsos elegerit (id est, eligere decreverit seu prædestinaverit) ab initio, id est, ab æterno. Hoc autem probat à proprio effectu, videlicet efficaci vocatione: cujus effecta exponit duo, ordine inverso, videlicet fidem & sanctificationem seu studium sanctitatis. Simul etiam exponit vocationis illius causas efficientes duas: unam principalem, Spiritum sanctum; alteram instrumentalem, prædicationem Evangelii. Atque hæc omnia proponit per gratiarum actionem: ℣. 13. & 14. Deinde ℣. 15. ex ista consolatione deducit cohortationem, qua eos hortatur ad constantiam in doctrina ab ipso accepta. Postremò ℣. 16. & 17. veram cõsolationem, & constantiam: tum in sana doctrina tum in sancta vita à Deo eis exoptat.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Per adventum, &c. ὑπὲρ τῆς παρουσίας, &c. *Jurandi formula. id est, Quàm verè exspectatis Domini adventum, &c. Sic Homerus Iliad. ω.*

Καί μιν ὑπὲρ πατρὸς κὴ μητέρος ἠυκόμοιο
Λίσσεο, κὴ τέκεος· ἵνα οἱ σοὶ θυμὸν ὀρίνῃς.

Id est,

Et ipsi per patrem & matrem bene-comtam
Supplica, & filium: ut ei animum commoveas.

Sunt autem verba Mercurii ad Priamum, quibus eum informat, quomodo supplicare debeat Achilli ad impetrandum cadaver Hectoris.

Citatur & ex Gregorio, ὑπὲρ χριστῦ δέομαι, *Per Christum peto.* Ad eum. ἐπ' αὐτὸν. *Scilicet Dominum.* Aggregationem. ἐπισυναγωγῆς. *Hanc aggregationem describit 1. Thess. 4. v. 14. & deinceps.*

2 Citò. πάχεως. *A circumstantia temporis amplificat facinoris indignitatem. quasi dicat, Cùm semper turpe sit seduci, tum longè turpissimum citò seduci. nam nõ ita pridem doctrinam Christianam à Paulo didicerant. Sic Gal. 1. v. 6. Miror vos ita citò transferri in aliud Evangelium.* Dimoveamini σαλευθῆναι. *Verbum hoc propriè significat jactari tempestate maris: à nomine σάλος, quod & à Latinis salum, hoc est jactatio, nominatur, quâ scilicet in mari navigantes à tempestate jactantur.* A mente ἀπὸ τοῦ νοὸς. *id est, à fide Evangelii, quam mente percepistis. Metonymia subjecti.* Neque terreamini. μήτε θροεῖσθαι. *Sic Matth. 24. v. 6. Audietis bella & rumores bellorum: videte ne terreamini,* μὴ θροεῖσθε. *Sic enim illic cum D. Beza legendum censeo, pro eo quod legitur* ὁρᾶτε μὴ θροεῖσθε. *Porrò* θροεῖσθαι *propriè est clamore tumultuantium terrefieri, à nomine* θρόος, *quo clamor tumultuantis significatur.* Per Spiritum διὰ πνεύματος. *id est, per revelationẽ à Spiritu sancto profectam. Metonymia efficientis, & synecdoche generis.* Dies ille Christi. *id est, dies secundi adventus Christi.*

3 Ne quis vos decipiat. μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ. *id est,* βλέπετε μή τις &c. *Videte nequis &c. Ellipsis.* Ullo modo. οὐ μηδένα τρόπον. *Ad verbum, Nullo modo, Sed gemina negatio apud Græcos fortiùs negat. Non enim adveniet dies Christi,* quin &c. οὐκ ἐλεύσεται ἡμέρα τοῦ κυρίου ἐὰν μὴ. *Pro,* ὅτι οὐκ ἐλεύσεται ἡμέρα τοῦ κυρίου ἐὰν μὴ. *Supplementi hujus veritas ex sententiarum coharentia manifesta est, nempe ex collatione extremorum verborum versiculi precedentis.* Defectio. ἡ ἀποστασία, *nempe universalis quædam defectio à fide, id est, à professione veræ fidei Christianæ. Hanc defectionem prædixit quoque 1. Timoth. 4. v. 1. 2. & 3. ubi inter alia ait, Spiritus disertè dicit, fore ut posterioribus temporibus deficiant quidam à fide* ὅτι ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως &c. Retectus fuerit. ἀποκαλυφθῇ. *id est, palam regnet. quia jam tum occultè serpebat hoc malum: ut liquet ex versu septimo. Potest tamen intelligi de ea detectione, qua fraudes Antichristi detectæ sunt per verbum Evangelii: ut significatur versu octavo.* Homo ille peccati. ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, *id est, peccato deditissimus. Hebraismus.* Filius ille perditionis. ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. *id est, homo ille perditioni destinatus, quod ipsum*

nomen

nomen eodem sensu tribuitur Judæ, Johan. 17. v. 12. Nisi forte Filius perditionis *hoc loco rectius exponitur, Homo perditus: sicut filii contumaciæ dicuntur homines contumaces.*

4 Adversus quicquid dicitur Deus. ἐπὶ πᾶν τὸ λεγόμενον θεὸν. *Sic legisse apparet veterem interpretem. Quidam tamen libri habent:* ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, *id est, adversus omnem qui dicitur Deus.* Numen. σέβασμα. *A verbo* σεβάζεσθαι, *quod ipsum oritur à* σέβεσθαι: *quod utrumque significat, Colere ut Deum.* Ad ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ καθίσαι. *Germanica Græcis melius respondent,* Also daß er sich in den Tempel Gottes gesetzt hat.

6 Quid obstet. τὸ κατέχον. *quid detineat, scilicet patefactionem Antichristi, seu apertam illius dominationem.* Was des Antichrists offentliche herschung aufhalte. Ut is retegatur. εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν. *Notatur consilium Dei ista omnia gubernantis.*

7 Jam enim peragitur mysterium impietatis hujus. τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας. *id est, Impietas ista, nempe impius iste dominatus Antichristi in Ecclesia Dei, jam occultè serpit.* Qui nunc obstat. ὁ κατέχων ἄρτι. *nempe Imperator Romanus, seu Imperium Romanum. Neq; enim certam personam notat, sed certum regnum: sicut & quum loquitur de Antichristo.* Obstabit usque dum. ἕως. *Supplementi hujus veritas ex coharentia verborum liquet.* Usque dum è medio sublatus fuerit. ἕως ἐκ μέσου γένηται. *Id quod factum est in Oriente quidem per Mahometem & illius sectatores Saracenos atq; Turcas: in Occidente verò per Bonifacium III. Episcopum Rom. ejusq; successores, ac inprimis per Gregorium VII.*

8 Retegetur ἀποκαλυφθήσεται. *id est, apertè dominabitur.* Impius ille. ὁ ἄνομος. *Antichristus, qui totam Dei Legem ac imprimis eam partem quæ agit de cultu Dei, pedibus conculcabit.* Dominus ὁ κύριος. *Christus.* Conficiet ἀναλώσει. *Consumet. Ita scilicet ut suis fraudibus non possit amplius animas seducere.* Spiritu oris sui. τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ. *id est, verbo suo. nempe verbo Evangelii: quod ex tenebris in lucem rursus prolatũ est per Lutherum & alios.*

Est autem illa periphrasis Hebraea, ut liquet ex Psal. 33. v. 6. Illustri adventu suo. *Nempe ad judicium.* Abolebit. καταργήσει. *id est, in aternum exitium praecipitabit, ne scilicet possit amplius occidere fidelium Christi confessorum corpora.*

9 Ex efficacia Satanæ. κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ. *qui scilicet efficax erit in edendis prodigiis per Antichristos.* Cum omni potētia & signis. ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις. *Pro,* μετὰ πάσης δυνάμεως, *&c. Vel,* ἀπὸ πάσης, *&c. id est, Per omnem potentiam. Hebraismus. Est & hic praeterea ἐνδιαδύο: pro, Cum potentia signorum, hoc est, edendi signa. Signa autem pro miraculis per synecdochen generis: quia miracula signa & testimonia sunt divina ad docendum vocationis & veritatis doctrinæ. Denique* omnem potentiam *intelligit omnis generis seu variam potentiam: non autem qua Satan possit omnia quæ velit. Sic enim solus Deus omnipotens est.* Prodigiis mendacibus. τέρασι ψεύδους. *Ad verb. Prodigiis mendacii. Hebraismus.*

10 Et cum omni fraude injustitiæ. καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας. *Rursus* ἐν *pro* μετὰ *vel* ἀπὸ, *ut versu superiore. Deceptionem autem injustitiæ videtur dicere tanquam deceptionem fallacem: ut sit geminus Hebraismus: unus in significatione synecdochica vocabuli* Injustitia *pro falsitate seu mendacio (in qua significatione manifestè accipitur v. 12. ut liquet ex antithesi) alter in usu nominis ejusdem, quod quū substantivum sit, hic vim habet epitheti.* In iis qui pereunt. ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. *i. e. in reprobis, qui perditioni seu exitio æterno destinati sunt. nam electi in errorem exitialem seduci non possunt, teste Christo Matth. 24. v. 24.* Propterea quòd. ἀνθ' ὧν. *Præpositione* ἀντὶ *notatur justa compensatio pœnæ pro peccato. Justa est enim reproborum damnatio, quia veritatem sibi oblatam nihil curant.* Non receperunt. οὐκ ἐδέξαντο. *Pro, Repudiarunt, seu rejecerunt.* μείωσις.

12 Ut damnentur, ἵνα κριθῶσι. *Pro,* κατακριθῶσι. *Synecdoche generis usitata.* In injustitia. ἐν τῇ ἀδικίᾳ. *id est, In mendacio. ut percipitur ex antithesi: opponitur enim veritati. Synecdoche generis. Sic* ἁμαρτία, *id est peccatum, accipitur pro falsa doctrina in verbis illis Christi Johan. 8. v. 46.* Quis ex vobis arguit me de peccato? τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; *tum mox subjicitur per antithesin: Quod si veritatem dico (id est, si*

est, si veram doctrinam trado) quare vos non creditis mihi?

13 Elegerit. εἵλετο. *Id est, Eligere decreverit. nam decretum quidem electionis ab æterno factum est: sed reipsa tum demum electi sumus, quum in Adamo lapsi fuimus. Sic Ephes. 1. v. 4.* Ab initio. ἀπ' ἀρχῆς. *id est, ab æterno, ante jacta fundamenta mundi: ut loquitur in loco modo citato. Vel potius sic exponendum:* Elegit vos ab initio, *scilicet mundi conditi. nam paulò post mundum conditum homo lapsus est: ac tum ex lapsis electi sunt alii ad salutem, alii reprobati & in miseria sua relicti. Atq; sic verbum* Eligendi *hoc loco positum erit in significatione propria, ut non sit exponendum per metonymiam illam subjecti.* Per sanctificationem Spiritus. ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος. *Pro,* διὰ ἁγιασμοῦ. *Hebraismus. Pendent autem hæc à verbis proximè præcedentibus,* εἰς σωτηρίαν, *per quandam ellipsin: quasi dicat, Ad salutem* ad quam adducemini *per sanctificationem &c.* Spiritus. πνεύματος. *Nempe Spiritus sancti, sanctificantis corda electorum.* Fidem habitam veritati. πίστει ἀληθείας. *Ad verb.* Fidem veritatis. *Genitivus subjecti, nempe subjecti occupantis sive objecti. Intelligitur autem veritas doctrinæ cælestis de salute nostra per Christum, per synecdochen generis, id quod* κατ' ἐξοχὴν, *per excellentiam.*

14 Quò. εἰς ὃ. *Ad verbum,* Ad quod. *id est, ad quam rem, nempe* εἰς σωτηρίαν, *ad salutem, ex versu superiore.* Vocavit. ἐκάλεσεν. *Nempe efficaciter, efficiendo scilicet in vobis fidem & sanctificationem, ex versu præcedente.* Per Evangelium nostrum. *id est meum: hoc est, à me prædicatum vobis.* Ad obtinendam gloriam. εἰς περιποίησιν δόξης. *Ad verbum, Ad acquisitionem gloriæ. id est, ut acquiratis seu obtineatis gloriam Domini &c. hoc est, ut participes reddamini gloriæ Domini, nempe pro mensura donationis illius, Confer Rom. 8. v. 17. & 18.*

15 Perstate. στήκετε. *Scilicet, in fide Evangelii.* Traditam doctrinam. τὰς παραδόσεις. *Ad verb. Traditiones.*

16 Spem bonam. ἐλπίδα ἀγαθὴν. *Nempe spem vitæ æternæ, quæ spes non confundit.* Per gratiam. ἐν χάριτι. *Pro,* διὰ χάριτος, *vel* ἐν χάριτος. *Hebraismus.*

OBSERVATIONES EX CAP. II.

διδ. Ex ℣.1. Advētus Christi ad judicium & nostra ad eum aggregatio, res tam certa est, ut illius exemplo uti liceat in veritate confirmanda jurejurando.

πιστ. ἐπ. Ex ℣. 2. In doctrina Evangelii ab Apostolis tradita, constanter perseverandum: nec cuivis spiritui aures præbendæ. Confer 1. Joh. 4. ℣.1. & Ephes. 4. ℣.14.

διδ. *Ex eod. versu.* Falsi doctores variis fallaciis utuntur. Aut enim fictas revelationes proferunt: sicut superioribus temporibus fecerunt Monachi & Enthusiastæ; aut traditiones tanquam ab Apostolis acceptas, quales sunt quas subinde in ore habent Pontificii: aut scripta supposititia: quale olim erat Evangelium Thomæ, item Evangelium Bartholomæi, & hujusmodi alia.

διδ. Ex ℣.3.4.&c. Quum prophetia Pauli de Antichristo eventu comprobata jam sit ex parte: quatenus nimirum Papa & apertè dominatus est in Ecclesia, & spiritu oris Christi, id est, verbo Evangelii confectus est: statuamus igitur certò, reliquam quoq; partem impletum iri, nempe ut advētu Christi prorsus aboleatur & æternis supplitiis addicatur. Atque hac exspectatione justi judicii Dei contra illius tyrannidem nos sustentemus.

παρ. διδ. Item statuamus, similiter suo tempore impletum iri alteram illam ejusdem Pauli prophetiam de conversione Judæorum, quæ exstat Rom. 11. ℣.23 & deinceps.

πλ. Ex ℣.9. A miraculis ad veritatem doctrinæ argumentari, periculosum & fallax argumenti genus est: quum sint quædam miracula diabolica & fallacia quæ ad confirmandum doctrinam falsam adhibentur. quemadmodum hoc loco testatur Paulus de miraculis Antichristi: de quibus Christus quoq; prædixit Matth. 24. ℣.24. surrecturos pseudochristos & pseudoprophetas, & edituros signa magna & miracula, adeò ut seducant (si fieri possit) etiam electos. Et Deut. 13. principio capitis præcipitur, ut Prophetæ, licèt signa fecerit, non credatur, si ad idololatriam invitet. Quare quum miracula interdum pro falsa doctrina tuenda adhibeantur, non sunt satis idonea ad fidem confirmandam. Interim verum est, vera

miracula

miracula magnum habuisse usum in Electis, quum suo tempore ad confirmationem doctrinæ Evangelii fuerūt adhibita: nempe partim ut eos ad doctrinam cognoscēdam attentiores redderent, & ad credendum quasi viam sternerent: partim ut in fide eos confirmarent.

Ex eod. vers. Miraculorum quædam divina sunt, alia Satanica seu diabolica. Divina sunt, quæ per potentiam Dei ita fiunt, ut omnem facultatem creatæ naturæ superent: ut excitatio mortuorum, sanatio ægrotorum subita &c. Diabolica sunt, quæ à diabolo per vires naturæ occultas efficiuntur: qualia fortasse fuerunt quædam quę à magis edita sunt corā Mose & Pharaone: ut quòd aquam mutarunt in sanguinem, item quòd è flumine eduxerūt ranas, Exod. 7. & 8. Deinde miraculorum quædam vera sunt, quædā falsa. Vera miracula sunt, quæ id sunt quod videntur esse: ut serpens è baculo Mosis ortus, verè erat serpens. Falsa miracula sunt quæ videntur esse quod non sunt: ut serpentes qui ex baculis magorum orti videbantur, revera serpentes non erant, sed erant baculi inanem serpentum speciem exhibentes.

Ex ℣. 10. 11. 12. Reprobi justo DEI judicio in errores exitiales inducuntur, quia veritatis amore non tanguntur, sed in falsa doctrina libenter acquiescunt. Confer 2. Timoth. 4 ℣. 3. & 4. Item Johan. 3. ℣. 19. ubi Christus ait, Hoc est autem judicium (id est, condemnationis causa hæc est) quòd lux venit in mundum: sed dilexerunt homines potiùs tenebras quàm lucem: erant enim opera eorum mala.

Ex ℣. 13. Electi præsidio DEI tuti sunt quo minùs in exitiales errores seduci queant. Quum enim ad salutem ab æterno electi sint, fit ut nullo errore ad exitium seduci possint: quippe quum æternum illud decretum Dei de ipsorum salute immutabile sit. Hoc ipsum docet & Christus Matth. 24. ℣. 24. ubi eodem argumento pios consolatur contra metum seductionis. ait enim, pseudoprophetas seducturos, si fieri posset, etiā electos. quibus verbis significat, fieri non posse ut electi in exitialem errorem seducantur. Confer 2. Tim. 2. ℣. 19. ubi Apostolus eodem argumento ad pios consolandum utitur. Quum

enim de seductoribus quibusdam dixisset, quòd subverterent quorundam fidem: mox ostensurus, electos extra hujusmodi defectionis periculum esse, subjungit: Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sint sui, &c.

dict. mag. *Ex eodem versu.* De electione quisque sui certus est ex propriis effectis, videlicet fide & sanctificatione Spiritus seu studio sanctitatis, cujus author atque effector est Spiritus sanctus. nam DEUS neminem fide donat & Spiritu suo sanctificat, nisi quem ad vitam æternam elegit seu prædestinavit: teste Paulo Roman. 8. ℣. 30. Quos prædestinavit, eos etiam vocavit: nempe efficaciter, donando scilicet fidem & studium sanctitatis. Atque hinc est quòd fides nominatur fides electorum Dei, Tit. 1. ℣. 1.

dict. Ex ℣. 13. & 14. Veræ fidei & veri studii sanctitatis causa procreans principalis est Spiritus sanctus: instrumentalis verò, prædicatio Evangelii. Sic Rom. 1. ℣. 16. Evangelium dicitur potentia DEI ad salutem omni credenti. quia Spiritus sanctus divinâ suâ potentiâ per Evangelium fidem efficit. Item Rom. 10. ℣. 17. Fides ex auditu est, id est, ex sermone Evangelii qui auditu percipitur.

mand. Ex ℣. 15. In doctrina Apostolica constanter perseverandum est.

mand. Ex ℣. 16. & 17. Vera consolatio, itemque constantia tum in sana doctrina tum in sancta vita à Deo exoptanda est. Confer Jacob 1. ℣. 5.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur tertia epistolæ pars, ubi varias admonitiones de Christiani hominis officiis proponit: inter quas duæ præcipuæ sunt: una de ignavo otio vitando, altera de disciplina Ecclesiastica in inobedientes exercenda.

QUod superest, orate (fratres) pro nobis, ut sermo Domini currat, & glorificetur, sicut & apud vos:

2 Et

2 Et ut eripiamur à protervis ac sceleratis hominibus. non enim omnium *est* fides.

3 Sed fidelis est Dominus; qui stabiliet vos & tuebitur ab illo Malo.

4 Confidimus autem in Domino de vobis; vos, quæ præcipimus vobis, & facere & facturos esse.

5 Porrò Dominus dirigat vestra corda ad charitatem Dei, & tolerantem exspectationem Christi.

6 Præcipimus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subducatis vos ab omni fratre qui inordinatè se gerit, & non ex tradita doctrina quam accepit à nobis.

7 Nam ipsi scitis quomodo oporteat nos imitari: quoniam non inordinatè nos gessimus inter vos:

8 Neque gratis panem edimus *acceptum* à quoquam: sed cũ labore & ærumna nocte dieq; operantes, né quem vestrûm gravaremus.

9 Non quòd nobis *id* non liceat; sed ut nosmetipsos pro exemplari exhibeamus vobis ad nos imitandos.

10 Etenim quum essemus apud vos, hoc præcipiebamus vobis; Si quis nolit operari, etiam non edito.

11 Audimus enim, quosdam versari inter vos inordinatè, nihil agentes, sed inaniter satagentes.

12 Iis autem qui sunt istiusmodi, præcipimus, & eos obsecramus per Dominum no-

strum Jesum Christum, ut cum quiete operantes, suo pane vescantur.

13 Vos autem, fratres, ne segnescite in benefaciendo.

14 Quòd si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate: & ne commercium habete cum eo; ut eum pudeat.

15 Neque ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem.

16 Ipse autem Dominus pacis semper det vobis pacem omni modo. Dominus *sit* cum omnibus vobis.

17 Salutatio, meâ manu Pauli; quod est signum in omni epistola: ita scribo.

18 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum omnibus vobis. Amen.

PRimò hortatur Thessalonicenses ad preces pro felici Evangelii propagatione & suâ suorumque collegarum illud annuntiantium salute: ℣. 1. & parte secundi. Secundò per prolepsin occurrit scandalo incredulitatis multorum & metui amittēdi fidem. Ac ne offendātur multorum incredulitate; significat, incredulitatem istam pendēre ab arcana Dei voluntate, in qua nimirum piis omnibus absque contradictione ac murmure est acquiescendum. hoc significat, quum ait ℣. 2. *Non enim omnium est fides.* quasi dicat, Non omnibus datum est à Deo ut Evangelio credant: sed tantùm nonnullis, videlicet Electis. Quare quū Deus nolit omnibus fidem donare: non est quòd incredulitate quorundam ita moveamur, ut propterea de veritate Evangelii dubitemus. Porrò contra metum amittendi fidem consolatur eos ℣. 3. à natura Dei verace & constante: inquiens, *Sed fidelis est Dominus &c.* quasi dicat, Christus promisit, se quos semel in fidem suam receperit, nunquam deserturum, sed perpetuò tueri velle, Johan. 10. ℣. 28. Ergo quum vos semel

mel in fidem suam receperit; stabiliet vos in fide & tuebitur à malo illo, nempe diabolo: ne vos à fide avertat.

Tertiò hortatur eos in genere ad observationem mandatorum suorum. hanc hortationem proponit obliquè, videlicet significatione suæ spei, quam de ipsorum obedientia conceperit.

Quartò sub formula optationis hortatur eos ad dilectionem DEI & tolerantem exspectationem Christi, inquiens: DOMINUS *dirigat vestra corda ad dilectionem Dei & tolerantiam* (id est, tolerantem exspectationem) *Christi*. quorum illud bifariam potest intelligi: nempe vel de dilectione DEI qua ipse à nobis diligitur; vel de ea dilectione qua Deus nos diligit, quem posteriorem sensum si sequamur, commodius videtur annecti membrum alterum: quasi dicat: Oro DEUM ut dirigat corda vestra, ut sentiatis dilectionem ipsius qua vos complexus est in filio dilecto, ac proinde ut ex dilectionis illius sensu patienter toleretis crucem quam vobis propter Christum immittit; certâ spe, fore ut Christus in suo adventu vos ab illa liberaturus sit, & æternâ felicitate beaturus.

Quintò mandat ut se subducant à fratribus ignavis & otiosis: & illis proponit imitandum suum ipsius exemplum, ut qui labore manuum suarum sese apud ipsos aluerit: quum tamen haberet potestatem accipiendi ab ipsis stipendium: ℣. 6.7.8.9.10.11.

Sextò mandat otiosis & curiosis istis ut cum quiete operantes, suo pane vescantur: ℣. 12.

Septimò per prolepsin hortatur ad constantiam in benefaciendo: ℣. 13.

Octavò mandat, ut inobedientes notent, videlicet notâ illâ ignominiosâ excommunicationis: & ut à commercio ita notatorum, id est excommunicatorum, abstineant. Finem quoque severæ hujus disciplinæ exponit, videlicet ut excommunicatum pudeat, hoc est, ut pudore victus resipiscat; & resipiscentiam testatus, in Ecclesiam iterum recipiatur, atque ita servetur. Tum per prolepsin monet, quo animo & quatenus vitanda sit fratrum excommunicatorum familiaritas: nempe non

animo inimico, nec ita ut prorsus negligãtur: sed ut opportunis ac fraternis admonitionibus in viam reducantur: non autem ut contumacia eorum foveatur familiari conversatione ac dissimulatione. Hæc agit ℣. 14. & 15.

Nonò optatione & salutatione consuetà epistolam concludit: simulque monet, se illam salutationis formulam suâ manu subscribere solere in epistolis suis: ne scilicet falsæ pro veris supponerentur. Hæc agit tribus ultimis versibus.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Sermo Domini. ὁ λόγος τ κυρίε, *id est, prædicatio Evangelii, à Domino mandata.* Currat. τρέχῃ. *id est, quàm celerrimè propagetur. Metaphora. hinc cursus Evangelii dici consuevit.* Glorificetur. δοξάζηται. *nempe sermo Domini: hoc est, ut ipse Dominus glorificetur propter beneficium sermonis communicati.*

2 A protervis. ἀπὸ τ ἀτόπων. *Seu, ab insolentibus & importunis. Homines ἄτοποι dicuntur qui faciunt τὰ ἄτοπα, id est ea quæ minimè conveniunt.* Sceleratis. πονηρῶν. *Vel, Improbis. πονηροὶ dicuntur homines nequam, qui probis atque innocentibus πόνον, id est laborem atq; molestiam exhibent suâ nequitiâ. unde & Diabolus ὁ πονηρὸς, id est nequam ille, κατ' ἐξοχὴν nominatur.* Non enim omnium est fides. οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις. *Supple,* ἐστὶ. *hoc est, Non enim omnibus datum est ut Evangelio credant.*

3 Fidelis. πιστὸς. *id est, fidem servans seu constans in servandis promissis. Germanicè* Getrew. *Sic 1. Cor. 10. v. 13.* A bello malo. ἀπὸ τ πονηρ. *id est, ab illo nequam spiritu, nempe diabolo. Vide annotationem ad vocem* πονηρῶν *v. 3.*

5 Tolerantem exspectationem Christi. ὑπομονὴν τ χριστ. *Ad verbum,* Tolerantiam Christi.

9 In nomine. ἐν ὀνόματι. *id est, ex mandato.* Fratre. *id est, fidem Christianam unà vobiscum profitente.* Qui inordinatè se gerit. ἀτάκτως περιπατοῦντος. *Nempe nihil laborando, sed ignavo otio indulgendo, & interim curiosè res alienas inquirendo: ut declaratur versu undecimo.*

7 Nos. ἡμᾶς. *id est, Me Paulum.*

8 Operantes. ἐργαζόμενοι. *Erat autem σκίωποιὸς, id est opi-*

est opifex tabernaculorum, Act.18. v.3. Gravaremus. *Scilicet accipiendo stipendium.*

9 Non quòd. οὐχ ὅτι. *Elliptica loquutio. pro, Non autem hoc dico quasi &c.* οὐ λέγω ἵ τοῦτο ὡς ὅτι. Si quis. ὅτι εἴ τις. *Conjunctio ὅτι hîc servit mimesi: itaq; apud Latinos in vertendo praeterîtur.*

11 Audimus enim. ἀκούομέν γάρ. *Conjunctio rationalis non refertur ad sententiam proximè-praecedentem, sed ad praeceptionem propositam versu sexto, idq; per prolepsin. poterant enim quaerere ex Apostolo, Quorsum hoc nobis praecipis? num ergo tales apud nos sunt? Respondet? Audivimus esse.* Nihil agentes, sed inaniter satagentes. μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. *Elegans paronomasia: qualis etiam exstat Rom. 12. v. 3.* μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν: ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.

12 Cum quiete. μετ' ἡσυχίας. *Confer 1. Thess. 4. v. 11.* Suo pane. *id est, quem suo labore acquisiverint.*

13 Ne segnescite. μὴ ἐκκακήσητε. ἐκκακεῖν est evadere κακὸν, *id est ignavum. nam ut ἀγαθὸς apud Homerum crebrò fortem significat: ita κακὸς ignavum.* In benefaciendo. καλοποιοῦντες. *Pro hoc Gal. 6. v. 9. dicit,* τὸ καλὸν ποιοῦντες. *id est, id quod pulcrum seu honestum est faciendo: nempe exercendo liberalitatem erga egenos.*

14 Quod si quis &c. εἰ δέ τις &c. *Alii sic distinguunt, ut post ἡμῶν notent incisum, & idem auferant post ἐπιστολῆς, ad hunc modum:* εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν, διὰ τῆς ἐπιστολῆς τοῦτον σημειοῦσθε. *id est, Quod si quis non auscultat sermoni nostro, hunc per epistolã significate. Verùm alteram distinctionem atque expositionem esse genuinam, his argumentis li et. Primùm, quia non dicit* σημαίνετε, *i.e. significate: sed* σημειοῦσθε, *id est notate. deinde, quia proximè-sequentia praecipiunt, quomodo se gerere debeant erga sic notatum, hoc est, excommunicatum. tertiò, quia non dicit indefinitè* δι' ἐπιστολῆς, *sed* διὰ τῆς ἐπιστολῆς, *articulo innuens epistolam certam, nempe hanc ipsam epistolam. quartò, si illud* διὰ τῆς ἐπιστολῆς *cohaereret cum verbo* σημειοῦσθε: *tum pronomen* τοῦτον *potiùs praecederet, ad hunc modum,* τοῦτον διὰ τῆς ἐπιστολῆς σημειοῦσθε. *Est autem hîc observãda ellipsis articuli* τῷ *ante illa verba* διὰ τῆς ἐπιστολῆς. *qualis ellipsis etiam ali-*

bi occurrit. Porrò quò sensu Paulus hic accipit verbum σημειοῦσθαι, consimili sensu verbum NOTARE *accipit Pomponius Latus de Magistrat. Rom. cap. 21. in his verbis. Asconius Pa-*
» *dianus ait: Censores quinto quòque anno creari solebãt. Hic*
» *prorsus cives sic notabãtur, ut qui senator esset ejiceretur se-*
» *natu: qui eques Romanus, equum publicũ perderet: qui ple-*
» *bejus, in Ceritum tabulas referretur & ærarius fieret &c.*
» Ne commercium habete. μὴ συναναμίγνυσθε. *Ad verb. Ne commiscemini. Hoc eodem verbo in eâdem significatione utitur 1. Cor. 5. versu 9. & 11.* Ut eum pudeat. ἵνα ἐντραπῇ. *id est, ut pudore victus resipiscat atq; ita salvus fiat. Synecdoche membri metonymica: nam unâ cum causa effectum intelligitur. Confer 1. Cor. 5. v. 5.* ἐντρέπεσθαι *est sese in seipsum convertere, id est, in seipsum (ut Horatius ait) descendere, & turpitudine suâ conspectâ pudefieri.*

15 Neque. ἐ μὴ. *Pro,* Nec tamen. *Coharent enim hæc cum præcedentibus per quandam prolepsin.*

16 Omni modo. ἐν παντὶ τρόπῳ. *Vetus interpres habet,* In omni loco. *Legit igitur,* ἐν παντὶ τόπῳ. *Quæ lectio videtur genuina, & elegantiùs coharet cum eo quod præcessit,* ἀφ' ὧν παντὸς. *scilicet* χρόνου.

17 Ita. οὕτω. *Scilicet, sicut sequitur versu sequente.*

OBSERVATIONES EX CAP. III.

παιδ. Ex ℣. 1. & 2. Piorum officium est ut pro Evangelii propagatione & fidorum ejus ministrorũ salute preces concipiant: quia per Evangelium amplificatur regnum Dei, quatenus Electi per illius prædicationem efficaciter vocantur & sanctificantur.

παιρ. Ex ℣. 2. Quum pii doctores Evangelii experiuntur sibi contradici & resisti à protervis & malis hominibus: consolentur se exemplo Pauli, cui idem accidit. Confer 2. Tim. 3. ℣. 8. & in Actis exempla plurima, ut cap. 13. ℣. 45. & 50. item cap. 14. ℣. 19. item cap. 17. ℣. 5 6. 7. & 13. item cap. 18. ℣. 12. &c.

παιρ. *Ex eod. versu 2.* Quum videmus Evangelium multis exosum esse, non debemus offendi aut de veritate ejus dubitare: sed acquiescere debemus in arcano DEI beneplacito, ex quo ille fidem non dat omnibus, sed tantùm qui-

quibusdam, iisq; paucis & ferè coram mundo contemtis. Confer Matth. 11. ℣. 25. & 26. & cap. 13. ℣. 10. ac deinceps, item 1. Cor. 1. ℣. 26. & deinceps.

Ex eod. versu. Quum fides (ut hoc loco Apostolus ait) non sit omnium: quæritur, quorum ergo sit? Respondeo, Fides est donum peculiare Electorum: ut testantur hæc dicta. Tit. 1. ℣. 1. nominatur fides electorũ Dei. Act. 13. ℣. 48. Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Johan. 6. ℣. 36. & 37. Etiam vidistis me, nec creditis: quicquid dat mihi pater, ad me veniet. Et cap. 8. ℣. 47. Qui ex Deo est, verba DEI audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Et cap. 10. ℣. 26. & 27. Sed vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis: Oves meæ vocem meam audiunt. Rom. 8. ℣. 30. Quos prædestinavit, eos etiam (intellige, & nullos alios) vocavit. intellige, Efficaciter, donando scilicet fidem. quia continenter sequitur: Et quos vocavit, eos etiam justificavit. Certum est autem, nos justificari solâ fide. Necesse est igitur, Apostolum loqui de vocatione efficaci, id est, qua efficitur in electis fides. Cæteroquin vocatio externa latiùs patet, ac reprobis quoq; communis est: juxta illud Christi, Multi sunt vocati, pauci verò electi. διδ.

Ex ℣. 3. Qui verâ fide semel donati sunt, illi etiam in ea stabiliuntur & custodiuntur contra tentationes Satanæ, ne fide excidant, eámve amittant. Cujus rei causa est, quia Dominus fidelis est, ac proinde promissa certò prę-stat. Promisit autem credentibus, se eos non ejecturum foras, Joh. 6. ℣. 37. item se daturum illis vitam æternam, nec perituros eos unquam, neque quenquam rapturum eos è manu sua, Johan. 10. ℣. 28. Huc pertinet illud Pauli Rom. 11. ℣. 29. Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα. item illud 1. Cor. 10. ℣. 13. Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari &c. Item ꝓmissio illa Christi Matth. 16. ℣. 18. Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam. Denique quemadmodum oravit Christus pro Petro ne deficeret fides ipsius: ita non est dubium quin oraverit hoc ipsum pro credentibus omnibus: Joh 17. versu 20. Quemadmodum igitur fides Petri non defecit, propterea quòd Christus pro eo oravit: ita certum est, nullius ve- διδ. παρ.

re-credentis fidem defecturam, propter eandem cau-
ἔλ. sam. Errant igitur qui docent, fidem amitti posse: & hac
doctrina magnam consolationem conscientiis eripiunt.
ἐκδίκ. Cavendum tamen est, ne quis hâc doctrinâ de fidei per-
severantia, abutatur ad securitatem carnalem. nam per
nos quidem non stat quin singulis momentis fidem a-
mittamus: quare non est indulgendum securitati car-
Phil. 2. v. 12. & 13. nis: sed salutem nostram (ut Paulus monet) operari de-
bemus cum timore ac tremore: quum Deus is sit qui ef-
παιδ. ficit in nobis & ut velimus & ut efficiamus. Quare cum
discipulis orabimus, Domine, adauge nobis fidem.

παιδ. Ex ℣. 4. Apostolica doctrina pro vitæ regula perpetuò
sequenda est. Huc pertinet illud Christi ad Apostolos,
Qui vos audit, me audit. Item illud Pauli 1. Cor. 11. ℣. 23.
Ego à Domino accepi quod tradidi vobis. Item Ephes. 2.
℣. 20. Superstructi super fundamentum Apostolorum
& Prophetarum.

διδ. Ex ℣. 5. Qui Deum diligunt & adventum Christi to-
leranter exspectant, illi duobus insignibus animi bonis
præditi sunt. hæc enim duo Apostolus Thessalonicen-
sibus singulariter exoptat. Porrò Deum ii demum verè
diligunt, qui dilectionem ipsius erga se in Christo gusta-
runt, & indies magis magisq; gustant: cujus quidem di-
lectionis sensus effunditur in corda electorum per Spiri-
tum sanctum, ut ait Paulus Rom. 5. ℣. 5. Ac de his qui di-
ligunt Deum, idem Apostolus asseverat, omnia simul
(nempe tam adversa quàm secunda) conferre eis ad bo-
num, id est ad salutem: Rom. 8. ℣. 28.

παιδ. Ex ℣. 6. Otiosi & ignavi in Ecclesia non sunt nutrien-
di, imò ne ferendi quidem.

παιδ. Ex ℣. 7. 8. 9. In Paulo habemus insigne exemplum ar-
dentissimi studii in ædificanda Ecclesia: quippe qui ma-
nibus suis laborare & victum quærere maluit, quàm ali-
menta (id quod jure suo poterat) ab Ecclesiis accipere:
ne quem scilicet gravaret & ab Evangelii doctrina ex i-
pso cognoscenda deterreret.

διδ. Ex ℣. 9. Ministris Verbi licet alimenta ab Ecclesiis acci-
παιδ. pere; imò Ecclesiæ ministros suos alere tenentur. qua de
re vide caput nonum prioris ad Corinthios.

Ex ℣.

Ex ℣.10.& 11. Nemini licet ignavo otio indulgere: sed singuli in ea statione in qua à Domino collocati sunt, aliquid operis facere debent. ἐπ. παιδ.

Ex ℣.11.& 12. Cavenda est curiositas in rebus alienis investigandis: contrà, sua cuiq; diligenter curanda sunt: ut suo quisque pane vescatur, non autem alieno. Confer 1. Thess. 4. ℣.11. & Psal. 128. ℣.2. ἐπ. παιδ.

Ex ℣.13. Cavendum ne quorundam indignitas nos reddat ad benefaciēdum frigidiores. Confer Gal. 6. ℣.9. & Heb. 13. ℣.16. Item illud Christi, Date, & dabitur vobis. ἐπ.

Ex ℣.14.& 15. Pervicaces in Ecclesia, hoc est qui monitis presbyterorum obtemperare nolunt, excommunicationis ignominiâ notandi sunt. Huc pertinet illud Christi Matth. 18. ℣.17. Si quis ecclesiam audire noluerit, sit tibi velut ethnicus & publicanus. Exemplum exstat 1. Cor. 5. ubi Paulus incestuosum quendam excommunicari mandat. Porrò cum excommunicatis vitanda est familiaritas. Confer 1. Cor. 5. ℣.11. Sic tamen vitanda est fratrum excommunicatorum familiaritas, ut eorum in viam revocandorum occasiones omnes sedulò quærantur. Finis enim excommunicationis est, non exitium, sed salus peccatoris: ut nimirum pudore victus resipiscat. Confer 1. Cor. 5. ℣.5. & 2. Cor. 2. ℣.7. παιδ.

Ex ℣.15. Preces sunt Christianarum exhortationum sigilla. nam frustra exhortationes omnes susciperentur, nisi Deus nobis daret gratiam obediendi. hanc igitur gratiam precibus ab eo impetrare convenit. διδ. παιδ.

Ex ℣.17.& 18. Cavendum, ne supposititiis scriptis fallamur. Hinc factum est, ut veteres canonem Scripturarum θεοπνεύστων consignaverint: quos inde libros Canonicos appellamus: à quibus ἀπόκρυφα tanquam humana scripta secernuntur. παιδ.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0339
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn76703726X/phys_0342
DFG

miracula magnum habuisse usum in El
tempore ad confirmationem doctrinæ E
adhibita: nempe partim ut eos ad doctr
dam attentiores redderent, & ad credenc
sternerent: partim ut in fide eos confirm

Ex eod. vers. Miraculorum quædam
Satanica seu diabolica. Divina sunt, qua
Dei ita fiunt, ut omnem facultatem creat
rent: ut excitatio mortuorum, sanatio æg
ta &c. Diabolica sunt, quæ à diabolo per v
cultas efficiuntur: qualia fortasse fuerunt
magis edita sunt coram Mose & Pharaone: t
mutarunt in sanguinem, item quòd è flu
ranas, Exod. 7. & 8. Deinde miraculorum
sunt, quædã falsa. Vera miracula sunt, qu
videntur esse: ut serpens è baculo Mosis
serpens. Falsa miracula sunt quæ videntur
sunt: ut serpentes qui ex baculis magorum
tur, revera serpentes non erant, sed erant
serpentum speciem exhibentes.

Ex ℣. 10. 11. 12. Reprobi justo DEI jud
exitiales inducuntur, quia veritatis amor
tur, sed in falsa doctrina libenter acquie
2. Timoth. 4 ℣. 3. & 4. Item Johan. 3. ℣. 19
ait, Hoc est autem judicium (id est, co
causa hæc est) quòd lux venit in mundu
runt homines potiùs tenebras quàm luce
opera eorum mala.

Ex ℣. 13. Electi præsidio DEI tuti sun
in exitiales errores seduci queant. Quum
tem ab æterno electi sint, fit ut nullo err
seduci possint: quippe quum æternum il
Dei de ipsorum salute immutabile sit. Ho
& Christus Matth. 24. ℣. 24. ubi eodem ar
consolatur contra metum seductionis. ait
prophetas seducturos, si fieri posset, etiã e
verbis significat, fieri non posse ut electi i
rorem seducantur. Confer 2. Tim. 2. ℣. 19.
eodem argumento ad pios consolandum

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 092
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
mm Inch
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76703726X/phys_0343
DFG